R. BIBL. NAZ.
Vitt. Emanuele III.

RACCOLTA
VILLAROSA
A
161
NAPOLI

4 Z c 5

4

Racc. Villarosa A. 16

Digitized by Google

527263

Digitized by Google

AEGIDII MENAGII
IVRIS CIVILIS
AMOENITATES
AD
LVDOVICVM NVBLAEVM
ADVOCATVM PARISIENSEM

EDITIO NOVA PRIORIBVS EMENDATIOR

CVM PRAEFATIONE

IO. GVILIELMI HOFFMANNI

D. ET HISTORIAR. PROFESSORIS IN
ACAD. WITTEB. PVBL. ORD.



CVM PRIVILEGIO REGIS POL. ET ELECT. SAX.

FRANCOFVRTI ET LIPSIAE
SVMTIBVS HAEREDVM LANKISIANORVM
ANNO MDCCXXXVIII.

Digitized by Google

PERILLUSTRI

ATQVE

EXCELLENTISSIMO

DOMINO

CHRISTIANO GOTTLIEB AB HOLZENDORFF

DYNASTAE

BAERENSTEINII LICHTENAVII SVPERIORIS

CET. CET.

POTENTISSIMI POLONIARVM REGIS

ELECTORIS SAXONIAE

SVMMI SENATVS ECCLESIASTICI

PRAESIDI

REGII CVBICVLI COMITI

AERARII PROVINCIALIS QVAESTORI.

a

Libellum ad TE fero, PERILLVSTRIS DOMINE, *non meum, ſed a viro clariſſimi nominis ad ornandam Iurisprudentiae partem politiorem conſcriptum, & poſtquam iterato iam aliquoties editionis honore vulgatus eſt, rurſus qualicunque mea cura recuſum. Itaque quod ſibi nondum indulſit ſumma quidem erga* TE *mea, ſed verecunda pietas, vt turbae dicam illi, an populo, ſe ingereret, qui cum chartis ſuis potentium virorum fores obſidet, & illi praeſertim loco, ad quem Muſae concurrimus, quemue* AVGVSTI *noſtri ſapientiſſimo decreto* TV, PERILLVSTRIS DOMINE, *nunc ornas, nimium modo mole-*

ſtus eſt; illud ea nunc audet Aegidio Menagio comite ac deprecatore. Sic enim ſaepe mecum cogitaui, neſcire quid agant, qui tenuitatis ſuae obliti, ſcriptiones qualescunque, & interdum infra mediocritatem poſitas magnis nominibus inſcribunt, & in vilis caſae limine illuſtrem imaginem ponunt, & ſummorum virorum laudes non aliter, quam vt dignae ſunt, hoc eſt, timide & cum reuerentia tractandas, in ipſis dedicationum tabulis ingenii culpa deterunt. Cui reprehenſioni ne in me quoque ius darem, aut quam parum digna ſint ſcripta mea, quorum frons tam illuſtri nomine, ac TVVM eſt, condecoraretur, neſcire viderer, nolui pietatis erga TE meae officium ad proprium & a me compoſitum focum, quem nonniſi vilem ceſpitem eſſe poſſe nemo me melius intelligit, ſed ad alienum perſoluere; nullum autem Menagiano commodiorem inueni, quippe quod opuſculum iam non incertae iudiciorum aleae primum committitur, ſed ab his, quibus de laboribus literariis ſuffragii ius eſt, dudum probatum eſt, & quoad elegantius Iurisprudentiae honor ſuus & decus integrum conſtabunt, ſemper legetur & amabitur. Tantum igitur abeſt, vt hanc

obſer-

obſeruantiae erga TE, PERILLVSTRIS DOMINE, *meae teſſeram, quamuis ex aliena moneta ſit, a* TE *reprobatum iri metuam, vt me potius rationem illam ſequutum eſſe putem, ex qua* TIBI *de verecundia mea conſtare, & ſaltem illud vnum manifeſtum eſſe poſſit, me non minus officii, quam mediocritatis meae conſcientia teneri, eum vero, qui ita mecum affectus eſt, non poſſe non omnes ingenii neruos intendere, vt olim aliquid* TVO *nomine,* TVA*que voluntate, hoc eſt, publicis commodis, dignum efficiat. Quare me quotidie admonebo, quod in Academiis curae* TVAE *mandatis conſtituti verſemur in oculis* TVIS, *nobisque incumbat magis factis noſtris,* TE, PERILLVSTRIS DOMINE, *quam verbis, quae ſemper, quicquid dixerimus, virtutum* TVARVM *magnitudini cedent, laudare; fieri hoc vero non aliter poſſe, quam ſi munerum numeros omnes implere, temporumque noſtrorum rationem* TIBI *reddere contendamus,* TE*que illorum exactorem, qui ad vtilitatem publicam omnia referat, eſſe meminerimus. In quibus officiis perſoluendis vti me impigrum praeſtare, quoad per virium me-*

 diocri-

diocritatem licebit, numquam deſiſtam, ita nunc hoc vnum pietati meae permittes, vt pro ſalute TVA votum caſtiſſimum nuncupet, & vt rebus humanis quam diutiſſime interſis, precetur, quo curis & conſiliis TVIS, in emolumentum eccleſiae, reique publicae ac literariae ituris, publica commoda promoueantur.

PERILLVSTRI ATQVE EXCELLENTISSIMO
TVO NOMINI

addictus cliens
IOANNES GVILIELMVS
HOFFMANNVS.

LECTO-

LECTORI
AEQVO ET BENEVOLO
S. D.
IO. GVILIELMVS HOFFMANNVS.

AEgidius Menagius amoeni vir ingenii, qui venuſtatem & lepores, quicquid ſcriberet, ſectabatur, & ab hominibus ſuorum temporum, quod in variis linguis & ſcientiis iucundus eſſet, *plurium fluuiorum cygnus* dici meruit, quid ex iure ciuili potius colligere potuiſſet, quam *amoenitates?* Quandoquidem enim, vt ait ipſe cum Plinio, magna pars amoenitates Studiorum quaerimus, & reconditae, ſed difficilioris doctrinae libri, quorum auctores numquam, vel parcius Gratiis litant, raros inueniunt lectores, noluit in iure noſtro ſcribendi rationem Pragmaticorum ſequi, quorum quamuis aliqua ſit vtilitas, & ſi audias ipſos, maxima, prima tamen plerumque dos eſt, diſplicere. Ipſius Romani iuris

apices & quaeſtiones intricatae, cum difficiles ſint ad explicandum, neque poſſint, vt ait Cicero, ἀνθηρογραφεῖσθαι, non ſatis liberalis & benigna videbantur Menagio materia, quae lectores alliceret, & praeſertim adoleſcentum animos ad iurisprudentiam Romanam, olim nullibi magis quam in Gallia cultam, ſed iam tunc negligi coeptam, reuocaret. Itaque ſelegit ex hiſtoria iuris & ICtorum vitis, & ex ipſis Romanorum legibus ea, quae reciperent doctrinae politioris ornatum, & vt ille hortuli ſui portae *hoſpes, hic iucunde accipieris*, inſcripſit, ſic noſter *amoenitates*, quarum in hoc libro ſtudioſiſſimus fuit, in ipſo limine pollicetur. Quam feliciter eas praeſtiterit, cur dicerem ego, poſtquam toties guſtatae ſunt & probatae. Non fallax argumentum eſt, quod placueris, imitatores habuiſſe. Quis vero neſcit, poſt Menagium exſtitiſſe multos, qui *amoenas iuris obſeruationes*, *amoenitates iuris Canonici, hiſtorico-iuridicas, ſubciſiuas, theologicas, philologicas, criticas* &c. ſcripſerunt, nonnemínem etiam, qui *amoenitates Iuſtinianeas cum rationibus dubitandi & decidendi* dedit. Ex his, quo quisque Menagio ſimilior, tanto maiorem laudem conſequutus eſt. Sed pleri-

plerique longe ſequuntur, & abſtinuiſſent forſan ab huius tituli vſu, ſi quod ſibi videretur amoenum, idem non continuo lectoribus videri, meminiſſent.

Erat alias Menagius voto patris illi Iurisprudentiae deſtinatus, quae non ſolum ingenium, ſed & ventrem paſcit. Nam ab eo cauſſas agere iuſſus eſt, & egit admodum iuuenis cum laude (a) Andegaui, Pariſiis & Pictauii, (b) & ob facundiam a nonnemine ita laudatus eſt:

Atque erit in triplici par tibi nemo foro. (c)

Vſus erat in iure ciuili praeceptore Polycarpo Sengebero, Brunſuicenſi: (d)

Iuriſconſulto, cui vixit adultera coniux. (e)

Qui cum uxorem ſuam pulcram ſed impudicam adulterii accuſaſſet & conuiciſſet, iudices vero ſuos corrupiſſe argueretur, defenſus eſt a Menagio tunc advocato. (f) Egit praeterea in his foris alias cauſſas plures, & vt

(a) *Memoires de Mr. de Marolles, p. 96.*
(b) *Memoires de la Vie de Mr. Menage, p. VI. ſeq.*
(c) *Menage origines de la langue Françoiſe in v. Rachat.*
(d) *Menagiana Tom. I. p. 111.*
(e) *Auſon. Epigr. LXXXIV.*
(f) *Menagiana Tom. I. p. 164. & 111.*

vt ait ipſe, gratis omnes, (g) & vt mos fori Gallici credere patitur, ingenium autem viri credere iubet, docte ac diſerte, nec ſine cauſſa Petrus Baelius optauit, vt ederentur eius *actiones.* (h) Strepituum tamen fori pertaeſus, officium Aduocati regii patri ſuo, qui depoſuerat, vt filio traderet, reddidit irato, & cum patris indignatio nunciaretur, *non immerito*, inquit, *iraſcitur*, & quod in Gallica lingua praeſertim leporem habet: *je lui ai rendu un mauvais office.* (i) Sic ſolebat mirae vir vrbanitatis, ſed nonnumquam intempeſtiue dicax. Ceterum propter vulgatam de ſe opinionem, qua munus Aduocati contemnere credebatur, in epiſtola ad Nublaeum, huic amoenitatum libro praemiſſa, cauſſarum patronos magnifice collaudat, & ſe in eorum numero fuiſſe non fatetur, ſed gloriatur. Pupugit eum tamen vehementer, quod ab Hedelino, Abbate *d'Aubignac*, quaſi adhuc eſſet aduocatus, *Magiſter Aegidius* appellatus fuiſſet, quippe qui dudum, poſtquam a foro Menagius receſſerat, anno 1655. in illa liticula Terentiana libellum

(g) *Epiſtol. ad Nublaeum.*

(h) *Bayle Dictionaire artic. Menage.*

(i) *Menagiana Tom. I. p. 221.*

lum quendam ſuum inſcripſit *contre les erreurs de Maitre Gilles Menage, Avocat en Parlement.* Itaque cum ſemel conſtituiſſet, Muſis ſuis non horulas, quas tribunalibus ſuffuraretur, ſed ſolidum diem conſecrare, tunc niſi vel carmine luderet, vel hiſtoriis philoſophorum teneretur, vel linguarum origines indagaret, ad ius Romanum ſe conuertit, & praeſertim ad magnum, quod meditabatur, opus, de vitis ICtorum. Inchoauerat illud, & vt perficeret etiam has praecipuas, quibus oblectabatur, delicias, Italici ſermonis etymologias e manibus depoſuerat, ſed ab haeredibus Mazarini Cardinalis carmina recenſere iuſſus, quae in laudem huius purpurati ſcripta circumferebantur, vt mandato labori vacare poſſet, iterum has vitas abiecit.

Non multum forſan errauero, ſi amoenitatum iuris libellum, magnam earum obſeruationum partem, quas ad vitas ICtorum iam tunc collegerat Menagius, & nouitatis ſpecie niteſcere poſſe ſperabat, continere dixero. Cum enim doctiſſimus vir, praeter carmina duas haberet amicas, inter quas noctes ſuas partiebatur, Philoſophorum, ICtorum, Medicorumque veterum vitas, & lingua-

rum

rum origines, vocumque cognationes, mirum non eſt, ſi duplex illud obſeruationum genus etiam in amoenitatibus noſtris vtramque paginam facit. Ac ſi ab etymologiis diſceſſeris, & ab illis, quae Maecianum, Lucinium Rufinum, Caſcelium, Hermogenianum, Tertullianum, Trebatium, Pegaſum, Caecilium, Saluium Iulianum, Campanum & Caium tangunt, diſputationibus, cetera nec adeo multa ſunt, nec magni omnia momenti. Quare crediderim praecipua, quae de ICtis tunc collegerat, amoenitatibus inſerta, & hanc cauſſam eſſe, cur per ipſos triginta annos, quos poſt primam earum editionem vixit, nihil omnino promiſſi vitarum operis prodierit. Ceterum non eſt hic liber vnicum, quamuis prope vnicum ad poſteros exſtet, Themidi paratum ab eo ſacrificium. Coepit enim ad obſeruationes Cuiacii quaedam commentari, & cum viris doctis interdum ad leges obſcuriores per epiſtolas diſputauit, (k) & in illa celebri controuerſia *de mutuo*, quamuis in campum non ipſe deſcenderit, tamen veluti fecialem egit, cum aduerſus Salmaſium, & Sengeberus ille & Fabrottus inſurge-

(k) *Memoires de literature Tom. II. p. 220.*

ſurgerent. (l) Memoria tamen, qua gaudebat, feliciſſima totum ius complexus erat, vt ipſe minime ſui contemtor in hymno ad Mnemoſynen de ſe canit:

Gallia quem ſtupuit, ſtupuit me maximus ille
Bignonides, legum capita omnia commemorantem.

Sed inſcriptum nomine ſuo nullum alium in iure ciuili prodire voluit librum, quam has amoenitates, & ſimiliter in ceteris, quas amabat, diſciplinis vbiuis renidere, immo in vniuerſum in omnibus ſuis dictis & factis iucundus eſſe voluit. Nimirum opus erat, vt ille, cuius corpori natura pleraſque dotes, & binas etiam inter Gallos haud raras, ſaltare commode, ſcienterque cantare negauerat, (m) quicquid venuſtatis haberet, conuerteret ad ingenium.

Ne igitur nos voluptatis ex his amoenis obſeruationibus redundantis expertes maneamus, quando ad nouam earum editionem aliquid praefari rogati ſumus, age, areolas quaſ-

(l) *v. Fabrotti replicationem aduerſus Cl. Salmaſium, in theſ. Iuris Tom. III. p. 1245. & Menagiana, T. I. p. 297.*

(m) *Memoires de la vie de Mr. Menage p. VI.*

quasdam inſpiciamus. In limine ſtatim ſertum ſuſpenditur ex hiſtoria philoſophorum. Quaerit Menagius Cap. I. qui ſint *dialectici* ab Africano *L. 88. D. ad L. Falcidiam* commemorati; eo vero nomine non Stoicos, vt Cuiacius & alii, ſed Megaricos, notae ſubtilitatis & cauillatoriae peritiae philoſophos, deſignari cenſet. Sed cum vir doctiſſimus forte ſecum reputaret, nec Megaricos, nec Stoicos ſolos Dialecticam coluiſſe, nec eos ſolos ab ipſa nomen & elogium accepiſſe, ſed prope ex omnibus veterum philoſophorum ſcholis aliquos Dialecticorum artificia ſectatos, & hinc commune illud nomen conſequutos eſſe, ipſe tandem in fine capitis Africanum neutram harum ſectarum, ſed omnes ſophismatum ſtudioſos nomine Dialecticorum intellexiſſe ſubdit. Ita ſe res habet, & ita fere iam antea ſententiam dixerat Merillius, cuius ſimilis extat ad *L. 88. D. ad L. Falcid.* obſeruatio. (n) Admonet me vero nomen Merillii, vt reprehenſionem diluam, qua in Menagium noſtrum, nihil tale, vt mihi videtur, meritum, vſus eſt B. Schurtzfleiſchius. In cuius *Introductione in notitiam ſcripto-*

(n) *Merill. Obſeru. Lib. I. Cap. XVII.*

ſcriptorum varii generis, (o) quae non ita pridem prodiit, miror haec legi: *Aegidius Menagius Edmundo Merillio in amoenitatibus ſuis vſus eſt*, quae, niſi fallor, haud obſcure virum arguunt plagii. Sed vnde talia Schurtzfleiſchius acceperit, aut quid eum, vt tam inique ſuſpicetur, moverit, nec ego dixerim, nec ipſe forſan certam reddere poſſet rationem. Haud equidem neſcio, Menagium alias plagii reprehenſione non omnino caruiſſe, praeſertim in carminibus ſuis, vnde illo mordaci *de Laverna* epigrammate inimici quondam in eum luſerunt. Notum enim eſt, quod vir vrbanus nobiliſſimae feminae, quae tunc *Mademoiſelle de la Vergne*, poſtea *la Comteſſe de la Fayette* vocabatur, amator *ad honores* videri voluerit, eamque in carminibus, vt ſolent Poëtae, Deabus ſuis imponere nomina, *Lauernam* dixerit. Fuit autem veterum fabulis Lauerna *furum* dea, quod eleganter in laudes amorum ſuorum Menagius conuertit,

Omine felici nomen praeſaga dedere
Fata tibi. Furtis pulcra Lauerna praees.

Tu

(o) *Conr. Sam. Schurtzfleiſchii introduct. in notit. ſcript. P. III. p. 206.*

Tu Veneres omnes cunctis formoſa puella,
Tu cunctis ſenſus ſurripis vna viris.

& alibi:

Belliſſima LAVERNA
Dolce ladra d' amore
Che mi rubaſti ilcore
Toſto che mi miraſti.

Verum ille ingenioſus nominis *Lauernae* vſus in Menagii contumeliam, & in exprobrationem plagii poſtea verſus eſt. Cum enim ex antiquis & recentioribus Poëtis non ſolum acute vel pulcre dicta decerpſiſſe, ſed integros verſus carminibus ſuis inſeruiſſe deprehenderetur, & epigrammata quaedam aliena, ſimilesque luſus preſſe nimis ſequi, vel tantum ex alia lingua vertere viſus eſſet, fuerunt, qui ipſi ſalibus hisce aegre facerent, (p)

Lesbia nulla tibi eſt, nulla eſt tibi dicta Corinna,
Carmine laudatur Cynthia nulla tuo.
Sed cum doctorum compiles ſcrinia vatum,
Nil mirum, ſi ſit culta Lauerna tibi!

Prolixe inter Menagium noſtrum & Bailletum de plagii reprehenſione diſputatum,

(p) *Menagiana Tom. III. p. 107.*

tatum, (q) & quousque latices ex aliorum carminibus in ſua ducere Poëtae liceat, aut an tale quid Lege Fabia ciuitatis literariae coërceatur, inquiſitum eſt, ita tamen, ut Menagius in plerisque locis recte ac laudabiliter, in aliis innocenter egiſſe iudicibus aequis videatur. Sed quod de Carminibus, idem ipſi de iuris amoenitatibus obiectum eſſe, vel obiici potuiſſe, praeter Schurtzfleiſchium neſcio, an quisquam dixerit. De Merillio non dubium eſt, quin exſcribi ne quidem potuerit a Menagio, cum argumenta, in quibus uterque elaborauit, ſi ab hoc Capite I. & paucis aliis diſcedas, haud conueniant. Itaque Noſtrati talia forſan in praelectionibus ſuis exciderunt alia cogitanti. Nam editus eſt is, quem adduxi, libellus ex his, quae in ſcholis Schurtzfleiſchianis excepta ſunt. Qualia parcius in lucem proferri, aut ſi temerario editionis honore, (quod vtinam paucis abhinc annis non adeo crebro factum eſſet,) vulgata ſint, parcius reprehendi deberent, cum neminem lateat, quam valde in praelectionibus Academicis vel docendi calore, vel excipientium & deſcribentium negligentia multiplicentur errores.

(q) *Anti-Baillet de Mr. Menage P. II. n. CXXVIII.*

Haec vero monere non inopportunum erat, vt Menagius noſter ab odioſo plagii, criminis ſupra cetera doctorum hominum infamis, ſuſpicione vindicaretur. Ceterum huic quaeſtioni, quam Capite I. Menagius agitauit, qui ſint *Dialectici* ab Africano commemorati, ſimilis alia moueri poſſet, qui ſint *Philoſophi*, quos Alfenus Varus *L. 76. D. de iudiciis* laudat. Nuper vir celeberrimus, Euerardus Otto, in diſſertatione, (r) qua hunc Alfenum a ſutrinae foetore liberauit, non cum Scipione Gentili, Dionyſio Gothofredo, Briſſonio & Schiltero, Epicurum, Leucippum, & Democritum, ſed cum Cuiacio Stoicos & Heracliteos intelligi voluit. Sed, niſi fallor, haud aliter quaeſtio *de Philoſophis* decidenda erit, ac decidit Menagius illam *de dialecticis*. Nam quod ait Alfenus, Philoſophos exiſtimare, quod ex corpore noſtro particulae quotidie excederent, & aliae in eorum locum extrinſecus accederent, illud non vni vel alteri veterum ſectarum proprium, ſed fere omnibus commune dogma fuit. Sic praeter eos, quos commemorauimus, etiam Thaletis & Pythagorae diſci-

(r) *Theſ. Iuris, Tom. V. p. 1674.*

diſcipuli, (s) ſic Ariſtoteles, (t) ſic alii ſenſerunt, & ita ſimplicius & forte verius diceretur, Philoſophos in vniuerſum, qui talia ſtatuebant, non certam, cui adhaereret ipſe, ſectam ab Alfeno deſignari.

Caput II. non eſt magni momenti. Refellit enim Menagius Dionyſium Gothofredum, Choartium & Mornacium, qui apud Vlpianum *L. I. D. de poſtulando* notauerant, quando Nerua XVII. annos natus publice de iure *reſponſitaſſe* dicitur, id minus eſſe, quam *de iure reſpondere.* Probauit Menagii ſententiam Ampliſſimus Bynckershoekius, (u) nec aliam interpretationem vſus Latini ſermonis admittit. Fere crediderim, hoc, quidquid eſt, de voce *reſponſitare* ideo diſputatum eſſe a Menagio, vt occaſionem nanciſceretur, quaedam de ICtis praecocibus, & hinc de ſeipſo, vt ſolet, adiiciendi. Alios veterum, qui mature cauſſas egerunt, addidit Bynckershoekius. De recentioribus vero, quibus iuris properata peritia fuit, vel fuiſſe iactatur, nimis anguſtus eſſet haec praefatio dicendi locus. Hieronymum Groslotium

(s) *Stobaeus eclog. Phyſ. Cap. XIV.*
(t) *Ariſtot. Polit. Lib. III. Cap. II.*
(u) *Bynckershoek. Obſeruat. Lib. IV. Cap. XI.*

lotium plane cum Nerua compararunt Petrus Bonguerius & Ioannes Trouchius, ICti Aurelianenſes, quod ille libellum de vſucapionibus nuper Tomo V. theſauri Iuris inſertum anno aetatis decimo ſeptimo conſcripſerit. De Iacobo Corbino, qui puer coram ſenatu Pariſienſi egit, vt in hoc capite Menagius commemorat, quaedam leguntur in Menagianis. (x) Colberti vero filius, quem ob maturam iuris peritiam noſter ibidem laudat, Leges ſpe adipiſcendi ſupremum Galliae magiſtratum, (nempe vt Tellierio ſummo Cancellario ſuccedere poſſet) didiciſſe fertur. Sed cum iuuenis moreretur, Ducem Feilladeum Tellierio dixiſſe, neſcio apud quem legi: *Gaudeo te tuo ſucceſſori ſucceſſiſſe.*

Caput III. eſt ex officina etymologica, & Quinctilianum, Varronem, Gellium, aliosque veteres, & qui veterum auctoritatem ſequuti ſunt, recentiores notat, quod *petoritum, canthus, cuniculus, dunum &c.* Gallica vel Hiſpanica crediderint vocabula, cum eſſent Graeca. Miror vero Menagium non vidiſſe, quod ſint Celtica, & quod eorum nonnulla nunc adhuc in huius linguae reliquiis

(x) *Menagiana Tom. III. p. 430.*

quiis durent. Graecum vero ſermonem, & praeſertim Aeolicum, plurima ex ore Celtarum accepiſſe, praeter Pezronium (y) non pauci demonſtrarunt. Itaque parum iuuat Menagium, vt oſtenderet, quod Gallica non ſint, oſtendiſſe, quod fuerint Graeca. Sunt etiam in hac tractatione quidam luſus etymologici, quos ex moneta Menagiana eſſe non difficulter agnoueris. Sed modeſti videbuntur, ſi cum coniecturis viri compares, quarum beneficio *Laquais & Ragazzo* prodeunt ex *verna*, & Latinorum *mus* parit Gallicum *Rat*, & *equus* ſimiliter *Alfana*, & *truncus* ex ſe *chicot* producit, qualia plura Menagio ſaepius, & interdum ſatis acerbe exprobrata eſſe peruulgatum eſt. (z) Huius vero capitis etymologiae nonnullae forſan ex earum numero ſunt, quas cum eis communicabat, a quibus acceperat falſa noua. Solebat enim vir facetus iocari, ſe velut inſtitorem etymologiarum ita commercium exercere, vt cum falſis rumoribus falſas vocum origines permutet, ſed vera noua nunciantibus viciſſim praeſtaret veras. (a) Mihi, quando

 has

(y) *Pezron. antiquit. Celt. p. 271.*

(z) *vid. Tilladet recueil des diſſertations Tom. II. p. 167. ſq.*

(a) *Menagiana Tom. II. p. 24.*

has & ſimiles Menagii coniecturas de vocabulorum natalibus & cognatione lego, iudicium Huetii recurrit, quod ad ipſum Menagium ſcribere non dubitavit doctiſſimus antiſtes: *Je vous l' ay dit ſouvent, & je vous le repete encore, ſi vous etiez moins habile Etymologiſte, que vous n' etes, vos etymologies ſeroient meilleures, vous ſeriez plus circonſpect, & vous vous aſſujetteriez aux regles & aux principes.*

Capite V. delet apud Pomponium *L. 2. de orig. Iur.* nomen Tuſciani ICti, vt ſubſtituat Maecianum. Sed ab Ampliſſimo Bynckershoekio iure reprehenſus eſt, (b) & male cum multis nominibus propriis ageretur, ſi omnibus illis, quæ vel raro, vel ſemel occurrunt, ſpongiam minaremur. Eſt apud Suidam: Τουσκιανὸς, ῥήτωρ δεινότατος. At, inquit Menagius, *nihil rhetor ad Iuriſconſultum.* Ne hoc quidem fert vir magnus Bynckershoekius. (c) Nam & in hoc Suidæ, & in quibusdam Plutarchi locis ῥήτορα, verti poſſe *Iuriſconſultum*, eo contendit argumento, quod Oratoris & ICti officia, quae libera republica fuerant diſcreta, ſub Imperatoribus, quando

(b) *Bynckershoek. praetermiſſa ad Pompon. p. 96.*
(c) *Ejusdem. Obſeruat. Lib. VII. Cap. VI. p. 306.*

quando illud libertatis bonum eloquentia diſparebat, coaluerint. Crediderim ego tamen adhuc diu poſtquam reipublicae per vnum conſuli coeperat, ICtorum & rhetorum nomen & officium certo diſcrimine diuiſa & ſeparata fuiſſe. Nam & Quinctilianus adhuc ſuo tempore grauiter queritur, quam valde ab his, qui eloquentiae ſtudebant, & iam vocem ſuam cauſſis commodabant, ſcientia iuris negligeretur, idemque *Pragmaticorum* mentionem facit, i. e. Iuris peritorum, qui Oratoribus ea ſcientia non ſuccinctis ſuccurrebant, & velut ad arculas ſedentes, agentibus tela ex iure ſubminiſtrabant. (d) Nomen etiam *rhetoris* nec ICto, nec cauſſidico illis temporibus datum eſſe putauerim, ſed his, qui ſcholis operabantur. Mouet me Martialis epigrammate ad *Taurum* cunctatorem (e)

Dum modo CAVSSIDICVM, dum te
modo RHETORA fingis,
Et non decernis, Taure, quid eſſe velis.
Peleos & Priami tranſit, vel Neſtoris aetas,
Et fuerat ſerum iam tibi deſinere.
Incipe, tres vno perierunt rhetores anno,
Si quid habes animi, ſi quid in arte vales.

 Si

(d) *Quinctilian. Orat. Inſtit. Lib. XII. Cap. III.*
(e) *Martialis Lib. II. epigr. 64.*

Si SCHOLA damnatur, FORA litibus omnia feruent,
Ipſe poteſt fieri Marſya cauſſidicus.

Quando igitur Plutarchus ait, *rhetores* nomen *ſpuriorum* inde deducere, quod ex promiſcuo ſemine nati ſint, nollem cum Ampliſſimo Byncker shoekio ῥήτορας vertere, vel intelligere *Iuriſconſultos*. Certe nollem ex ea, quam affert inclytus Praeſes, cauſſa, quod etymologiae & omnis de verborum origine ac proprietate diſputatio non ad Oratores pertineat, ſed ad ICtos. Nam & in vmbraticis illis declamationibus, ſententiolas ſuas & acumina, quae illis temporibus in eloquentiae maſculae locum ſucceſſerant, rhetores ſaepenumero ex originibus vocum & etymologiis veris vel fictis depromſerunt. Ita ex P. Petronii Rhetoris declamatione fragmentum ſupereſt: *Quid eſt, iudices, dolus? Nimirum vbi aliquid factum eſt, quod legi dolet.* (f) Talia in declamatiunculis veterum, quae ad nos peruenerunt, ſuperſunt adhuc plura; & cur etymologias rhetoribus illis eriperemus, cum etiam Oratori ſuo perfecto legem ſcripſerit Quinctilianus: *proprieta-*

(f) *T. Petron. ex edit. Burm. p. 688.*

prietates vocis cuiusque noſſe. (g) Haec eo pertinent, vt Ampliſſimo Bynckershoekio ſubſcribam, quando Tuſciani nomen contra ſpongiam Menagii defendit, de ceteris vero, quae huius nominis occaſione diſputauit, ſubdubitem.

Capite VI. emendatur *L. 13. D. de ſtatu homin.* Nam quod Hermogenianus ſcribit, *ſeruus in cauſſa capitali fortunae iudicio a domino commiſſus, etſi fuerit abſolutus, non ſit liber*, id Menagius male deſcriptum ratus, pro *fortunae iudicio* reſtituit, *fortunae indicii.* Sed ita iam ante ipſum reſtituerat Petrus Burgius, (h) quamuis ſuſpicari nollem, emendatiunculam huic a Noſtro ſubleċtam eſſe. Nihil facilius eſt, quam vt quis in emendandis legibus incidat in coniecturas alienas, & ſimul apud maleuolos in ſuſpicionem plagii, a qua longe abeſſe Menagium copioſa viri doctrina, quae peregrinis ſpoliis non indigebat, perſuadet. Ac ſimile quid etiam illis accidiſſe, qui alias perquam rigide poſcunt, ne quis coniecturam, qua iam alios vſos eſſe, ſcire potuiſſet; adferat, quam facile oſtenderetur? Minus etiam mirabi-

(g) *Quinctilian. Lib. XII. Cap. II.*
(h) *BVRG. Elector. Cap. XV.*

rabitur, Menagium, quod emendatio ſua iam ſit occupata, non animaduertiſſe, qui viderit, nuper admodum Cl. Ienſium in *Strictura Iuris Romani* eandem iterum produxiſſe nec Burgio laudato, nec Menagio. (i) Sed hoc contingere illi debuit, qui ſe neglectis recentiorum ſcriptis, niſi quorum inſpiciendorum apud amicos copia ſibi facta fuerit, ſolius Corporis Iuris gloſſati, & interdum Baſilicorum ope, ſuas & emendationes & interpretationes ſcripſiſſe, mox in operis limine confitetur. Quod ad rem ipſam attinet, non video, cur adeo multi contra lectionem Florentini codicis inſurrexerint, nec cur adeo inſolens dictio cenſeretur, ſi ſeruus, quem dominus in cauſſa capitali non defendit, diceretur *iudicio fortunae* relictus. Nam & in tribunalibus interdum

IVDICE FORTVNA, cadit alea,(k) & vbi ſola iuris ratio debuiſſet, ibi ſaepe *ſoluta legibus fortuna dominatur*, (l) & de conſiliorum & cauſſarum euentu *fortuna iudicat.* (m) Atque vt Seneca *fortunae* tribuit comi-

(i) *Ienſii Stricturae Iuris Romani append. p. 3.*

(k) *Petron. Satyric. Cap. 121.*

(l) *Minut. Felix, p. 6. edit. Ouzel.*

(m) *Seneca Epiſt. XIV.*

comitia, (n) ſic ipſum *iudicium* exercere, cur dici poſſe negaremus? Ex his cauſſis mallem lectionem Etruſcam tueri, quam *iudicii fortunam*, tametſi ſuffragarentur Graeci, ſubſtituere.

Capite VIII. varia de Caſcellio diſputantur, & praeſertim qualis fuerit *Liber Benedictorum* a Pomponio laudatus. Multi de huius tituli figura ſententiam dixerunt, nec deſunt inter recentiores ICtos, qui eandem inſcriptionem libellis ſuis, quamuis alias a Caſcellii conſilio & ratione ſcribendi procul abſint, praefixerint, vt extant *Marci a Lyclama Benedictorum Libri IV. aduerſus maledicta & errores praeſertim pragmaticorum.* Quae ſit Hotomanni, Mornacii, Freheri, Scipionis Gentilis, Eberlini & Grauinae de hoc Benedictorum nomine, ſententia, Bynckershoekius recenſuit & expendit, (o) ſed tu, ſi verum amas, viam inſiſte, quam is ipſe vir illuſtris monſtrat. Benedicta quaedam etiam in Vlpiano reperiſſe ſibi viſus eſt Tuſſanus de la Rue. (p)

Capite

(n) *Idem epiſt. CXVIII.*
(o) *Bynckersh. Praetermiſſ. ad Pompon. p. 81.*
(p) *Tuſſani de la Rue amoen. iuris Obſeruat. Dec. II. Cap. 3.*

Capite IX. praeter ea, quae de arborum vita, & an earum appellatione vineae contineantur, Menagius diſputat, etiam de lectione *L. ult. quod vi aut clam* ſententiam dicit, & quod Venuleius ait: *ſi vitem meam ex fundo meo in fundum tuum deprehenderis*, id ita corrigendum eſſe cenſet, vt *depreſſeris* legatur, quod ipſum iam in editione Haloandrina expreſſum, & ab aliis viris doctis probatum eſt. Poſſent tamen pro voce *deprehenderis* aliqua dici, vt ad *L. 6. de Leg. Rhod.* vice verſa *depreſſa nauis*, quam mutari vellet Colerus in *deprenſam*, defendi poſſet, (q) ſi nunc talia prolixius agere liceret. Similiter multis augere liceret, quae Capite X. de mariti lenocinio & uxorum communione Menagius diſſeruit. Reprehendit Tertullianum, quod ab eo Socrates uxorem cum amico communicari poſſe, docuiſſe dicatur, (r) quale quid a quoquam memoriae proditum eſſe, Noſter, qui Philoſophorum hiſtoriae peritiſſimus fuit, ſe meminiſſe negat. Sed Socratis nomine Tertullianus reprehendit Platonem, qui praeceptoris auctoritate, vt peruulgatum eſt, ſaepius abutebatur. Quem vero

(q) *Coleri Parerg. Cap. XIX.*
(r) *Tertullian. Apolog. p. 35.*

vero latet, Platonem in libris de republica, (s) paradoxon illud thema de communione vxorum propoſuiſſe, cum eum ex hac cauſſa mulieres Romanae temporibus Domitiani non legerint tantum; ſed & vehementer probauerint. (t) Et tamen Ariſtoteles, quando rei abſurditatem demonſtrare ſatagit, haud ſecus ac Tertullianus Socratem inter Platonicos collocutores praecipuum, non ipſum Platonem, nominat. (u) Illud forte rectius in Tertulliano reprehenderetur, quod Catonem cenſorium cum amico vxorem communicaſſe iactet. Nam tale quid a Catone minore factum eſſe memoriae proditum eſt, qui Marciam ſuam Hortenſio tradidit, vt duos penates foecunda impleret, & geminas domos ſanguine matris perfunderet. (x) Ad tractationem de Hermogeniano & Tertulliano Cap. XI. & XII. non inutiliter conferri poſſunt, quae ſcripſere, B. Io. Michael Heineccius, (y) & Celeb. Euerardus Otto. (z) Tangit

(s) *Plato de republ. Lib. V.*
(t) *Stobaeus Serm. XXXVIII. p. 131.*
(u) *Ariſtot. Polit. Lib. II. Cap. 2.*
(x) *vide quae diximus in lib. ſing. ad Leg. Iul. de adulteriis Cap. I. §. IX.*
(y) *Io. Mich. Heineccii Diſſert. de ICtis Chriſtianis.*
(z) *Euer. Ottonis praefat. ad Theſauri Iuris Tom. I. p. 20. ſeq.*

Tangit in his Capitibus Menagius praeſertim illam de vtriusque ICti religione celebrem quaeſtionem, a qua non multum abludit altera, ſitne Minutius Felix etiam inter ICtos Chriſtianos referendus. Nuper hac de re prodiit non inelegans epiſtola, ipſius Minutii nomine ad celeberrimum Menckenium ſcripta. Inſeruit eam Actis Eruditorum, (a) quibus cum tanta laude praeeſt, idem Menckenius, patri auoque par & maior futurus. Et cum in vniuerſum Menagii noſtri amoenitatum magna pars tangat ICtos, & eos praeſertim, de quibus recentiores quaedam vberius, nonnulla etiam rectius dixerunt, ita commode iunges Capiti XIV. diatriben Gundlingianam de Trebatio Teſta, quam cum notis elegantibus recuſam dedit V. C. Gottlob Auguſtus Ienichen, quem neſcio, vtrum docti ob praeſtantem eruditionem magis ament, an ego propter amicitiam; Capiti XX. & his, quae in eo de Celſo & Pomponio leguntur, illuſtris Heineccii P. Iuuentum Celſum, & praefationem ad opuſcula hiſtoriae iuris ab Vhlio collecta, nec non Reinoldi orationem; Capiti XXII. & XXIII. Euerardi Ottonis praefationem ad Theſauri Iuris

(a) *Acta Erudit. Menſ. April. 1738. p. 210.*

Iuris Tomum I. (b) & quos adduxit ad Labittum, (c) Abrahamus Wielingius, Academiae Franequeranae decus; Capiti XXIV. Heineccii Saluium Iulianum, Euerardi Ottonis praefationem, (d) Schminckium (e) & Bynckershoekium variis locis. (f)

Cetera quae his interſerta ſunt, capita quaeſtiones non omnes magni momenti tangunt. De vſu elogii ὁ κράτιϛος, quem Capite XVI. Menagius oſtendit, etiam viri docti ad Iuſtinum, (g) & Antonius van Dale (h) diſſeruerunt. Quae Capite XXI. de differendo ſupplicio praegnantis afferuntur, pleraque apud Briſſonium, (i) & Lucam Holſtenium (k) leguntur. Ad Caput XXV. de *Domi-*

(b) *Euer. Ottonis præfat. ad Theſ. Iur. Tom. I. p. 12.*
(c) *Wieling. Iuriſpr. reſtit. p. LXXII.*
(d) *cit. loc. p. 17.*
(e) *Schminck. praefat. ad ſyntagma Criticum varior. auctorum.*
(f) *Bynckershoek. Obſeruat. Lib. I. Cap. 24. lib. VI. Cap. 3. p. 148. & Prætermiſſa ad Pomponium p. 98.*
(g) *ad Iuſtin. lib. XII Cap. XV.*
(h) *Anton. van Dalen Diſſ. de Neocoris, p. 302. ſq. & p. 306.*
(i) *Briſſon. ſelect. ex iure ciuili antiqu. Lib. II. Cap. XX.*
(k) *Luc. Holſten. not. ad Acta SS. Perpetuæ & Felicitatis in Ruinarti Actis Martyrum, p. 114.*

Dominae & *Domini* elogiis comparari poſſunt Guilielmus Fornerius, (l) Emundus Merillius, (m) Ezechiel Spanhemius, (n) Euerardus Otto, (o) Rupertus, (p) Antonius van Dale, (q) & alii plures. Capite XXIX. diſputat Menagius *ad L. 15. D. de ſeruit.*, quid ſit *viridia tollere*, & vtrum Pomponius de *auſſerendis* eis, an de *euehendis* locutus ſit. Et ſequitur Noſter Cuiacii ac Merillii ſententiam, qui viridia in altitudinem erigi, Pomponium hoc loco dixiſſe putant, quamuis Graeci, hanc legem interpretantes, vſi ſint vocabulo ἐκκόψης. Ego, quamuis cum Menagio & viris, quos ſequitur, doctiſſimis facerem, tamen cum in iure noſtro *tollere*, niſi forſan addatur *altius*, ſemper ſignificet *deprimere* vel *auſſerre*, crediderim notiſſimo geminationis remedio legendum eſſe *viridiA Tollat*, i. e. *viridia attollat*, & tunc dictio nihil haberet ambigui. Neque enim

(l) *Guil. Fornerii ſelect. Lib. I. Cap. XI.*
(m) *Merill. Obſeru. Lib. I. Cap. XXXVI.*
(n) *Spanhem. de vſu & praeſtant. numiſm. Diſſ. XII.*
(o) *Otto praefat. ad Theſ. Iuris, Tom. I. p. 36. Tom. II. p. 10.*
(p) *ad Enchir. Pompon. Cap. II.*
(q) *Ant. van Dalen diſſert. de actis Pilati p. 615. ſeqq.*

enim puto argumentis opus eſſe, vt ſciamus *attollere* idem eſſe ac *altius tollere.* Cum Capite XXXI. de quibusdam nominibus propriis Pandectarum praeter eos, quos allegat ipſe Menagius, omnino conferendae ſunt obſeruationes doctae & laborioſae, quas Antonio Auguſtino praemiſit Celeberrimus vir, Euerardus Otto. (r) Ita & prolixam de ICtorum etymologiis tractationem componere potes cum ſimilibus laboribus Scipionis Gentilis & Iacobi Curtii, quorum ille in originibus ad Pandectas, hic in tribus prioribus libris εἰκαστῶν, vel ad easdem, vel ad ſimiles Iuris voces, diſſeruerunt. In his, quae Menagius Cap. XXXVI. de itineris actus & viae diſcrimine adfert, varia reprehendit illuſtris Praeſes Bynckershoekius; (s) nuper etiam nouam haec tria diſtincte ſeparandi rationem monſtrare ſategit Cl. Wolbers in Obſeruationum decade, Petri de Touilleu opuſculis praemiſſa. (t) Capite XL. varia differit de Eunuchis militare prohibitis ob ereptam [illegible] cum

(r) *Euer. Otto Praefat. Theſ. Iur. Tom. I. p. 32. & p. 38. ſeqq.*

(s) *Bynckershoek. Obſeru. Lib. IV. Cap. VII.*

(t) *Wolbers obſeru. decad. Cap. I.*

cum maſcula vi animi etiam virtutem, quae non conueniunt cum philoſophia Baeliana de heroibus caſtratis, (u) ſeruos etiam militia prohiberi tam ex iure, quam aliorum auctorum teſtimoniis confirmat. Addere potuiſſet exemplum ex Dione Caſſio, (x) qui de ſeruo inter milites deprehenſo refert: ἕτερος δὲ (δοῦλος) ἐν τοῖς ϛρατευομένοις φωραθεὶς, κατὰ τῶν τοῦ καπιτωλίου πετρῶν ἐώσθη, προελευθερωθεὶς, ἵνα ἀξίωμα ἡ τιμωρία αὐτοῦ λάβῃ. *Alius quidam ſeruus inter milites deprehenſus, de rupe Capitolina deiectus eſt, prius manumiſſus, vt cum dignitate ſupplicium in eum ſtatuatur.* Accidit hoc Triumuirorum temporibus turbidiſſimis, & prope incredibile videtur, rigidam in re militari diſciplinam tunc exercitam eſſe. Nam paullo ante, quam hoc a ſeruo ſupplicium capiebatur, Antonius, vt militum numeros augeret, *ERGASTVLA SOLVERAT, quacunque ibat & homines arripuerat*, (y) quod prope neceſſarium fuiſſe videtur, cum exhauſtis per bella ciuilia quinque claſſibus, ex quibus alias dele-

(u) *Bayle dictionaire artic. Henr. IV.*
(x) *Dio lib. XLVIII. p. 377.*
(y) *Ciceron. epiſt. ad famil. lib. XI. epiſt. 10. & 13.*

delectus habebatur, ſuperſtitibus vero in contraria ſtudia ſciſſis, militum legitimorum numerus haud ſufficeret. Itaque quoniam valde mirum videtur, vnicum tantum inter milites ſeruum tunc deprehenſum, & in eum adeo ſeuere, animaduerſum eſſe, factum, ut exiſtimarem, apud Dionem pro ἐν τοῖς στρατευομένοις legendum eſſe ἐν τοῖς στρατηγοῖς, i. e. *inter Praetores*. Nam iisdem, de quibus agit Dio, temporibus Barbarius Philippus ſeruus Praeturam inuaſerat, de quo Suidas (z) & Vlpianus, (a) recentiorum vero multi dixerunt. Nec obeſſe coniecturae poteſt, quod Suidas hoc mancipium poenam euaſiſſe commemoret, cum haud conſtet, ex quibus auctoribus ille ſua de Barbario Philippo, deſcripſerit.

Plura diſſerere, nec inſtituti breuitas patitur, nec tempus. Neque enim ad praefandum tot nobis dies relicti fuerunt, quot menſes Menagius praefationi ad origines vocum Gallicarum componendae deſtinauerat. Et tamen eam, quamuis ſemeſtre totum impendere ſcriptioni conſtituiſſet, ne quidem intra

 quadra-

(z) *Suidas in βάρβιος φίλιππος.*
(a) *L. 3. D. de offic. praet.*

quadraginta quatuor annos perfecit. (b) Illud addere prope ſuperuacuum eſt, quod hae iuris amoenitates, poſtquam eas Menagius primum anno 1664. ediderat, & anno 1677. auctiores dederat, nouiſſime Lipſiae prodierint anno 1680. cura Friderici Benedicti Carpzouii, cum viueret Senatoris & Aedilis Lipſienſis. Solebat inclytus ille vir, qui familiae ſuae tanto decori fuit, quanto gens ipſa Carpzouiana toti Saxoniae, doctiſſimorum hominum operibus manus obſtetrices porrigere, & quae vel numquam, vel nondum in Germania lucem viderant, in eam producere. Sic ei multum debet Reineſianum Syntagma inſcriptionum, Pauli Sarpii Hiſtoria Concilii Tridentini, Hieronymi & Origenis opera, anno 1684. & 1685. edita, vt de Huetii Quaeſtionibus Alnetanis, de Concordia fidei & rationis, de Huberti Langueti epiſtolis ad Camerarios, de orationibus quibusdam Perizonii, Spanhemii, Graevii & Francii, de Rappolti carminibus & aliis taceam. Horum pauciſſimis nomen ſuum praefixit Carpzouius noſter, & neſcio, qui factum ſit, vt in Menagianarum amoenitatum

(b) *Menagiana Tom. III. p. 227.*

tum editione anni 1680. quaedam exempla hoc ipſum nomen eius in inſcriptionis fronte, & epiſtolam ad Vlricum Obrechtum, quam & nos dedimus, contineant, in ceteris vero plerisque haec deſint. Erat Carpzouio noſtro ob praeclaram doctrinam, & ingens, quo flagrabat, bonas artes & diſciplinas iuuandi ſtudium, magna cum praeſtantiſſimis aetatis ſuae viris familiaritas, vt manifeſtum eſt ex epiſtolis ad eum ſcriptis, quarum autographa non pauca in libraria mea ſupellectile ſervo. Sunt inter eas quaedam ipſius Menagii manu ſcriptae, in quibus de recudendis in Germania non ſolum amoenitatibus iuris, verum etiam commentariis in Diogenem Laërtium agitur. Nec iniucundum lectoribus fore confido, ſi ex vna vel altera, praeſertim autem ex eis, quae mentionem amoenitatum iuris faciunt, excerpta quaedam adiecero, praeſertim cum ad has Menagii literas ipſe Carpzouius in epiſtola ad Vlricum Obrechtum prouocet. Ita vero ſcribit d. 27. Octobr. 1679. *Je Vous ſuis infiniment oblige des marques, qu' il vous a plu me donner de votre ſouvenir & de votre amitié par la lettre, que vous m' avez fait l' honneur de m' ecrire, & je vous ſupplie de croire,*

que je les ay recuës avec toute la joye & toute la reconnoiſſance poſſible. Je ne ſuis point preſſé de la nouvelle edition de mes Amenitez du Droit, & j' aime beaucoup mieux, qu' elle paroiſſe plus tard, & qu' elle ſoit plus belle. Si vos Imprimeurs vouloient rimprimer mon Diogene Laerce, je leur en envoyerois un exemplaire corrigé, reſtitué, & augmenté en mille endroits, avecque pluſieurs feuilles d' additions, qu' on imprime a Paris. Le livre eſt aſſez rare, la plus part des exemplaires ayant été brulés dans l' incendie de Londres Monſ. Wagner m' a fait voir la premiere feuille des Inſcriptions de Monſ. Reineſius. C' eſt un ouvrage qui eſt icy attendu, avecque beaucoup d' impatience par tous nos curieux; la reputation de Monſ. Reineſius ne leur permettant pas de douter, qu' il ne ſoit rempli de doctrine. Et à propos d' Inſcriptions, je vous en envoye une, qui a éſté trouvée depuis peu a Beſançon:

DEO MERCVRIO CISSO
NIO DVBERATIA CASTV
LA NATIONE SYRIA TEMPLVM
ET PORTICVS VETVSTATE
CONLAPSVM DENVO DE SVO
RESTITVIT.

Je

Je n' ay pas l' honneur de connoitre ce Mercurius Ciſſonius. Si vous ſavez de ſes nouvelles, vous nous obligerez de nous en faire part. Similiter d. 1. Iun. 1680. *Le preſent que je vous ay fait de mes Meslanges Italiens, & de mes Origines de la Langue Italienne ne valent pas le remerciment, que j' en ay receu de vous. Ces livres n' eſtant conſiderables au lieu, ou vous étes, que par leur rareté. Je ne ſay au reſte, Monſieur, ſi Monſ. Wagner vous aura fait ſavoir, que les chifres ecrits à la main dans les origines ſont relatifs aux pages des additions. Je vous ſuis tres-ſenſiblement obligé de la peine, que vous avez priſe pour l' edition de mes Amenitez de Droit: & j' en ay toute la reconnoiſſance imaginable. Je ne trouve point icy d' exemplaire de mon Diogene d' en acheter, & je ne ſay comment faire, pour vous faire part des additions & des corrections, que j' y ay faites, qui ſont innombrables. - - Je n' ay point éſté peint, depuis que je l' ay éſté par Nantevil. Si je me fais peindre, ce ſera pour vous donner mon portrait, que vous mettriez, ou il vous plaira. Il me ſemble, qu' il ſeroit mieux dans mes Amenites de Droit que dans mon Diogene. Cette mode au reſte de mettre les portraits des Auteurs dans leurs*

Ouvrages eſt très-ancienne, comme il paroiſt par ce diſtique de Martial

Quam breuis immenſum cepit membrana Maronem
Illius vultus prima tabella gerit.

Cum igitur editio Carpzouiana diuendita ſit, curatum eſt, vt haec noua quam emendatiſſime typis exſcriberetur. Ita vale, Lector, & mihi, ſi meruero, faue. Scribebam Wittebergæ, d. XXVII. April. cIɔ Iɔcc XXXVIII.

❧) o (❧

ÆGIDIUS MENAGIUS
S. D.
LUDOVICO NUBLÆO, ADVOCATO PARISIENSI.

QUantum ego memoria repetere præterita poſſum, nemo eſt mihi te, LUDOVICE NUBLÆE, amicus antiquior. Anni ſunt triginta, & amplius, ex quo Philippus Loïaltæus, Advocatus Pariſienſis, Vir doctiſſimus, cui me, ut Lutetiam ſecum duceret, parens meus tradiderat, ad familiaritatem tuam fores aperuit. Amavi autem te quo die cognovi, cum propter ſummum tuum ingenium atque judicium, ſummamque doctrinam, tum propter ſingularem modeſtiam, probitatem, juſtitiam, atque humanitatem. Tu viciſſim, ex quo te amare cœpi, in tuorum me numero habuiſti: atque ex eo tempore nullum officii erga me prætermiſiſti genus. Te, cum in Foro verſarer, conſiliorum moderatorem habui, ſtudiorum adjutorem, ſcriptorum emendatorem, famæ amplificatorem. Uno verbo, tot, tantaque fuere tua erga me officia, ut ego omnium gratiſſimus, ne ea

ſuſtinere non poſſem, interdum ſubvererer. Sed hæc, quamquam maxima, nihil tamen ſunt, præut quam tu mihi nuper operam præſtitiſti, cum me in Senatum Pariſienſem Carmen famoſum ſcripſiſſe rata Civitas Pariſienſis, in me prope univerſa conſurgeret. Quam ſtrenue, quam fortiter malevolis de me ſermonibus reſtitiſti! Quam acriter, quam erudite eorum errorem, qui *Togæ* vocabulum, pro vili cliente poſitum, minus intelligentes, me in crimen læſi Senatus vocabant, adductis Veterum teſtimoniis confutaſti! In ea accuſatione, qua nihil mihi umquam tam praeter opinionem contigiſſe potuit, (nam de ſcribendo in Senatum Carmine, ne per ſomnium quidem cogitaveram) a te, homine officioſiſſimo, mihique amiciſſimo, omnia ſumma ſemper exſpectavi. Tu tuis officiis viciſti exſpectationem noſtram: tantumque inde ad amicitiam meam, cui nihil addi poſſe videbatur, additum fuit, ut ex eo tempore te mihi videar amare cœpiſſe. Hæc tua in me officia, mihi per ſe grata, eo etiam fuere gratiora, quod ſum in ea graviſſima accuſatione ab iis derelictus, a quibus, propter mea in illos ſtudia, minime oportuit. Quid dico, derelictus? Ab iis

ſum

ſum oppugnatus, quos defenderam; quos beneficiis affeceram; quos laudibus ornaveram. *Togæ* vocabulum illo paulo reconditiore atque ſecretiore ſignificatu, a quibusdam, quos jam ipſe ſuſpicari potes, eorum quæ dicunt faciuntque, arte quadam Oſtentatoribus; qui ſe Latine doctos videri volunt, quia tirunculis, a quibus coluntur, paulo ſunt doctiores, non intellectum facile patior, ac minime miror. Illud miror, ac ſimul indignor, eos qui me penitus noſſe debebant; cum familiaris illis, cum amicus fuiſſem; adduci potuiſſe, ut tam cito crederent, me tam turpe, tam indignum, tam illiberale facinus, ſine cauſſa perpetraſſe. Ad ſummum ſapientiæ gradum fateor me non perveniſſe: ſed neque me ſtipitem puto. At ſtipitem me fuiſſe oportuit, ſi ipſe, qui contra privatos homines, qui me quotidie ſcriptis laceſſunt, ſcribere non ſuſtineo; qui, non abjectione animi, ſed humanitate, ne iis quidem repugno, qui me quotidie oppugnant; contra Senatum Pariſienſem; cujus dignitas obſcurabitur numquam, etſi aliquando obumbretur; nulla ab eo provocatus injuria; immo maximis beneficiis affectus, Carmen famoſum conſcripſiſſem: ſi in

ipſa

ipſa urbe Lutetia, hoc eſt, in ampliſſimo totius Europæ theatro, & longiſſime reſonanti, illud edendum curaſſem: ſi illi nomen meum appoſuiſſem: ſi illud, ut feci, Senatoribus ipſis obtuliſſem: iis videlicet, qui me, adverſus Senatum ſcribentem, proſcribere potuiſſent; & ſane debuiſſent. Qui mihi hoc negotium faceſſerunt, non tuliſſem olim juvenili calore inconſideratior. Illorum obtrectationes & maledicta fregiſſem, atque retudiſſem. Illos deridendos propinaſſem. Illos denique ipſos altis vulneribus confodiſſem.

Et nos tela, Pater, ferrumque haud debile dextra
Spargimus, & noſtro ſequitur de vulnere ſanguis.

Quin & iſto ipſo in genere ſcribendi, in quo plurimum ſe poſſe putant, eos nihil poſſe, facile oſtendiſſem. Verum & mitiores & meliores facti ſumus accedente ætate: diuturnisque amicorum injuriis ad dolorem novum animus noſter obduruit. Ingrati erunt, Invidi, Malefici, Maledici, donec Homines. Illorum igitur ingratum animum, invidias, injurias, maledicta, dicteria, ſcommata, immotus, ut Philoſophum, & Chriſtianum decet,

cet, ſino præterfluere. Qui me ament, qui mihi faveant, qui mea tueantur, non deerunt viri honeſti; quorum amicitia & ſtudiis delectabor potius, quam illorum injuriis aut maledictis laborabo. Verum ut injurias obliviſci decet, ita beneficiorum meminiſſe convenit. Tanti igitur tui beneficii memor, aliquas ex Lucubrationibus meis, teſtes tuorum erga me meritorum, meæque in te pietatis & obſervantiæ, tibi inſcribere cogitavi. Quærenti autem mihi, quas potiſſimum inſcriberem, Hiſtoria Veterum Juriſconſultorum; quando eam tibi potiſſimum placere intellexeram; primum occurrebat. Sed cum tam grande Opus brevi ad finem perducere non liceret; grati autem animi mei teſtimonia publica diutius tibi deberi ægre ferrem; ex Notulis, quas olim Juris Studioſus ad oram Corporis Juris appoſueram, has Obſervationes raptim tibi exaravi. Quid porro in illis præſtiterim, paucis accipe. Neque in Scholis decantata, neque in Commentariis protrita, in illis obſervavi. Non tamen de apicibus Juris quæſtiones tractavi; cum de apicibus Juris Tractatus minus frequentari viderem: nam magna pars, inquit ille, ſtudiorum amœnitates quærimus.

Quare

Quare & eas inſcripſimus *Amœnitates Juris Civilis;* inſcriptione nova, & eleganti. Sed & materiæ amœnitate Juvenes Foro mancipatos alliciendo, ac veluti quodam jucundioris Diſciplinæ lacte paſcendo, paulatim reducere voluimus ad ſtudium pæne deſertum Civilis Sapientiæ; cujus ignoratione & in cauſſis orandis, & in Jure dicundo hodie plerumque ab Advocatis & Judicibus graviter & perniciofe errari animadvertebam. Juriſprudentiam Romanam neceſſariam fuiſſe Senatoribus atque Oratoribus Romanis, extra controverſiam eſt. At vero neceſſariam eſſe Senatoribus noſtris & Advocatis, multos eſſe video qui pertinaciter negent; Jus omne noſtrum ad Leges Municipales, ad Principum Decreta, ad æquitatem arbitrariam, rationemque privatam revocantes. Eorum errorem confutare in proclivi eſt. Nam præterquam quod Jus noſtrum a fonte Juris Civilis magna ex parte emanavit; quod pluribus argumentis probare te olim memini in confeſſu Virorum elegantiorum, quos habeo Mercurii diebus ſingulis frequentes domi: præterquam quod Jus Civile Romanorum fons eſt omnis æquitatis & juſtitiæ: unde illud Chriſtophorus Thuanus, Princeps Senatus

tus Pariſienſis, *Rationem ſcriptam* eleganter & vere appellitabat: conſtat etiamnum plures Gallici Imperii provincias eo uti. Quomodo igitur ad Cauſſas, in quibus certatur de Jure Civili, ſine ſcientia Juris Civilis, aut Judex, aut Patronus accedet? Et tamen ſine illa quotidie ad eas uterque accedit. Vidi ego Advocatum, longe omnium, quos mihi noſſe contigit, in Foro occupatiſſimum; magnam ſui fiduciam habentem; ceterorum contemptu auctoritatem captantem; qui Orationem Divi Marci, de qua frequens in libris Juris mentio, Preces eſſe Sancti Marci exiſtimaret. Et tamen ille ipſe, qui ne primoribus quidem labris Jurisprudentiam, ut inde patet, attigerat, de Jure reſpondebat. Diſcipulis Juris, ut audiendis Profeſſoribus, & legendis Juris Conditorum libris operam darent, quinquennium olim definivit Juſtinianus Imperator: nec niſi qui probaſſet ſe tantum temporis Legum ſtudiis tribuiſſe, in numerum Advocatorum admittebatur. Exſtat in hanc rem Jacobi Cujacii ſuſpiratio, atque vociferatio. *Si quinquennium,* inquit, *illa ætate, qua mores, & jura, & verba civilia ſane erant notiora, aut faciliora perceptu, quid non erubeſcimus iſta, qua horrere ſpinis omni-*

bus

bus videntur omnia, quæcumque de Jure ab antiquis prodita ſunt, vix tamen in eis nos tranſigere triennium? plurimum vitio parentum, qui, ut Petronius Arbiter ait, cum ad vota properant, cruda adhuc ſtudia in Forum propellunt. Bene hodie cum Jurisprudentia ageretur, ſi ejus ſtudio triennium, ut Cujacii ætate, impenderetur. Sed, o tempora! o mores! non triennium; non trimeſtre tempus; vix triduum ei impenditur. Citatis equis uno die urbem Aureliam petunt Juris Candidati: altero, Licentiatus, quem vocant, ibi gradum ſumunt: tertio, Jurisconſulti Lutetiam redeunt: ut, quod joco olim de ſe Marcus Tullius, triduo ſe Jurisconſultos profiteri ſerio velle videantur. Advocati quarto die fiunt: quinto venia ætatis a Principe impetrata, qua nihil perniciosius eſſe contendo, Judices ſine legitimo examine facti, de fortunis, de vitis hominum judicant. Reipublicæ tam noxium morem a Petro Seguerio, Franciæ Cancellario, Guillelmo Lamonione, Senatus Principe, Dionyſio Talonio, Achille Harlæo, Hieronymo Bignonio, Regiis Triumviris, pro eo quo in Rempublicam flagrant amore, brevi emendatum iri ſperamus quotquot ſumus, qui notitiam boni

& æqui

& æqui profitemur. Immo emendare jam cœperunt. Adio enim Principis decreto, & conſulto Senatus, ſtatutum nuper fuiſſe, ne quis in poſterum ad Licentiatus gradum, ſine quo nemo Advocatus fieri poteſt; certe non debet; pervenire poſſit; niſi qui annum integrum in Academia celebri Juris ſtudio poſuerit: utque nemo, niſi qui quadriennium in Foro verſatus, voce aut ſcripto juverit Clientes, Judicum conſortio adjungatur: eſt enim ordo Advocatorum ſeminarium omnium Magiſtratuum. Reſtat, ut tam præclara ſtatuta *ἀπροσωπολήπτως* & accuratiſſime & diligentiſſime obſerventur: vanæ enim leges ſine moribus: &, ut præclare, more ſuo, Ariſtoteles, perinde eſt legem non ferri, & non ſervari. Græce elegantius: *οὐδὲν διαφέρει, ἢ μὴ κεῖσθαι, ἢ μὴ χρῆσθαι.* Ea etiam, nulla perſonarum habita ratione, & accuratiſſime & diligentiſſime obſervatum iri in ſpem venimus; cum Chriſtianus Franciſcus Lamonio, Guillelmi, Senatus Principis, filius, qui ſummis magiſtratibus deſtinatur, quotidie Forum terat; ubi cauſas agit acutiſſime, & diſertiſſime. Quo nomine inſignem laudem meretur, & longe pluris fit ab omnibus, quam ſi inter Sena-

 tores

tores Jus diceret. Neque enim putet quiſquam honori ſuo aliquid eſſe detractum, cum ipſe neceſſitatem elegerit ſtandi, & contempſerit jus ſedendi. Verba ſunt Imperatorum Valentiniani & Valentis: ne quis forte iniquam ſuper his mihi litem moveat. Quid enim pulchrius, quam glorioſæ vocis munimine, aut tacita advocatione, laborantium ſpem, vitam, & poſteros defendere? Quid autem præclarius Patrono, qui in Foro conſenuit? Extra neceſſitatem Jurisdictionis ad eum cuncti Litigatores veniunt. In eum univerſi Cives conſentiunt. Eum ſummum quisque cauſæ ſuæ Judicem facit. Omnibus controverſiis ſua ſententia, & auctoritate finem imponit. Oraculum eſt totius Civitatis. Eſt non unius anni Conſul, ac

Perpetuus Populi privato in limine Prætor.

Qua privata Prætura nullam publicam aut pulchriorem, aut illuſtriorem, aut præſtantiorem eſſe equidem duco. Hanc meam de Advocatorum munere ſententiam, ſi perſpectam habuiſſent Invidi ac Malevoli, qui me Advocatum fuiſſe, ut mihi injuriam facerent, exprobrarunt, ab hac exprobratione,

certo

certo ſcio, temperaſſent. Illud vero puſilli animi fuit, & ipſa invidia ac malevolentia jejuni, quod Presbyter ille, & Concionator,

Quem tulit ad Scenam ventoſo Gloria curru,

in fronte Libelli famoſi, quem de Conſtitutione Comœdiæ adverſus me ſcripſit, ut audio, (neque enim legi, neque legam) viginti & amplius annis, ex quo Foro vale dixeram, mihi Advocati titulum affixit. Affixit vero injurioſis verbis, me *Magiſtrum Ægidium* appellando: quo nomine, non Proceres, non Rex ipſe, ſi de me, aut ad me ſcriberent, me appellarent. Advocatum me fuiſſe, non ſolum fateor, ſed etiam glorior. Quem enim Advocatum fuiſſe pudeat, Advocatus cum ſit Franciſcus Montolonius, qui avum & proavum, Regii Sigilli Cuſtodes; tritavum, Senatus Divionenſis Patronum Regium; gentilem, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem habuit? Tamen, vere ut dicam, numquam in Foro Pariſienſi verſatus ſum eo conſilio, totam ut ætatem ibi conſumerem; ſed ſolum, ut ad magiſtratus, ad quos, apud Andes meos, deſtinabar, & quos fratres mei natu minores geſſere, inſtructior pervenirem.

 Vereor,

Vereor, ne arrogantius a me dictum videatur; dicam tamen: a nemine umquam honorarium accepi: ut ſi non magna cum eloquentiæ laude, certe maxima cum dignitate cauſſas me egiſſe etiam illi ipſi mei Obtrectatores agnoſcere neceſſe habeant. Quod non dico, quia turpe putem honorarium accipere: quis enim, etiam Procerum, ſuis ſtipendiis militat? verum, ut inde appareat, veriſſimum eſſe quod ſupra poſui, me Advocatorum conſortio, ut id munus perpetuo profiterer, ſociatum non fuiſſe. Sed quid ego hæc ad te, quæ tu, conſiliorum meorum & factorum particeps, omnium optime noſti? Ut igitur unde digreſſus ſum, redeam, Amœnitates haſce meas tibi, LUDOVICE NUBLÆE, tuorum erga me meritorum, meæque in te obſervantiæ & pietatis teſtes, pignus, & monumentum, do, dico, conſecro. Lutetiæ Pariſiorum. Calendis Maji, Anni M. DC. LXIV.

ELOGIA.

* * *

JOHANNES STRAUCHIUS, Juriſconſultus,

In Epiſtola ad Lectorem, præfixa libello, cui titulus, Amœnitatum Juris Canonici Semeſtre. *Jenæ 1674.*

DE inſcriptione hoc tantum adjicio: Cum decennio abhinc Pariſiis mihi mittebatur ÆGIDII MENAGII, Juriſconſulti præſtantiſſimi, Liber, quem *Juris Civilis Amœnitates* inſcripſerat; adeo me, & ipſum ceperat Opus, & Tituli Amœnitas, ut poſtquam e Foro, quo tum occupabar, in Academiam revocatus, officii neceſſitate Juri Canonico horas aliquas de die dare debueram, MENAGIUM imitato, mihi idem præſcribere, & meis, nomen viſum fuerit. Quamvis vero, & ab ingenio Viri hujus, & argumenti prærogativa me longe relinqui jam tum ſentiebam, adeo tamen tenuere, quæ ſemel animum ſubierant, hæ pellecebræ, ut ne nunc quidem mutare velim. Cur vero MENAGIUS Operi ſuo titulum

Amoenitates fecerit, rationes ad NUBLÆUM Præfatione reddit. Eas ex parte mihi, Jurisque Canonici ſtudio communes eſſe, forſan non erravero, ſi mihi perſuaſerim. Sin erro, cogita & hoc tibi commune eſſe, Lector, &c.

* * *

NICOLAUS HEINSIUS
in Vellejanis Caſtigationibus, p. 28.

VErum de *prævaricandi* verbo, ejusque ſignificatu non uno, copiſe præter ceteros egit Vir, ſi quis alius, de antiquitate omnique re litteraria pulcherrimum meritus in modum ÆGIDIUS MENAGIUS, Juris Amœnitatibus.

* * *

ANTONIUS FRANCISCUS PAYENUS,
Anteceſſor Avenionenſis.

pag. 365. Prodromi Juſtiniani.

COnſtat ex Pandectis Florentinis, quas Triboniani autographum Budæus putavit, totum Titulum de Excuſationibus Tutorum, aliaque ſparſim verba in Pandectis Græce

Græce relicta fuiſſe, quæ Bulgarus, licet barbare, ut notat Vir amœniſſimus ÆGIDIUS MENAGIUS, Amœnitatum Juris capite 33. Latina reddidit.

Et pag. 173.

Quid autem tunc Paratitla eſſent, dixi ſupra; a qua Paratitλῶν forma receſſere Latini Interpretes: & ſignanter Cujacius Græcorum alioqui nimium Cultor, Summaria, ſeu Titulorum Synopſes, pro Paratitlis uſurpans, ut obſervat ÆGIDIUS MENAGIUS Amœnitatum Juris capite 15.

* * *

JOHANNES DOUIATIUS,

Anteceſſorum Pariſienſium & Profeſſorum Regiorum Primicerius, *in Hiſtoria Juris Civilis Romanorum. c. 1.*

HOrum Veterum Juriſprudentium Vitas plures ſcripſere: Bernardinus imprimis Rutilius & Fichardus, ſuperiori ſæculo: hoc vero noſtro Johannes Bertrandus, Præſes Toloſanus, duobus libris Biinomicôn, ſive de Juriſperitis, & Guido Pancirolus

rolus priori parte librorum de Claris Legum Interpretibus. Quibus non pauca licebit adjicere ex erudito Amœnitatum Juris opere, quod nuper in lucem edidit Vir Clariſſimus, deque omni literarum genere, & vulgaribus etiam linguis, optime meritus ÆGIDIUS MENAGIUS: a quo accuratiſſimum ejusque exquiſita eruditione dignum Commentarium in Titulum de Origine Juris expectamus.

Et cap. 9.

At fœcundiſſima literarum bonorumque omnium proventu ætas noſtra plurimos utique tulit magni nominis Jurisconſultos. Imprimis autem, quorum ſcripta ad Jus Civile pertinentia, ad meam notitiam venerint, fuere aut adhuc ſunt, ad annum usque a Virgineo partu 1678. In Gallia nati: Raguellus; Antonius Faber; Guillelmus Ranchinus; Guillelmus Maranus; Antonius Mornacius; Petrus Gregorius Toloſanus; Johannes a Coſta; Emundus Merillius; Carolus Labbæus; Franciſcus Marſis; Bernardus Autumnus; Alexander Chaſſanæus; Johannes Daveſanus; Johannes Broæus; Johannes Mererius; Antonius Dadinus

dinus Altaſerra; Claudius Colombetus; Jacobus Gothofredus; Johannes Oſius, vero nomine *Orrius*; Ægidius Menagius; Nicolaus Catherinotus, qui ſe *Catharinum* appellare maluit; Michael Legius; Petrus Collonquius, Daniel Galterius.

* * *

FRIDERICUS BRUMMERUS,
Lipſienſis,
in Commentario ad legem Cinciam
cap. XI.

QUo pertinet hiſtoria lepida, quam e Carolo Molinæo, Advocato Pariſienſi, de Mareſcallo, Advocato quoque Pariſienſi, verbis Molinæi refert doctrinæ juxta ac morum elegantia præſtantiſſimus Vir ÆGIDIUS MENAGIUS in Amœnitatibus Juris capite 18.

CAROLUS ANNIBAL FABROTUS
in Epiſtola Nuncupatoria ad ÆGIDIUM MENAGIUM, præfixa tractatibus *de juſto partu & de numero puerperii.*

HUnc autem animi fœtum offero Tibi, CLARISSIME MENAGI, quocum olim haud vulgarem amicitiam contraxi. Nec immerito: cum pauci ſint, qui his ſtudiis colendis tecum poſſint contendere. Nam ſive Græco ludas carmine, ſive Latino, ſive Gallico, ſpiritus altioris poeta diceris: ſive te ad ſtudia ſeveriora vertas, vix eſt ut quidquam politius ad nos perveniat. Jure autem noſtro non ἀκροθιγῶς imbutus es, ſed alte tinctus: ut vere liceat dicere, Virum te eſſe undecumque doctiſſimum.

VIRO

VIRO

Ampliſſimo Conſultiſſimoque

ULRICO OBRECHTO,

Clariſſimi nominis Jureconſulto,
Eloquentiæ & Hiſtoriarum in Academia Argentoratenſi Profeſſori Publico,

Philologo celeberrimo,

S. P. D.

FRIDERICUS BENEDICTUS CARPZOVIUS.

Sollicitus rationes circumſpexi hactenus, quibus me ære exſolverem, quod & pluribus officiis aliis tuis jampridem ego debeo, & Tu nuper inſigni honore accumulaſti, partem eruditarum reliquiarum incomparabilis SOCERI meo nomini inſcribere haud infra iſtarum dignitatem exiſtimans. Sed deliberantem de iis tot me oppreſſerunt incommoda, difficillima etiam & calamitoſa ſupervenerunt tempora, ut calculos recte ponere haud licuerit: quin potius ademta nobis, vicinorum ob nimium & vel ipſa peſte graviorem contagii metum, omnis etiam innoxiarum litterarum (quæ veneficii tamen a nemine adhuc convinci, aut lege Cornelia poſtulari potuerunt) commercii facultate, præcipitandum fuit officium: ne vel fato occupatus, quod peſtifero

hoc

hoc anno propius nobis imminet, vel libertate epiſtolarum prorſus ademta, conturbem; & aut ingratus occumbam, aut differre amplius ferali mora coactus officium, iſtud neglexiſſe argui poſſim. Igitur in anguſtiis his conſtitutus, nomen ne malum audirem, alieno ære & ſimul propria indigentia laborantes imitandos duxi: qui quando in facultatibus ſuis non inveniunt, unde iſtud poſſint luere, aliunde ſumunt; & ſervuli apud Comicum ſecuti conſilium, quod proprio ære non licet, vorſura ſolvunt. Eadem ratione & ego, qui mercaturam, quod noſti, faciens in Muſarum caſtris non niſi transfuga mereo, ac proinde e meis facultatibus, litterario tuo muneri quod referam nihil dignum depromere poſſum, aliunde accerſitis opibus ingrati animi culpam amovere ſtudebo. Longe enim diverſis ſtudiis deditus, quam quibus vicem tibi redderem, & nunc calamitate patriæ ob recentem mortem Patris ſui DIVI ELECTORIS; urbis clade, ob late dominantem in ea peſtilentiam: familiæ denique meæ luctu, ob acerba Matris, & quem Parentis loco habueram, quique me filii in modum dilexerat, Affinis magnifici GEIERI, funera afflictiſſimus, dum in meis arculis ac forulis mœrore confuſus nihil reperio, quo gratias pro tam egregio munere referre poſſim: e

Galliæ

Galliæ divite penu interea capiendum aliquid, & a doctiſſimo iſtius Abbate, vitæ morumque ſanctimonia & eruditionis fama celeberrimo MENAGIO, *ſacras & reconditas eruditionis opes petendas duxi, quibus debitum apud Te meum, ſi non expungere prorſus, magnam tamen diſſolvere ejus partem me poſſe confiderem. Itaque* AMOENITATUM JURIS *venuſtiſſimum libellum, ab ipſo auctore iterum reviſum, & nonnullis in locis auctum mihi transmiſſum, quia in noſtris tabernis non extabat, ut haberi, & ſtudioſorum elegantioris doctrinæ uſibus ſervire poſſit, prælo ſubmiſi; & iſthoc egreſſurum ſub Clariſſimi tui nominis auſpiciis prodire volui, ſaltem alieno, quam non poſſem ipſo & proprio opere, gratiam referre teſtatus.*

Humilis quidem nonnullis & abjecta videri hæc mea poſſit ratio, apud quos ſummo contemtui eſt aliorum ſcripta recudere, quibusdam etiam vitio vertitur: ſed cum voluntate ipſius auctoris, cujus humaniſſimarum litterarum commercio ſummopere gaudeo, id a me fuerit attentatum; nec negari poſſit, ſatius eſſe, meliores exterorum libros, quorum rara ad nos perferuntur exemplaria, recudi, quam noſtrorum hominum nugas per orbem, jamdum talibus oneratum ſatis, diſpergi; TIBI

quidem

quidem neutiquam improbabitur hoc noſtrum ſtudium. Quo quidem inclareſcere aliis minus laboro, cujusvis rei magis quam famæ cupidus; nec nomen meum alienis his chartis allinens, herbæ parietariæ convitio irridebor, quod Cæſari olim Trajano, ubique per omnes vetuſtatis ruinas ſui nominis prodigo, exprobratum fuit; ſed bonis litteris, & TIBI, candidiſſimo Viro, vero horum ſtudiorum æſtimatori, ſervire cupio. Cui ſi facti mei rationes probavero, parum ſermonibus aliorum me commoveri patiar, qui ingenii per ſe pauperis notam eſſe criminabuntur, in alienis ſcriptis eſſe ſtudioſum. Nam hi erunt fere, quorum ſublimis mens, aut ſaltem opinio, ſupra cæteros ſe attollens, omne infra poſitum alto ſupercilio deſpicit; omneque doctrinæ ac eruditionis ſtudiorumque genus ad famam & ambitionem exigit. Mihi parum curæ erit, ſi illis minus ingenioſus habear, cui ſufficit ſtudii ſaltem apud TE ac voluntatis laudem retuliſſe. Vale. Dabam Lipſiæ e muſeo, a d. XII. Cal. Octobr. Anno M. DC. LXXX.

Ad

Ad

VIRUM AMPLISSIMUM

FRIDERICUM BENEDICTUM CARPZOVIUM

Senatorem Lipſienſem,

Quum

ÆGIDII MENAGII

Doctisſimi Gallorum Abbatis

Libros Amœnitatum Juris Civilis

recudi faceret.

B*Rumam* atque hibernas videor mihi cernere noctes
Juridicos quoties volvo revolvo libros,
Quos olim in lucem Siculi ABBAS ille PANORMI
Magna opera & magna non ſine laude dedit.
At lux clara mihi & media eſt CUJACIUS *Æſtas*,
Eunomiæ æternum Francigenûmque jubar.
Theſſala nunc tempe Heſperiosque MENAGIUS hortos,
Quin ipſum nobis *Ver* geniale refert.
Sed quem Te memorem, qui quæ doctiſſimus Abbas
Et Druidas inter gloria prima ſuos,
Edidit, aucta novo facis exſplendeſcere cultu
CARPZOVI, o patriæ ſpesque decusque tuæ?
Luctiferum autumnum dum nempe hunc Lipſia ſentit,
Autumni ſolus fructiferi inſtar habes.

Scrib. Lipſiæ
D. X. Septembr. CIↃ IↃC LXXX.
L. JOACHIMUS FELLERUS,
Poëſ. P. P. Academiæ Bibliothecarius,
& hoc tempore RECTOR.

Εἰς

Εἰς

τὰ τῶν νόμων κεκαλλιεπημένα

τοῦ αἰδεσίμου καὶ εὐκλεεστάτου

ΑΙΓΙΔΙΟΥ ΜΕΝΑΓΙΟΥ

νεωστὶ ἐκδεδομένα.

Ἀγλαΐης μῆτερ, πάσης γενέτειρα θαλείας,
Εὐσυνέτων Φραγκὶς μαῖά τε γαῖα φρενῶν,
Οὐ μόνον ἁβροσύναις λαλιάν τε καὶ ἤθεα κεδναῖς
Ἀγροίκως κοσμεῖς ἐκπονέεις τε βροτῶν·
Ἀλλὰ θεμιστοσύνην, τοπάλαι τρηχεῖαν ἐοῦσαν,
Ταῦτ᾽ ἔπι σαῖς λείαν ἁβροσύναισι ποιεῖς.
ἈΛΚΊΑΤΟΝ, ΒΡΙΣΣΩ͂ΝΑ, ΦΆΒΡΟΝ, τούτου τε ΒΥΔΑΙ͂ΟΝ
Μάρτυρα, ΚΟΤΆΚΙΟΝ, τόνθ᾽ ὉΤΌΜΑΝΝΟΝ ὕδω.
Τούτοις ΦΆΒΡΩΤΟΝ, ΓΟΘΟΦΡΗ͂ΔΟΝ, ἰδ᾽ ἀνέρας ἄλλους
Προσθέμεν, οἱ πινυτῇ χειρὶ γράφουσιν, ἔδει.
Πάντας ὅμως δολιχεῖς ΜΗΝΆΓΙΟΣ ἴθμασι νικᾷ,
Βίβλον ὃς ἤβαιὴν, ἀλλὰ λιγεῖαν ἔδω.
Σηρικὰ Γερμανοῖς ἀγοράσματα πέμπετε Γαλλοί,
Πέμπετε καὶ τοίας πολλάκις αὖθι βίβλους.
Κεῖνα χρόνος φθείρει, καὶ σής· ταύτας δὲ γραφείσας
ΛΕΙΨΙΣ κομψοτέρως ἄψ ἀνίησι τύποις.

ΦΡΙΔΕΡΙΚΟΣ ΒΕΝΕΔΙΚΤΟΣ ΚΑΡΠΖΟΒΙΟΣ.

INDEX

INDEX CAPITUM,

quæ hoc Libro continentur.

Cap. I. Qui *ſint Dialectici apud Africanum in l. 88. ad L. Falcidiam.* Pag. 1

Cap. II. Reſponſitare de Jure *non minus eſſe apud Ulpianum quam* reſpondere. 4

Cap. III. Peculium *Gallis Ciſalpinis id erat, quod Græcis* παράφερνα. Petoritum, dunum, & murcus, *voces ſunt Latinæ, non Gallicæ.* Canthus & cuniculus, *voces ſunt itidem Latinæ, non Hiſpanæ.* 7

Cap. IV. *Tentata olim emendatio in definitione Juſtitiæ. Achilles Tatius, & Suidas emendantur.* 27

Cap. V. *An Juriſconſultus fuerit, nomine Tuſcianus. De Maciano J. C. quædam non vulgaria. Marcus Antoninus emendatur. Notatur Bertrandus.* 30

Cap. VI. *Emendatur Lex 13. D. de Statu Hominum.* 34

Cap. VII. *De Licinio Rufino Juriſconſulto. Notantur Cujacius & Bertrandus* 36

Cap. VIII. *Quid ſit Caſcelii* Liber Benedictorum. *Scipio Gentilis, Mornacius, & Cujacius refelluntur.* 38

Cap. IX. *Vinearum an vita longa. Arborum appellatione vineæ continentur.* 46

Cap. X. *De Mariti lenocinio. Adulterorum viros ordinari non potuiſſe.* 52

Cap. XI. *De Hermogeniano J. C. & an Chriſtianus. Notatur Bertrandus. Explicatur lex 60. de Donat. inter vir. & ux.* 62

Cap. XII. *De Tertulliano Juriſconſulto, & an idem ac Q. Septimius Florens.* 66

Cap. XIII. *De Citienſibus, de quibus in l. 1. D. de Pollicitationibus. Zeno, Stoicorum Princeps, Citieus dictus e Citio Cypri, non Macedonia, oppido, contra quam Cujacius exiſtimavit.* 75

Cap. XIV. *De Trebatio nonnulla.* Familiam ducere *quid ſit, & unde hoc loquendi genus.* 77

Cap. XV. *Quid ſint Paratitla.* 80

Cap. XVI. ὁ κράτιστος, *de iis qui in dignitate conſtituti.* 85

Cap. XVII. *De Pegaſo Juriſconſulto, & unde ei hoc nomen.* 86

Cap. XVIII. *Pro Advocati facundia honorarium æſtimari debere.* 90

Cap. XIX. *Contra Hugonem Grotium defenſa lectio legis 77. D. de legatis 2.* 92

Cap. XX. *Contra Cujacium defenſa lectio in l.* Rerum mixtura 30. *De Uſurpationibus. Bertrandi ſententia rejecta. Alia nonnulla.* 94

Cap. XXI. *De Prægnantis, capitali judicio damnatæ, pœna differenda.* 104

Cap. XXII. Mæcilius *pro* Cæcilius; *vel* Cæcilius *pro* Mæcilius. Cælius *pro* Cæcilius. Cæcilius *pro* Ælius, Cælius, & Cœlius. *Lex 14. de Ædil. Edicto, & Gellius emendantur. Tentata emendatio in l. 64. de Donat. inter virum & uxorem.* 110

Cap.

Cap. XXIII. *De Sexto Cæcilio Jurisconſulto nonnulla. Alius videtur ab Africano, contra quam Cujacio placuit. Bertrandus laudatur. Idem improbatur.* 114

Cap. XXIV. *De Salvio Juliano. Auctor fuit* Edicti Perpetui, *non, quod Hugo Grotius exiſtimavit, Didius Julianus Imp. Videtur & auctor fuiſſe* Salviani interdicti. *Aurelius Victor emendatur. Lectio legis 1. D. ad L. Falcidiam, contra Cujacium adſtruitur. Theateti Epigramma exponitur. Johannes Brodæus notatur. De Juliano Anteceſſore Conſtantinopolitano. Alia plura.* 123

Cap. XXV. *Mulieres* dominæ *appellatæ. De vocabulo* domini *plura.* 136

Cap. XXVI. *Tempore Quadrageſimæ veteres Chriſtiani reos non damnabant: immo nec litigabant.* 147

Cap. XXVII. *Surdus exaudiens.* 154

Cap. XXVIII. *Judices habita ratione temporis, quo magiſtratum adepti ſunt, ſedere debent.* 157

Cap. XXIX. *Explicatur Lex 15. de Servitutibus.* 167

Cap. XXX. *Ægyptii & Carthaginenſes magiſtratum gerere legibus prohibiti. Non licuit Ægyptiis alienæ civitatis civibus fieri.* 170

Cap. XXXI. *De quibusdam nominibus propriis Pandectarum.* 172

Cap. XXXII. *Fugitivi pedum amputatione multati.* 190

Cap. XXXIII. Σφάλματα *quædam ejus, qui, quæ in Pandectis Græce leguntur, Latina fecit* 193

INDEX CAPITUM.

Cap. XXXIV. *Rei in Judicio ad latus ſiniſtrum apud Colchos, ad dextrum apud Græcos.* 206

Cap. XXXV. *Qui ſint Medici & Presbyteri* Περιοδευταί. *De Medicorum immunitatibus. De Medicis quædam non vulgaria.* 209

Cap. XXXVI. *De Itineris, Actus & Viæ diſcrimine. Juſtinianeæ Inſtitutiones notantur.* 231

Cap. XXXVII. *De Campano Juriſconſulto.* 247

Cap. XXXVIII. *Qui ſint graculi.* *ibid.*

Cap. XXXIX. *De Etymologiis Juriſconſultorum.* 256

Adfinis. 256
Adgnati. 257
Adrogatio. ibid.
Adulterium. 259
Ædilis. ibid.
Æditiuus. 260
Angiportum. 261
Bona. 262
Caducum. 263
Calumniatores. 264
Cavillatio. 265
Cenſor. 267
Cognatus. 268
Condictio. ibid.
Conſobrinus. 269
Conſules. ibid.
Contractus Innominatus. 271
Contubernales. ibid.
Contumax. ibid.
Contumelia. 272
Conventio. ibid.
Convicium. 273
Damnatio. Damnum. 274
Decurio. 276
Depoſitum. 277
Derectarii. ibid.
Dimiſſoriæ literæ. 278
Divortium. 279
Donatio. Donum. 280
Eunuchus. 282
Exercitus. ibid.
Exhibere. 284
Falcidia. ibid.
Furtum. 285
Gradus. 287
Helenopontus. ibid.
Honorarium. 288
Immunitas. 289

Inci-

Incile. ibid.
Injuria. 290
Inſtitor. 291
Interdicta. 292
Jus. ibid.
Juſtiniana: urbs. 296
Liber. Libertas. ibid.
Macedonianum Senatusconſultum. 297
Magiſter. Magiſtratus. 300
Mancipium. 303
Miles. ibid.
Miſcella. Lex Julia Miſcella. 305
Monumentum. 307
Mundus muliebris. 308
Munifici. Municipes. 309
Mutuum. 310
Novatio. 313
Occidere. ibid.
Oppidum. 314
Pactum. Pax. 315
Panniculària. 316
Peculium. 318
Pellex. 319
Perduelles. 321
Peremptorium Edictum. 322
Pignus. ibid.
Portus. 323
Poſſeſſio. 325
Poſtliminium. Poſtumus. 326
Prævaricator. 330
Pratum. 332
Publicanus. 334
Puerpera. 336
Quæſtores. 337
Reddere. 338
Redhibitio. 339
Rivalis. ibid.
Rivus. 340
Ruta cæſa. 341
Saccularii. 342
Sacellum. 344
Sanctum. ibid.
Sequeſter. 347
Servus. 348
Sicarius. 351
Solarium. 352
Sonticus Morbus. 353
Soror. 354
Spectaculum. 356
Sponſalia. Sponſus. Sponſio. 357
Spurius. ibid.
Statio. 367
Statuliber. ibid.
Stellionatus. 368
Stipendium. 369
Stipulatio. 371

Supellex. 373
Taberna 374
Telum. 377
Territorium. 379
Teſtamentum. 381
Tignum. 383
Toga. ibid.
Tribunus. 384
Tributum. 385
Tritavus. 385
Triticiaria condictio. ib.
Triumviri nocturni. 387
Tugurium. ibid.
Turba. 388
Tutor. 392
Vecors. Veſanus. Urbs. 395
Vidua. 394

Cap. XL. *Eunuchi militare non poſſunt, idem Servi.* 400
Cap. XLI. Elices. Aquilices. Aquileges. Baryllium. *Servius emendatur.* 409
Cap. XLII. Ofilius ad Atticum. 413
Cap. XLIII. *De utroque Cajo, Juriſconſulto.* 415

ÆGI-

ÆGIDII
MENAGII
JURIS CIVILIS
AMOENITATUM
LIBER.

CAPUT I.

Qui ſint Dialectici apud Africanum in l. 88. ad L. Falcidiam.

QUi ſint Dialectici, de quibus Africanus l. 88. ad L. Falcid. his verbis: *Dixi τῶν ἀπόρων hanc quæſtionem eſſe, qui tractatus apud Dialecticos τοῦ ψευδομένου dicitur*, quæri ſolet inter Juris Studioſos. Cujacius tractatu ad Africanum, & libro Obſervationum XXVI. cap. 40. Stoicos eos eſſe dicit. Etiam Mauſſacus ad Harpocrationem. Et ſane Dialecticarum hujuſcemodi captionum fuit amantiſſima Porticus. Cicero Academicarum

quarto, ubi de Sorite & Pſeudomeno: *quas plagas ipſi contra ſe Stoici texuerunt.* Cleanthes quoque & Chryſippus, Stoicorum Principes, de Inexplicabilibus iſtis ſcripſerant, teſte Laërtio: ſic enim τὰ ἄπορα Latine non nimis incommode dici poſſe putat Gellius: & Cicero ita vertit: ſicque hanc vocem Auctor Veteris Gloſſarii interpretatur. Stoicos propterea Cicero libro de Divinatione ſecundo, contra Stoicos pro Epicuro diſſerens, *Dialecticos* appellat. *Hoc vos*, inquit, *Dialectici non facitis.* Sed tamen, niſi me mea conjectura fallit, Megaricos potius innuere voluit Africanus: Philoſophos ita appellatos, quod ab Euclide Megarenſi orti eſſent. Nam non modo captioſas iſtas argumentationes eos inveniſſe; quæ inde Μεγαρικὰ ζητήματα dicuntur Plutarcho in libro de Repugnantiis Stoicorum; verum & Dialecticos fuiſſe dictos, aperte ſcribit Laërtius iu Euclide. Verba Laërtii, quibus id ſcribit, hæc ſunt: ὗτος καὶ τὰ Παρμενίδεια μετεχειρίζετο, καὶ οἱ ἀπ᾽ αὐτοῦ Μεγαρικοὶ προσηγορεύοντο, εἶτ᾽ Ἐριστικοὶ, ὕστερον δὲ Διαλεκτικοί· οὓς οὕτως ὠνόμασε πρῶτος Διονύσιος ὁ Καρχηδόνιος, διὰ τὸ πρὸς ἐρώτησιν καὶ ἀπόκρισιν τοὺς λόγους διατίθεσθαι. *Is & Parmenidea tractavit, & qui ab eo profecti ſunt*, Megarici, *deinde* Litigioſi, *poſtremo* Dialectici *ſunt appellati: quos primus Dionyſius Carthaginienſis ſic ap*[illegible]*it, quod eorum ſermones interrogationibus, reſponſionibusque continerentur.* Et poſtea: τῆς δ᾽ Εὐκλείδου διαδοχῆς ἐστι καὶ

καὶ Εὐβυλίδης ὁ Μιλήσιος, ὃς καὶ πολλὺς ἐν διαλεκτικῇ λόγυς ἠρώτησε· τόν τε Ψευδόμενον, καὶ τὸν διαλανθάνοντα, καὶ Ηλέκτραν, καὶ Εγκεκαλυμμένον, καὶ Σωρείτην, καὶ Κερατίνην, καὶ Φαλακρόν. *Ceterum ex eorum numero, qui Euclidi ſucceſſerunt, Eubulides exſtitit Mileſius, cujus multa ſunt in Dialectica interrogationum genera: Mentiens, Fallens, Electra, Velata, Sorites, Ceratine, & Calva.* Plinius quoque in Proœmio Hiſtoriæ Naturalis a Stoicis Dialecticos diverſos facit. *Quoniam audio*, inquit, *& Stoicos, & Dialecticos, Epicureos quoque; nam de Grammaticis ſemper exſpectavi; parturire adverſus Libellos, quos de Grammatica edidi.* Item Priſcianus lib. 2. *Partes Orationis ſunt ſecundum Dialecticos duæ, Nomen & Verbum: ſecundum Stoicos vero, quinque ſunt, &c.* & Tertullianus in libro de Præſcriptione Hæreticorum: *Viderint qui Stoicum, & Platonicum, & Dialecticum, Chriſtianiſmum protulerunt.* Sed fortaſſe verius eſt, quod nunc mihi venit in mentem, & Stoicos, & Megaricos, & quoscumque alios, qui Dialecticis hujuscemodi Sophiſmatis utebantur, Dialecticorum nomine Africanum intellexiſſe.

CAPUT II.

Reſponſitare de Jure *non minus eſſe apud Ulpianum, quam* reſpondere.

QUi annos decem & ſeptem non in totum compleviſſet, prohibuit Prætor poſtulare: *quia moderatam hanc ætatem ratus eſt ad procedendum in publicum: qua ætate, aut paulo majore, fertur Nerva filius & publice de Jure reſponſitaſſe:* verba ſunt Ulpiani l. 1. D. de Poſtulando. Ad ea vir doctus, & de Juriſprudentia Romana bene meritus, Dionyſius Gothofredus obſervabat, *reſponſitare* minus eſſe quam *reſpondere*. Idem obſervatum Marano in Diſſertatione de Æquitate, ſive Juſtitia. Qua in ſententia fuiſſe video Choartium & Mornacium, Patronos Pariſienſes celeberrimos. *Notandum*, inquit Mornacius, *hoc verbum* reſponſitare. *Falluntur enim, qui putant ex hoc textu, Nervam ea ætate de Jure reſpondiſſe, qualiter hodie fieri ſolet ab antiquioribus & peritioribus Patronis. Sed* reſponſitavit de Jure, *id eſt, de certis partibus & regulis Juris antiqui, forſan* XII. *Tabularum. Quo more faciunt qui in Scholis Juris Civilis Poſitiones, ſeu Theſes quaſdam, prout e vaſto illo Jure Romano elegerint, propugnaturos, aſſertur sque ſe profitentur contra quoſcunque, qui oppugnare illas voluerint. Monuit me hoc Jacobus Choartius, Patronus fori conſultiſſimus, cui, cum ſit octogenario*

nario major, *ſingula certatim affundunt Muſæ*, *ut pretioſiorem eum ſemper faciat & foro & literis viridiſſima ſenectus.* Qui alios falli putat Mornacius, ipſe fallitur cum Choartio, Marano, & Gothofredo. *Reſponſitare de Jure* non minus eſt quam *reſpondere.* Gelius (ita enim vocandus, non Agellius) lib. XIII. cap. 10. ubi de Labeone Antiſtio, Principe Proculejanæ familiæ, &, ut eum Pomponius noſter appellat, Juriſconſulto maximæ auctoritatis: *Juris quidem Civilis diſciplinam principali ſtudio exercuit*, *& Conſulentibus de Jure publice reſponſitavit.* Cicero lib. 1. de Legibus: *Summos fuiſſe in civitate noſtra Viros*, *qui id interpretari populo*, *& reſponſitare ſoliti ſunt.* Ita legitur in plerisque editionibus; etiam Gruteriana, omnium emendatisſima. Immo, ſi vocabuli proprietatem ſpectes, plus videtur eſſe *reſponſitare de Jure*, quam *reſpondere:* nam cum *reſponſitare* ſit verbum ex iis, quæ *frequentativa* Grammatici appellant, ſignificat proprie *frequenter reſpondere;* cui contrarium: *raro reſpondere;* Juriſperitis minus honeſtum. Hinc jocus Ciceronis in epiſtola ad L. Valerium Juriſconſultum: *Qui iſtinc nunc veniunt*, *partim te ſuperbum eſſe dicunt*, *quod nihil reſpondeas: partim contumelioſum*, *quod male reſpondeas.* Et in alia, ad Trebatium, itidem Juriſconſultum: *Qui iſtinc veniunt*, *ſuperbiam tuam accuſant*, *quod negent te percunctantibus reſpondere.* Nec mirum profecto videri debet Nervam filium anno ætatis de-

cimo ſeptimo publice de Jure reſpondiſſe, cum anno decimo quarto Joſephus a Pontificibus & Urbis Primoribus de penitiori Legum ſenſu conſuli fuerit ſolitus, ut libro de Vita ſua ipſe teſtatur. Et inepte Ulpianus adnotaſſet, Nervam filium anno decimo ſeptimo publice de Jure reſpondiſſe, ſi propugnaſſe eum de Jure Theſes, aut Poſitiones, dicere voluiſſet; cum id facere ea ætate non res nova aut inſolens videri debeat. Anno ætatis decimo quinto Julius Armandus Colbertus, Johannis Baptiſtæ, Gallici Mecænatis Filius, Luteciæ nuper de Jure Poſitiones propugnavit: & tanta cum laude, ut inter honorarios Anteceſſores ibidem adſcriptus fuerit. Scribit Plinius *lib. V epiſtola 8.* ſe anno ætatis undeviceſimo cœpiſſe in foro dicere. Ipſe apud Andes cauſam oravi anno decimo octavo. At Jacobus Corbinus, factus Licentiatus quem vocant, anno duodecimo, Advocatus Pariſienſis anno decimo tertio, cauſam oravit in Senatu Pariſienſi anno decimo quarto. Et quidem erudite atque ornate; ut immerito in eum luſerit hoc carmine Martinettus, Patronus Pariſienſis doctiſſimus atque eloquentiſſimus:

Vidimus attonito puerum garrire Senatu.
Bis pueri, puerum qui ſtupuere Senes.

CAPUT

CAPUT III.

Peculium ***Gallis Ciſalpinis id erat, quod Græcis*** **παράφερνα.** **Petoritum, dunum, &** **murcus,** ***voces ſunt Latinæ, non Gallicæ.*** **Canthus & cuniculus,** ***voces ſunt itidem Latinæ, non Hiſpanæ.***

SCripſit Ulpianus l. 9. D. de Jure dotium: *Ceterum ſi res dentur in ea quæ Græci παράφερνα dicunt, quæque Galli* peculium *appellant.* Ad quem locum notat Dionyſius Gothofredus, *peculium* vocem eſſe Gallorum antiquam, ut *combenno, petoritum, alauda.* Sed fallitur vir doctus: eſt enim pura puta Latina: & eam Papinianus in l. 31. de Donationibus, eadem notione, ut Latinam, uſurpavit. Quare Philippus Loialtæus noſtras; vir etiam eruditus, & cui multum me debere profiteor; in Notis ad Auguſtinum contra Julianum, pro *Galli* legebat *alii.* Cave quid mutandum cogites. Per *Gallos*, non veteres Gallos, qui Galliam noſtram incolebant, ſed qui Togatam; quos *Ciſalpinos* Romani vocitabant; Ulpianus intellexit. Hi Latine loquebantur: verum plerasque voces Romanas aliter ac Romani uſurpabant. Ita vocabulum COMINUS; quod etiam Latinum eſt; alio ſenſu quam quo uſurpari ſolet, uſurpaſſe eosdem Gallos, di-

ſcimus ex Servio, ad hæc Virgilii, e primo Georgicorum :

Quid dicam, jacto qui ſemine comminus arva. Servii verba ſunt: COMMINUS. *Id eſt*, ſtatim, ſine intermiſſione. *Non eſt ergo* ex propinquo: *qui ſignificatus frequentiſſimus eſt in Ciſalpina Gallia: vulgo enim dicunt*, VADO AD EUM, SED COMMINUS. De eorundem Gallorum Lingua accipiendum quod ſcripſit idem Servius ad hæc 8. Æneidos, VIRGATIS LUCENT SAGULIS : *Quæ habebant in virgarum modum deductas vias. Et bene alluſit ad Gallicam Linguam, per quam* virgæ *purpura dicitur.* Virgatis *ergo, ac ſi diceret* purpuratis. Et quod ait Varro libro I. de Re Ruſtica cap. 32. *Ceteraque, quæ alii* legumina: *alii, ut Gallicani quidam*, legaria *appellant: utraque dicta a* legendo: *quod ea non ſecantur, ſed vellendo leguntur.* Hanc noſtram de voce *peculii* apud Ulpianum interpretationem probavit; quod permagni æſtimo; Carolus Annibal Fabrotus. *Ego potius accedo Ægidio Menagio, τῷ πάνυ: Gallos Ciſalpinos, qui Latine loquebantur, ea quæ extra dotem ſunt*, peculium *appellare:* inquit ille vir magnus in Enarratione Paratitli Cujaciani ad Titulum Codicis de Pactis conventis.

Falſus eſt quoque Gothofredus; ut hoc obiter dicam; qui PETORITUM vocabulum Gallicum antiquum exiſtimavit. Quem errorem erraſſe & Cujacium in dicto Paratitlo, diu eſt quod obſer-

obſervabam. Sed venia dignus error: cum & Varro, & Quintilianus, & Gellius, & vetus Horatii Interpres, id ipſum exiſtimarint. *Petoritum* Græcum eſt vocabulum, Æolica forma dictum. Æoles, quorum ſermoni Latinus ſermo ſimillimus fuit, *πέτορα* pro *τέσσαρα* dixerunt. Inde Oſci, populi Campaniæ, quorum lingua, ipſis deletis, diu viguit Romæ: nam Romæ, etiamnum Strabonis ætate, Oſca lingua Comœdiæ agebantur: quod ipſe teſtatur Strabo. Inde, inquam, *petoritum* Oſci vocarunt *τετρακύκλον* (occurrit hæc vox apud Athenæum) hoc eſt, currum qui quatuor rotas haberet: ut Latini *birotum* & *birotam*, (occurrunt hæ voces in Codice Theodoſiano) & Græci *δίτροχον*, qui duas: Oſcos enim *petora* pro *quatuor* dixiſſe, auctor eſt Feſtus. Tamen a Maſſilienſibus *τὸ petoritum* Gallos habuiſſe volebat Bochartus Geographiæ Sacræ libro 1. cap. 42. quorum dialectum Æolicam fuiſſe dicit, quod Phocæa, ex qua orti Maſſilienſes, urbs Æolidis fuerit. At vero Phocæam illam, urbem fuiſſe Ioniæ ſcribunt Herodotus, Stephanus, & Thucydidis Scholiaſtes. A Bocharto ſtat Ptolemæus, qui Phocæam, urbem Æolidis eſſe diſerte ſcribit. Fuiſſe urbem Ioniæ ultimam, aut Æolidis primam, volebat Hadrianus Valeſius in notitia Galliarum. Ionum legibus uſos Maſſilienſes dicit Strabo: ex quo colligere licet ab Ionibus potius quam ab Æolibus oriundos.

Similiter *τὸ* CANTHUS, pro ferro, quo rotæ

vinciuntur, Græcum quidem origine vocabulum, ab Hiſpanis uſurpatum, Hiſpanum falſo putavit Quintilianus. Qua de re conſulendus Caſaubonus ad Perſium.

Τὸ CUNICULUS; quod etiam Hiſpanum vocabulum dixerunt, Varro lib. III. de Re Ruſtica cap. 12. Plinius lib. VIII. cap. 55. Ælianus de Animalibus lib. XIII. cap. 15. & Galenus de Alimentorum facultatibus libro III. cap. 2. Græcum & ipſum eſt origine. *κύων*, *κυνὸς*, *κυνικὸς*, *cunicus*, CUNICULUS. Id eſt, *caniculus*, *κυνίδιον*. *κύων*, eſt quivis fœtus animalis: ab inuſitato ὕω, quod idem ac φύω, hoc eſt, *gigno*, *produco*, *edo*, *pario*: & a quo ipſum φύω, præpoſito φ, ut in φοξὸς, ab ὀξύς. Τὸ ὕω in uſu ea notione fuiſſe, teſtantur voces, *υἱὸς*, *filius*, & ὕλη, *materia*, *ſilva*, *ligna*. Ab ὕω autem, præpoſito cappa, dixerunt *κύων* de cane: ut σῦς & μῦς, præpoſito ſigma & my, de ſue & mure. Ita præpoſito ξ, dixerunt *ξύλον*, pro ligno, ab ὕλη, voce ejuſdem ſignificationis. Atque inde Latinis *materia*; id enim Græco ὕλη reſpondet; pro ligno ad ædificandum. Ulpianus lege 55. de Legatis 3. LIGNI *appellatio nomen generale eſt: ſed ſic ſeparatur, ut ſit aliquid materia, aliquid lignum. Materia eſt, quæ ad ædificandum, fulciendum neceſſaria eſt. Lignum, quidquid comburendi cauſa paratum eſt. Cuniculus* igitur, proprie & primario eſt fœtus animalis. Tranſiit poſtea ad *λαγιδεῦς γεωρύχους*, *lepuſculos terram fodientes*: ita cuniculos Strabo eleganter appel-

appellat. Cumque cuniculorum ferax eſſet Hiſpania, (unde *cuniculoſam Celtiberiam* dixit Catullus) τὸ *cuniculus* vocem eſſe Hiſpanam falſo creditum eſt. Non igitur animal a ſubterraneis meatibus, ut ſcripſere Varro & Plinius dictis locis, nomen accepit: ſed meatus ſubterranei ab animali dicti ſunt, ut recte Martialis:

Gaudet in effoſſis habitare cuniculus antris.
Monſtravit tacitas hoſtibus ille vias.

Inepte Iſidorus lib. XII. cap. I. *cuniculos* dictos ſcripſit, quaſi *caniculos*, eo quod canum indagine capiantur, vel excludantur ab ſpeluncis.

Falſo quoque τὸ DUNUM vocem eſſe antiquam Gallicam ſcripſit ex Clitophonte Plutarchus libro de Fluminibus: eſt enim Plutarchi liber ille, teſte Euſtathio. Quod ideo hic obſervamus, quia ejus libri editor Philippus Mauſſacus ſe Euſtathii teſtimonium invenire non potuiſſe ait. Verba ejus adſcripſi: *Liber de Fluviis qui hodie ſupereſt, nullum alium quam Plutarchum quemdam poteſt habere parentem. Teſtis Euſtathius, qui in verboſiſſimis ad Bœotiam Homeri, ſive Navium, in Iliad. 2. Catalogum, Commentarius, fragmentum adducit ex eo, ſub Plutarchi nomine. Ego non adhuc incidi in Euſtathii verba, quamvis admodum diligenter ejus integros Commentarios in Iliad. 2. pervolutarim, & percurrerim. Quare fidem Claudii Salmazii, viri profecto maximi & literatiſſimi, hic appello. Is dum una in Chriſtianiſſimi Regis aula verſaremur, & de futura hujusce opellæ edi-*

editione confabularemur, indicavit mihi hanc Euſtathii auctoritatem, ſanctєque juravit ſe olim hoc obſervaſſe, pro confirmanda hujus libelli epigraphe, quam putaverat aliquando rejiciendam. Locus Euſtathii eſt ad Iliados gamma, pagina 381. editionis Romanæ. *παρὰ Πλουτάρχῳ ἐν τῷ περὶ ποταμῶν.* Similia habet & ad Odyſſ. T. pag. 1854. Sed Plutarchus, auctor libelli de Fluminibus, alius eſt a Chæronenſi, ut recte Voſſius ad Melam, contra Mauſſacum, pag. 46. *Dunum* autem factum eſt ex Græco δοῦνος: quod pro βοῦνος, (id eſt, *collis, tumulus, clivus*) mutatione τοῦ Β in Δ, ut in ὀδελὸς, ex ὀβελός. Obiter hic obſervamus, Euſtathium dicta pagina 1854. obſervaſſe, βοῦνος vocem eſſe Libycam. Κεῖται δὲ καὶ ἐν Ηροδότῳ βάρβαρος λέξις Ὁ ΒΟΥ͂ΝΟΣ· Λιβυκὴ γάρ.

Similiter MURCUS, quod Gallicum vocabulum exiſtimaſſe Ammianum vult Cælius Rhodiginus lib. XVIII. cap. 21. & Jacobus Gothofredus ad legem quartam Codicis Theodoſiani de Filiis militarium, Latinum eſt. Verba Ammiani hæc ſunt: *Ad militandum omnis ætas aptiſſima:* loquitur de Gallis: *& pari pectoris robore ſenex ad procinctum ducitur, & adultus; gelu duratis artubus, & labore aſſiduo multa contemplaturus, & formidanda. Nec eorum aliquando quisquam; ut in Italia; munus Martium pertimeſcens, pollicem ſibi præcidit: quos localiter* murcos *appellant.* Ita ibi legendum ex editione Romana & Re-

Regio codice manu ſcripto; non *jocaliter*, ut vulgo legitur; exiſtimabat Henricus Valeſius. *Quos localiter* murcos *appellant: id eſt*, inquit ille, *Quos* murcos *more loci: quos* murcos *patria lingua appellant.* Ipſe Ammianus alibi; quæ eſt ejusdem Valeſii obſervatio: *Hic Bezæ Dei localiter appellati Oraculum quondam futura pandebat.* Occurrit autem vocabulum *murcus*, eadem notione, apud Innocentium, Pontificem Maximum, eo nomine Primum, epiſtola ad Felicem, Nucerianum Epiſcopum. Verba Innocentii infra ponere non gravabor. *Scripſiſti ergo, quod fervore fidei quo polles, & amore ſanctæ plebis, vel reparaveris Eccleſias Dei, vel novas quasdam conſtruxeris. Sed in his Clericos quos conſtituas, non habere: aliquos vero murcos, aliquos bigamos eſſe. Ad quod ſtupuimus, prudentem virum de his voluiſſe conſulere quæ omnibus ſunt certa ratione comperta. Ergo non quaſi ignoranti dicimus; ſed in aliis forſitan occupatos, iſtud oblitos vos eſſe dicimus. Qui igitur partem cujuslibet digiti ſibi ipſi volens abſcidit, hunc ad Clerum Canones non admittunt: cui vero caſu aliquo contigit, dum, aut operi ruſtico curam impendit, aut aliquid faciens ſe non ſponte percuſſit, hos Canones præcipiunt & Clericos fieri, & ſi in Clero fuerint reperti, non abjici.* Ita hoc loco legi debere, non *mutilos*, vel *mancos*, vel *minutos*; ut habent aliqui codices; teſtatur Auctor Hiſtoriæ Summorum Pontificum, quæ Luithprando tribui ſolet. Sic enim ille in Vita Innocen-

centii Primi: *De indulgentia Clericorum querimoniam facienti, cum aliquos murcos, aliquos digamos habere diceret, reſpondit, illum qui volens partem digiti ſui abſciderit, juxta Canones non poſſe admitti ad Clerum.* Fuit porro inſertum hoc Innocentii Primi reſponſum in priori Decreti parte, capite 6. diſtinctione 55. Sed ad rem. Plerique Romanorum, cum ad bellum cogerentur, pollices ſibi præ ignavia truncabant, ne militarent: eſt enim pollex digitorum maxime pollens: unde & *pollicem* Latinis dictum volunt, & Græcis ἀντίχειρα. Iſidorus in Originibus: *Primus digitus* pollex *vocatur, eo quod inter ceteros virtute polleat & poteſtate.* Attejus Capito apud Macrobium, Saturnalium lib. VII. cap. 13. ubi de geſtatione anuli: *Electus autem in ipſa lava manu digito minimo proximus; quaſi aptior ceteris; cui commendaretur anuli pretioſitas. Nam pollex, qui nomen ab eo quod pollet, accepit, nec in ſiniſtra ceſſat: nec minus quam tota manus ſemper in officio eſt: unde apud Græcos ἀντίχειρ vocatur, quaſi manus altera.* Galenus in Iſagoge: δακτύλων δὲ, ὁ μὲν μέγιστος ΑΝΤΙΧΕΙΡ καλεῖται, διὰ τὸ ὅλῃ τῇ χειρὶ ἄκρα συνεργοῦντα, ἴσον αὐτῷ δύνασθαι. Dubitari tamen poſſit, ut recte Voſſius in Etymologico, num ex eo dicatur quod quaſi pro manu ſit & inſtar reliquorum digitorum, an vero quod ſit digitis oppoſitus & ex adverſo ſitus. Ad *pollicis* vocabulum quod attinet, ipſe, ut hoc ſine fraude dicam, non a Latino

pol-

polleo, ſed a Græco πολλὸς, dictum puto. πολλὸς, πολλὴ, πολλὰ, πόλλαξ, *pollex.* πολλὸς, eſt *magnus*, *amplus*, *ſpatioſus*; quod pollici perbelle convenit; qui propterea μέγιςος Galeno, & Julio Polluci μέγας δάκτυλος appellatur. Eſt & *præſtans*, *potens*, *excellens*: quod & pollicis proprium, ut ex ſupra dictis apparet. Qui autem ut ad militiam inutiles eſſent, pollicem ſibi ſponte amputabant, Conſtantinus Imperator curiis civitatum addixit, lege 1. Cod. Theodoſ. de Filiis militarium Apparitorum & Veteranorum: nec non Valentinianus & Valens, lege 7. Codice & titulo eodem, & lege 4. dicto Codice, titulo de Tironibus. Curialium tanta fuerunt olim onera, ut qui ſcelus aliquod admiſiſſent, pœnæ loco cœperint Curialium collegio mancipari; & ut loquitur Juſtinianus Novella 123. τῇ βȣλῇ τῆς πόλεως παραδιδόναι. Sed & Gratianus, Valentinianus & Theodoſius de murcis illis, ad Eutropium, Præfectum Prætorio, in hæc verba reſcripſerunt, leg. 10. dicto titulo de Tironibus: *Qui ſpurca amputatione digitûm declinat uſum armorum, non evadat illa quæ vitat, ſed inſignitus macula, ferat impoſitum militiæ laborem, qui declinaverit. Ipſis quinetiam Provincialibus, qui ex horum auſis Juniorum ſæpe patiuntur penuriam præbendorum, hæc optio immobilis decernatur, ut tempore delectus agitandi, ubi commune cœperint conveniri, Diſpoſitionibus offerant.* Etiam Arrius Menander lege 4. D. de Re militari, eum qui filium debili-

bilitavit, delectu per bellum indicto, ut inhabilis militiæ eſſet, Edictum Trajani deportaſſe ait. At Valentinianus & Valens lege 5. Cod. Theod. de Tironibus, ſtatuerunt flammis ultricibus comburendum eum, qui ad fugienda ſacramenta militiæ, truncatione digitorum damnum corporis expetîſſet; & dominum ejus, qui non prohibuiſſet, gravi condemnatione feriendum: hoc enim utuntur verbo. Adde locum Suetonii in Aug. *Equitem Romanum, quod duobus filiis adoleſcentibus, cauſa detrectandi ſacramenti, pollices amputaſſet, ipſum, bonaque ſubjecit haſtæ*, Et Fortunatiani: *Decem milites tempore belli pollices ſibi amputaverunt, rei ſunt læſæ Reip.* Sed & Princeps noſter, Ludovicus Magnus, nuper Legem tulit, qua ſuſpendio damnantur, qui damnati ad triremes, ne ad triremes ducerentur, digitos ſibi amputaſſent. Ab ea pollicis truncatione Gallicum *poltron* dictum volunt, Savaro ad ep. 2. l. 1. Apollinaris, Burdelotus ad Petronium, Lindenbrogius ad Ammianum, Salmaſius de Trapezitico Fœnore, & Voſſius in Etymologico. Sed vox hæc noſtra omnino eſt ab Italica *poltrone:* Italica autem a Latina *pullus. Pullus pulli, pullitrus, pultrus, poltrus, poltro: poltro poltronis,* POLTRONE. Occurrit vox *pullitrus* apud Varronem lib. 3. de R. R. c. 9. ubi de ovis gallinarum: *Ea, quæ ſubjicias potius vetulis, quam pullitris.* Ita libri veteres teſte Scaligero: quam lectionem probat ipſe Scaliger, ad hunc locum, & Salmaſius ad Hiſtoriam

riam Aug. pag. 227. Inde *pultras* equulas Galli vocant. *Pullus*, eſt quivis animalium fœtus. Eſt & *puellus*: a quo, per ſyncopen, ipſum *pullus* deductum, ut quidam volunt: nam alii a πῶλος. A *pullus pulli*, *pullicus*, *pullicellus*, ſunt *pulcellus* & *pulcella*: unde noſtrum PUCEAU & PUCELLE. Τὸ *pullus* uſurpatum poſtea de amaſio. Feſtus: PULLUS JOVIS *dicebatur Q. Fabius*, (*cui* Eburno *cognomen erat*, *propter candorem*) *quod ejus natis fulmine icta erat. Antiqui puerum quem quis amabat*, *pullum ejus dicebant*. Similiter πῶλος Ἀφροδίτης, *pullus Veneris*, de meretrice juvencula apud Athenæum. Ab eo *pulli* ſignificatu, ſunt *pullarius* in Gloſſis; & *pullipremo* apud Lucillium; & *pullaria feles* apud Auſonium; pro puerorum compreſſore & corruptore; itemque *pullaria manus* apud Plautum, de manu σκιμαλίσαι ſolita. Ut vero ſunt pueri timidi & ignavi, vox *pullitrus* de timidis & ignavis tamdem uſurpata. Dantes in purgatorio cap. 24.

Come fan beſtie ſpaventate, e poltre.

POLTRE: id eſt, *timidæ*, *ignavæ*. *Poltrone* igitur, eſt timidus & ignavus ut juvenculus, ὃς οὐκ οἶδεν πολεμήϊα ἔργα, inquit Homerus. Hæc eſt vera vocis *poltrone* originatio, quam inſeri velim Originibus noſtris Gallicis & Italicis. Timidum & ignavum PULLAM, id eſt, *gallinam*, appellamus: ſed alia de cauſa: nempe quaſi feminam, non virum Ἀχαιΐδες, οὐκ ἔτ' Ἀχαιοί. *O veræ Phrygiæ, neque enim Phryges.*

Ad vocabulum *murcus* ut redeam, Latinum eſt, inquam: quod teſtatur diminutivum ejus *murcidus*, a Plauto in Epidico, actu 3. ſcena 1. pro ignavo & inerti, ut eam vocem Feſtus interpretatur, uſurpatum. *Væ tibi, homo murcide.* Ita ibi legendum; non *muricide*, quod volebat Scaliger ad Feſtum; docet analogia: nam ut recte Voſſius in Etymologico, a muribus cædendis, *muricida* diceretur, ut *homicida* & *parricida*, non *muricidus:* quamquam in Veteri Gloſſario, quod Onomaſticum nuncupatur, legere eſt, *muricidus*, μυοκτόνος. Τὸ *murcus* igitur Latinum eſt, ſed Græca origine. Voſſius in Etymologico, a μαλακὸς veroſimiliter ſic deducit: μαλακὸς, μαλκὸς, (quæ vox ab Heſychio recenſetur, & a qua *marcus* & *marcidus*) & Æolice μυλκὸς, (ut γλάφω, γλύφω, *ſcalpo* & *ſculpo*) *mulcus*, MURCUS. Syracuſii μύρκος de muto uſurparunt, teſte Heſychio. Malim tamen τὸ *murcus* ab inuſitato μόλος; id eſt, *mollis;* ſic ἐτυμολογίζειν: μόλος, μολοκός. μόλκος, *mulcus*, MURCUS. Ab eadem origine eſt MURCIA, *ſegnium Dea*, ut eam vocat Arnobius; aut *Dea marcoris*, ut eam Tertullianus appellat. Quam tamen Guietus ad Plauti Epidicum ἀπὸ τοῦ ὀκνὸς, ſic deducebat: ὀκνὸς, ὀκρὸς, ὀκρία, μοκρία, μορκία, MURCIA: ut ab ὀκνὸς, ὀκνιδὸς, ὀκριδὸς, μοκριδὸς, μορκιδὸς, MURCIDUS. Fruſtra ſunt Varro, Plinius, & Plutarchus, qui a murteto, quod Deæ ſacello proximum fuit, *Murciam*, pro *Murtiam*, dictam volunt. ¶ μόλος in uſu

fuiſſe,

fuiſſe, teſtatur Latinum *mollis*, quod ex eo factum, *μόλος*, *μόλλος*, (ut *πολὺς*, *πολλὸς*) *mollus*, *mollis*. *τὸ mollus* uſurpatum olim fuiſſe, patet ex *molluſcus*. Macrobius Saturnalium lib. II. cap. 14. PERSICUM, molluſca nux *dicitur*, *quod ceteris omnibus nucibus mollior ſit*. Inde & genus quoddam aceris, quod eſſet minus criſpum & intortum; & ideo mollioris materiæ; *molluſcum* Veteres appellarunt. Dixere autem *mollus* & *mollis*: ut *bilarus & bilaris*; *exanimus* & *exanimis*; *imberbus* & *imberbis*, *imbecillus* & *imbecillis*. Fruſtra eſt & Julius Scaliger, qui Exercitatione 134. contra Cardanum, *τὸ mollis* ab Aramæo *moim* deducere malebat. ¶ Ab eodem *μόλος*, eſt *τὸ morbus*. *μόλος*, *μόλιος*, *μόλιβος*, *μόλβος*, *molbus*, MORBUS. Ita a *μαλακὸς*, *μαλακίαν* pro morbo dixerunt Græci: qua de voce infra. Minus recte idem vir doctus Exercitatione 307. ſectione 32. *παρὰ μοῖραν βίου*: quaſi dicas *fatum vitæ*, quia ſit morbus via ad mortem. Quanto melius Voſſius a *μόρος*, ſignificante apud Heſychium *νόσος*? ¶ Ab eodem *μόλος*, eſt quoque *μολιβδὸς*, id eſt, plumbum. *μόλος*, *μόλιος*, *μόλιβος*, (quæ vox in uſu, & a qua Latina *plumbum*, per metatheſim) ΜΟΛΙΒΔΟΣ: quod ſit plumbum metallorum molliſſimum. ¶ *μόλος* autem factum ex *μόλω*, ſive *μολόω*: quod a *μόω*, ſive *μάω*, id eſt, *mollio*: nam *μάω* & *μόω* idem. Vocales in Linguis ſignificationem non mutare ſolitas, norunt Etymologici. Ceterum verbum *μολόω* in uſu

olim fuiſſe, teſtificatur ſubſtantivum *μολόχη*, quod pro *μαλάχη*, id eſt, *malva*, non uno in Scriptore reperitur.

Hæc, ni fallor, liquido oſtendunt verbum *μόω* in ſignificatione *molliendi* a Græcis olim uſurpatum. Nunc de *μάω*, quod idem eſt, videamus. Placet enim hoc loco, quamquam alieno, plurima ab hoc verbo derivata, &, ſi garrulus non videor, derivata a derivatis recenſere: tum ut ſpecimen aliquod mearum Græcæ Linguæ Radicum dem legentibus; (qui liber alius a noſtro ejusdem Linguæ Etymologico) tum ut eos confutem, qui nuper me hoc vocabulum in uſu fuiſſe affirmantem, jocum, luſumque habuerunt.

A *μάω* igitur ſunt hæc: *μάλω*, *μαλάω*, *μάλθω*, *μάσσω*, *μάττω*.

Derivata a μάλω.

A *μάω*, *μάλω*, *mollio*, eſt *μάλος*, *albus:* quia albi, molles, ut plurimum, & inertes: unde *ἀργὸς* qui *album* ſignat, ſignat & *pigrum*. *μάλλος*; quod idem ac *μάλος*; ea *albi* notione legitur apud Heſychium. ¶ Ab eodem *μάλω*, eſt inuſitatum *μάλος*, pro morbo. Atque inde Latinum *malum*, pro *ἀῤῥωςία*, ſive infirmitate: unde *malatus:* quæ vox in Veteribus Gloſſis. Item a *μάλω*, eſt *μαλὴ*, & *μάλις*, & *μαλιασμὸς*, & *malleus*, morbus jumentorum. Heſychius: *μαλή. τὸ περὶ τὰ ὑποζύγια πάθος, ὅτε βήττη.* Abſyrtus in Hippiatricis lib. 1. cap. 2. *ἔςι δὲ τὸ πάθος, ὃ καλοῦσιν οἱ πολλοὶ*

πολλοὶ ΜΑΛΙΝ· τινὲς δὲ, ΚΑΘΑΡΡΟΥΝ· Ῥωμαΐςὶ δὲ, ΣΟΥΜΠΕΡΙΟΝ. ἔςι δὲ τῇ ἀληθείᾳ, ἀρθρῖτις. Suidas: μαλιασμός· νόσος περὶ τὰς ὄνες γινομένη· ὅς ἐςι καθαῤῥὰς διὰ μυκτήρων, καὶ ςρόφος περὶ τὰς αὐτὰς. Fallitur Theomneſtus, qui μάλιν a voce μάλος, cum *album* ſignificat, dictam autumat. Verba ejus ſunt, itidem in Hippiatricis: Φέρεται διὰ μυκτήρων ἰχὼρ Φλεγματώδης, εἰς τὸ λευκὸν χρῶμα μεταβεβλημένος· ὅθεν καὶ ΜΑΛΙΝ τὸ πάθος καλᾶσιν, ἀπὸ τῆς χρόας τὴν ὀνομασίαν ἐπιθέντες. Fallitur & Vegetius Mulomedicinæ libro 1. cap. 2. qui *malleum*, morbum jumentorum cum tuſſiunt, appellatum putat a *malleo*, τῇ σφύρᾳ: quod is morbus mallei inſtar proſternit jumenti robur. *Morborum quidem*, inquit, *diverſæ ſunt ſpecies, ſed uno generali vocabulo continentur, quod ab Antiquis* malleus *appellatur: ipſa appellatione vim cladis, periculumque teſtante. Sunt autem mallei ſpecies numero ſeptem: humidus, aridus, ſubtercutaneus, articularis, elephantiaſis, ſubrenalis, farciminoſus.* Pro σεμπέριον, legendum videtur apud Abſyrtum ex hoc loco, σεβτερκουτάνιον. *Subtercutaneus* & *ſubtercutanius*, idem: ut *atherius* & *athereus*. Τὸ *malleus*, inquam, hac notione, eſt a μάλος, *morbus*; ſive μάλλος, quod idem eſt. μάλος, μάλις, μάλεως, μάλεος, μάλλεος, MALLEUS. Ita a voce Latina *morbus* Galli dixerunt MORVE. *Morbus*, *morba*, *morva*, MORVE. Et MORFONDU, a *morba*

funduto. *Funduere*, pro *fundere* dixit infima Latinitas. ¶ Ab eodem μάλος, eſt *malandria*, pro morbo equorum ſic dicto: unde *malandrioſus*, pro equo qui eo morbo laborat: quæ vocabula invenire eſt apud Marcellum Empiricum.

Derivata a μαλάω.

A μαλάω, eſt μάλαξ, *mollis*: quæ vox apud Etymologum, in βλάξ. A μάλαξ τȣ̃ μάλακος, eſt μαλακὸς, ὁ, *mollis*, *imbecillus*, *infirmus*: *unde* μαλακία pro morbo. Heſychius: μαλακία, νόσος. μαλακίζεσθαι, ἀσθενῶς διακεῖσθαι. ¶ Item a μαλάω, eſt μαλάσσω, ſeu μαλάττω, *mollio*. Inde μάλαγμα, pro eo quod fingendo emollitum eſt. Inde & τὰ μαλάχια, ſive μαλάχεια, piſces cartilaginei, qui oſſa non habent; ut ſepia; qui & σελάχη, quod eorum cutis luceat, alio nomine dicuntur. Inde & μαλάχη pro *malva*. Appulejus volumine de Plantis: Appuleji eſſe hoc volumen, teſtis Servius ad hæc Virgilii Georgicorum lib. 2. TARDUMQUE SAPOREM FELICIS MALI: *Malvam molliendi diſſolvendique naturam eſſe ſolitam. Græco vocabulo licet credas: nam ἀπὸ τȣ̃ μαλάσσειν nomen accepit.* Atque inde malvæ *leves* dictæ Horatio, & *molles* Martiali. ¶ Item a μαλακὸς, eſt μαλάκιος; quod vocabulum exſtat: & a μαλάκιος, μαλακίων: unde nomen *Trimalcionis* apud Petronium.

Deri-

Derivata a μάλθω.

A *μάλθω*, eſt *μάλθα*, pix mixta cum cera; cera mollis; cera ſubacta; *κηρὸς μεμαλαγμένος*; ut eam vocem Galenus, Heſychius, Harpocration & Suidas interpretantur. Inde limum ſtagni in urbe Commagenæ Samoſata, *maltham* appellarunt: qua de re Plinius lib. 2. cap. 104. Inde & *μάλθα* Julio Polluci, pro cera, qua tabella Judicum illinebatur. A *maltha* autem, eſt *malthana*, quod *πισσόκηρον* in Veteri Gloſſario exponitur. Inde & *μαλθώδεα* apud Hippocratem, pro *μαλακτικὰ* & *κηρώδη*. ¶ Ab eodem *μάλθω*, eſt *maltha* & *μάλθων*, pro molli, & nebulone, aut tenebrione. Nonius Marcellus: MALTAS, *Veteres* molles *appellari voluerunt a Græco, quaſi μαλθακός. Lucillius libro* XXVII. Inſanum vocant, quem maltam ac feminam dici vides. Suidas: Μάλθων. ὁ γύνανδρός τε, καὶ Μάλθων τύραννος. ἀντὶ τοῦ ἔκλυτος. Veteres Gloſſæ Philoxeni: *Nebulo.* μάλθων. ὁ τὰ ἴδια λάθρα καταφαγών. εἰκαῖος. λάθρα ἄσωτος. Inde ignavum, qui uſum armorum declinarat, *tenebrionem* dixit Varro apud Nonium Marcellum. NEBULONES *&* TENEBRIONES *dicti ſunt, qui mendaciis & aſtutiis ſuis nebulam quamdam & tenebras objiciant: aut quibus ad fugam fugitivis & furta hac erant accommodata, & utilia, &c. Varro* Γεροντοδιδασκάλῳ: Manius Curius, Conſul, Capitolio quum de-

lectum haberet, nec citatus in tribu civis reſpondiſſet, vendidit tenebrionem. ¶ Ab eodem *μάλθω*, eſt *Malthinus*, nomen hominis mollis & effeminati apud Horatium. *Malthinus tunicis demiſſis ambulat.* Erat enim ſignum molliciei ſic incedere. Seneca de Mecænate: *Non ſtatim hæc cum legeris, hoc tibi occurret, hunc eſſe qui ſolutis tunicis in urbe ſemper inceſſerit.* ¶ A *μάλθω*, eſt quoque *μαλθάω*: unde *μαλθακὸς*, *mollis*; & Μαλθάκη, nomen meretricis, apud Athenæum libro XIII.

Derivata a μάσσω.

A *μάσσω*, *ſubigo*, *ſubigendo mollio*, eſt *μάζα*, *maza*, *pollenta.* Item *maſſa:* quod primario & proprie de farina ſubacta uſurpatum. Gloſſæ Veteres: *maſſa.* *μάζα, φύραμα.* A ſimilitudine, maſſam auri, argenti, ferri, &c. dixerunt poſtea. ¶ Ab eodem *μάσσω*, eſt *μασσάω*: unde *μασσάλω*; a quo *μασσάλιος*; a quo *μασσαλιώτης*. Atque inde eſſe puto, quod Maſſilienſes, gens ſevera & fortis, & cujus fortitudinem ac ſeveritatem mirifice collaudant M. Tullius, Strabo, Valerius Maximus, alii, molles audierunt. Plautus in Caſina, actu V. ſcena 4.

Ubi tu es, qui coluiſſe mores Maſſilienſes poſtulas?

Ita ibi legendum, non *colere*, poſtulat metri ratio: eſt enim verſus Trochaicus ſeptenarius. Athenæus libro XII. Μασσαλιῶται ἠθηλύνθησαν.

ἀσχη-

ἀσχημονοῦσι γοῦν διὰ τὴν ἐν ταῖς ψυχαῖς μαλακίαν· διὰ τρυφὴν γυναικοπαθοῦντες. ὅθεν καὶ παροιμία παρῆλθεν, Πλεύσαις εἰς Μασσαλίαν. *Maſſilienſes imbelles ſunt & effeminati: ob animorum molliciem turpibus vitiis ſe contaminantes: ut qui præ voluptatis ſtudio, etiam muliebria patiantur. Unde hoc inolevit proverbium,* MASSILIAM NAVIGES. Suidas: ΕΚ ΜΑΣΣΑΛΙΑΣ ΗΚΕΙΣ. ἐπὶ τῶν θηλυδριῶν, καὶ τεθρυμμένων. παρόσον ἐκείνους φασὶ θηλύτερον στολίζεσθαι, μεμυρισμένους, καὶ τὰς τρίχας ἀναδουμένους, καὶ διὰ ταύτην τὴν μαλακίαν ἀσχημονεῖν. MASSILIA VENIS. *De effeminatis & delicatis. Maſſilienſes enim ferunt muliebrem in morem veſtiri, delibutos unguentis, & colligatis capillis, eaque mollicie turpiter ſe gerere.* Etiam Apollinaris Sidonius Carmine 23. ubi de Petronio Arbitro:

Et te Maſſilienſium per hortos,
Sacri ſtipitis, ARBITER, *colonum,*
Helleſpontiaco parem Priapo.

Hæc enim figurate dicta ſunt, quod recte Petrus Pithœus & Johannes Savaro obſervarunt: & cave accedas Jano Douſæ & Henrico Valeſio, qui ex hoc Sidonii loco Petronium natione Gallum fuiſſe contendunt. Ad hanc autem *Maſſiliæ* ἑτυμότητα reſpexit Florus Epitomes Rerum Romanorum lib. IV. cap. 2. cum ait, *Maſſilia, Gracula civitas, non pro mollicie nominis, & vallum rumpere, & incendere machinas auſa, & congredi*

 navi-

navibus: quæ verba ſententiam noſtram mire adſtruunt. *Maſſiliam* tamen a μάσσος, id eſt, *magnus*, (qua de voce Heſychius & Galenus in ſuis Gloſſariis) dictam volebat vir Etymologiarum peritiſſimus Franciſcus Guietus, in Notis ad Stephanum; quod non improbo. Neque enim a mollicie Maſſiliam dictam fuiſſe contendo: quamquam urbem in Iberia Μαλάκην dictam invenio: ſed quia μασσαλία mollitiem denotat, Maſſilienſes pro mollibus habitos fuiſſe arbitror. Ridicule Stephanus, ex Timæo, Maſſiliam ab Æolico μᾶσαι, quod eſt *ligare*, δῆσαι, & a voce ἁλιεὺς, quod eſt, *piſcator*, dictam cenſuit. Eum vide.

Derivata a μάττω.

A μάττω, *ſubigo*, *ſubigendo mollio*, ſunt ματτύα, pro cibo delicato; & ματτυάζειν, pro delicate vivere: ut Athenæus libro XIV. qui ibi videndus.

Murcus igitur Græcos natales habet: & Latina vox eſt, non Gallica. Sed & Latinam quoque; quæ eſt Henrici Valeſii obſervatio; eam dixit Ammianus. *Nec Gallorum aliquando quiſquam, ut in Italia, munus Martium pertimeſcens, pollicem ſibi præcidit, quos jocaliter* (potior mihi videtur hæc lectio) murcos *appellant.* Hæc ſcilicet poſtrema verba ad Italos, non ad Gallos, referenda. *Murcos*

cos Itali jocaliter appellant, qui munus Martium pertimeſcentes, pollicem ſibi præciderint. Hæc eſt mens Ammiani. Quid enim iſto nomine, aliove, Galli eos appellent, apud quos nemo umquam ſibi per ignaviam, & ſubterfugiendæ militiæ cauſſa, pollicem præcidit? In eadem qua Valeſius, ſententia, fuiſſe videtur & Iſacius Pontanus, qui in Gloſſario ſuo Priſco-Gallico, ſeu de Lingua Gallorum veteri, vocem *murcus* non retulerit.

CAPUT IV.

Tentata olim emendatio in definitione Juſtitiæ. Achilles Tatius, & Suidas emendantur.

JUſtitiam Juriſconſulti conſtantem & perpetuam voluntatem jus ſuum cuique tribuendi vere appellarunt: qui enim ſemel quid inique egit, licet cetera juſte, juſtus dici minime poteſt. Ut veriſſime dixerit Sophocles in Oedipo Tyranno, tempore ſolo virum juſtum demonſtrari. Χρόνος δίκαιον ἄνδρα δείκνυσιν μόνος: κακὸν δὲ, κἂν ἐν ἡμέρᾳ γνόιης μιᾷ. Id eſt, *Tempus enim virum bonum demonſtrat ſolum: Malum vero, vel una die, cognoveris.* Recte autem in Notis prioribus ad Theophilum Fabrotus obſervabat, Auctores Græcos legiſſe *tribuens*, non *tribuendi*, in definitione Juſtitiæ, quam ex Ulpiano protulit Tribonianus in l. 10. D. de Juſtitia & Jure, & in Inſti-

Inſtitutionibus, Titulo eodem. Verterunt enim, δικαιοσύνη ἐςὶ ςαθηρὰ βϐλησις καὶ διηνεκὴς, ἑκάςῳ τὸ ἴδιον ἀπονέμϐσα δίκαιον. Cicero quoque in libro de Finibus v. *Juſtitia eſt animi affectio ſuum cuique tribuens.* Et Alcuinus in Arte Rhetorica: *Juſtitia eſt habitus unicuique tribuens propriam dignitatem.* Theophilum, apud quem νέμϐσα legitur, nihil moror: deeſt enim, quod jam monuit Fabrotus, Titulus ille de Juſtitia & Jure in omnibus Theophili codicibus manu exaratis: eſtque Græce a Viglio redditus, ut ipſe Viglius teſtatur in Epiſtola ad Carolum V. Imperatorem. Exiſtimavi olim Ulpianum in dicta l. 10. & Tribonianum in Inſtitutionibus, *tribuens* ſcripſiſſe: quemadmodum legitur in dicta lege decima in libris vulgatis, teſte Lud. Ruſſardo. Exiſtimavi, inquam, olim, ſic ibi legendum; & τὸ ί, quod utrobique ſequitur; denotans ſcilicet primum paragraphum, quem vocant, coaluiſſe cum voce *tribuens*, quæ præcedebat; ex quo factum eſſet *tribuenſi* primum, deinde *tribuendi.* Ita apud Achillem Tatium libro 1. τὸ ν́, nota numeri quinquageſimi, coaluit cum voce præcedenti ἐςὶ, in his verbis, καὶ γὰρ εἰς τὴν προθεσμίαν τῶν γάμων χρόνος ἐςὶν ἡμερῶν. *non enim niſi poſt dies nuptiæ fient.* Deeſt numerus dierum. Scripſerat Achilles Tatius, χρόνος ἐςὶ ν́ ἡμερῶν, id eſt, *poſt dies quinquaginta.* Quam veram & ingenioſam emendationem acceptam refero Emerico Bigotio, homini probo & docto, & bonorum librorum apprime ſtudioſo: qui & apud

apud Suidam, ubi de Origene, λέγεται δὲ, ὅτι ϛάς βίβλους συντάξατο, monuit me ſcribendum ex Manuſcripto Bibliothecæ Regiæ, ὅτι ϛ´ τὰς βίβλους. Id eſt, 6000. *librorum.* Inepte Interpres: *dicitur autem quod ſtans libros conſcripſerit:* quamquam, qui ſtantes & ſcribant & legant, plurimos novi. Firmabat Bigotius emendationem ſuam auctoritate Epiphanii, qui in Hæreſi LXIV. id ipſum de Origenis librorum numero teſtatur. εἰ γάρ ἐστιν ἀληθὲς, ὃ περὶ σοῦ ᾄδεται, ὅτι ἑξακισχιλίους βίβλους συνεγράψω. *Si enim verum eſt, quod de te percrebuit, ſex librorum millia a te eſſe conſcripta.* Idem vir doctus apud eundem Lexicographum, in ἄρουρα, pro eo quod vulgo legitur ὅτι ἡ ἄρουρα πόδας ἔχειν, ex eodem codice πόδας ἔχει ν´ veriſſime emendabat. Atque hæc obiter. Sed cum in laudata l. 10. *tribuendi* quoque agnoſcant Pandectæ Florentinæ, in quibus nulla eſt per numeros diviſio ſectionum iſtarum, quas Græci vocant θεμάτια; *paragraphos* vulgo appellamus; mutavi ſententiam: ut qui, cum Cujacio, a ſcriptura horum librorum; quos Juſtiniani ipſius autographum Politianus & Budæus exiſtimabant; & a quibus cetera manaſſe exempla volebat Antonius Auguſtinus; non temere recedendum exiſtimem.

CAPUT

CAPUT V.

An Juriſconſultus fuerit, nomine Tuſcianus. De Mæciano J. C. quædam non vulgaria. Marcus Antoninus emendatur. Notatur Bertrandus.

QUis ſit Tuſcianus ille Juriſconſultus, de quo Pomponius l. 2. de Origine Juris, nemo, puto, facile dixerit. Tuſcianum quemdam commemorat Suidas, ſed ſtrictim. Τυσκιανὸς, inquit, ῥήτωρ δεινότατος. At nihil Rhetor ille ad Juriſconſultum. Nomen hoc apud Pomponium depravatum fuiſſe veroſimile eſt. Bertrandus emendare tentabat *Tuſcius Fuſcianus.* Tuſcius quidam Fuſcianus ſub Hadriano vixit, & ſub Pio Legatus Numidiæ fuit: & ad eum exſtat ipſius Hadriani Conſtitutio, in l. 7. (quæ eſt Tryphonini) D. de Legatis præſtandis. Fuit & Sejus Fuſcianus, Senatorii vir ordinis; Marci Imperatoris condiſcipulus; Conſul iterum ſub Commodo; & Præfectus Urbi ſub Pertinace: de quo Capitolinus in Marco, Lampridius in Commodo, & Tertullianus in Apologetico. Sed cum, neque is, neque ille, inter Juriſconſultos reponantur: & præterea Sejus Fuſcianus Pomponio, (ſcripſit is ſub Hadriano) junior videatur, quam ut ejus inter Juriſconſultos Pomponius meminerit; accedo lubens Antonii Auguſtini ſententiæ, qui libro de Pro-

Propriis Nominibus Pandectarum, ſcribendum putat *Macianus* in dicta l. 2. Is eſt L. Voluſius Mæcianus: de quo ſtatui hoc capite diſſerere. Eo uſum Conſiliario Antoninum Pium, ſcribit Capitolinus in Pio: *Multa de Jure ſanxit, uſusque eſt Juris peritis, Vinidio Vero, Salvio Valente, Voluſio Maciano, &c.* Et Pium ipſe *ſuum* vocat, l. 42. de Fideicommiſſariis libertatibus: *Antoninus Auguſtus Pius noſter.* Recte igitur Antoninum illum Imperatorem, de quo Mæcianus in lege *ἀξίωσις*, ſub titulo de Lege Rhodia de jactu, de Antonino Pio accipiendum conjiciebat Maranus ad hunc titulum. ¶ Fuit & M. Aurelii in Jurisprudentia præceptor, teſte eodem Capitolino in Marco: *Studuit & Juri, audiens L. Voluſium Macianum.* Quare apud Marcum libro 1. τῶν εἰς ἑαυτὸν; ubi eos per quos profecit, enumerat; pro παρὰ Μαρκιανοῦ, (cum Marcianum inter Marci præceptores nemo recenſeat) lego una mutata literula, ρ in ι, παρὰ Μαικιανοῦ. Lubricus ſane error, & qui non raro in libris occurrit. Atque etiam ea ipſa in voce a Librariis peccatum fuit non ſemel. Perperam quippe, ut ad dictam legem *ἀξίωσις* de Lege Rhodia obſervat Jacobus Gothofredus, *Marcianus* pro *Macianus* ſcriptum eſt in Inſcriptionibus legis XI. de Publicis Judiciis, & legis 45. de Religioſis: nec non in Inſcriptione legis 14. de Senatusconſulto Silaniano, in quibusdam exemplaribus. Idem error in nonnulla exemplaria irrepſit in Inſcriptione legis 42.

de

de Fideicommiſſariis libertatibus. *Marcianus libro 7. Fideicommiſſorum.* Quo loco Bertrandus; ubi de Marcello; legendum putabat, *Marcellus libro 7. Fideicommiſſorum:* quia ſcilicet Marcianus ſub Alexandro vixit: auctor vero dictæ legis Pium Imperatorem appellat *ſuum: Antoninus Auguſtus Pius noſter.* Sed omnino ibi legendum, ut in Pandectis Florentinis legitur, *Mæcianus libro 7. Fideicommiſſorum.* Scripſit libros Fideicommiſſorum Mæcianus, non item Marcellus. De Mæciano dicere porro ut pergam, exſtat ad eum, apud Ulpianum lege 17. de Jure Patronatus, hoc Fratrum Imperatorum præclariſſimum Reſcriptum: *Voluſius Mæcianus, amicus noſter, & Juris Civilis præter veterem & bene fundatam peritiam anxie diligens, religione Reſcripti noſtri ductus, ſicut coram nobis affirmavit, non arbitratum ſe aliter reſpondere debere. Sed cum & ipſo Mæciano & aliis amicis noſtris Juris peritis adhibitis plenius tractaremus, magis viſum eſt*, &c. A Lampridio tamen inter Conſiliarios Alexandri & Diſcipulos Papiniani ponitur. Verum hoc nomen ibi *νοθέυει*, ut multis ad Lampridium docent Caſaubonus atque Salmaſius: de quo etiam monuerant antea, Antonius Auguſtinus in Notis ad librum, de Propriis Nominibus Pandectarum, & Jacobus Cujacius in Obſervationibus. Ceterum, Caſſianæ ſectæ videtur fuiſſe Mæcianus, quantum ex ſcriptis ejus colligere licet. Certe, Julianum qui Caſſianus fuit, *ſuum* appellat in lege

lege 30. ad L. Falcidiam, & in 86. de Conditionibus & demonſtrationibus. Atque ejus ſententiam probat in l. 1. ad SCtum Trebellianum: *Et Julianus ſcribit: quod & Mæcianus probat.* Ideoque Juliano poſteriorem exiſtimamus. Et tamen a Pomponio; ſi vera eſt Antonii Auguſtini conjectura, *Mæcianus* pro *Tuſcianus* legentis apud Pomponium l. 2. de Orig. Juris; ante Julianum recenſetur. *Javoleno Priſco ſucceſſit Aburnus Valens, & Mæcianus, item Salvius Julianus.* Quæ Antonii Auguſtini conjectura minus mihi propterea placeret, niſi ſimiles in dicta lege occurrerent, pluribus in locis, Pomponii ἀνιϛοϱησίαι. Quapropter Ludovicus Charondas Antiquitatum Romanarum libro 1. cap. 12. hanc legem a Triboniano ex variis Juris Auctoribus ſub Pomponii nomine magna ex parte concinnatam fuiſſe exiſtimabat. Pergamus. Mæciani meminit honorifice Ulpianus l. 16. ad SCtum Trebellianum; *Nam, ut eleganter Mæcianus libro ſexto Fideicommiſſorum ait. Suum* ipſe vocat Vindium Juriſconſultum, l. 32. ad Legem Falcidiam. Præter Fideicommiſſorum libros XVI. ſcripſit & Publicorum, ſive de Publicis Judiciis, libros XIV. quorum in Indice Juſtinianeo mentio. Scripſit & Librum Singularem ad Legem Rhodiam: idque Græce, ut apparet ex dicta l. ἀξίωσις, quæ ex eo libro deſumpta eſt. Citatur Mæcianus *libro tertio Quæſtionum de Fideicommiſſis* apud Ulpianum in l. 72. de Uſufructu, & quemadmodum

ſervitutes amittantur. Quos libros a Fideicommiſſorum libris alios eſſe putabat Bertrandus. Ego non diverſos crediderim. Idem Antonio Auguſtino videbatur. Citatur & *libro Quæſtionum* apud Papinianum in l. 86. de adquirenda vel omittenda hereditate: ſed qui non alius quoque a libris Quæſtionum de Fideicommiſſis. Scripſit præterea Mæcianus ad quemdam Cenſorem de Aſſis diſtributione Libellum, quem ad calcem Codicis Theodoſiani edendum olim curavit Jacobus Cujacius, & nuper Fredericus Gronovius ad calcem doctiſſimi ſui de Seſtertiis Commentarii. Eum ante Inſtitutiones Juſtinianeas legendum ſuadet Jacobus Gothofredus in Bibliotheca Juris: quod habuit a Cujacio. Ita enim Cujacius in Commentariis ad l. 21. §. 2. de Annuis legatis: *Voluſius Mæcianus, Juriſconſultus, in libro illo ſingulari & pulcherrimo de Aſſe, qui Juris Studioſis prius addiſcendus eſt, quam Inſtitutiones. Et meo judicio ſane temere accedunt ad Juris diſciplinam, quibus non bene nota eſt diſtributio aſſium.*

CAPUT. VI.

Emendatur Lex 13. D. de Statu Hominum.

SCriptum eſt a Marciano in l. 9. ſub titulo: Qui, & a quibus manumiſſi. *Nec ille liber fieri poteſt, qui a Domino non eſt defenſus in capitali*

tali crimine, poſteaque abſolutus eſt. Similia habet Hermogenianus in l. 13. De Statu Hominum: *Servus in cauſa capitali fortunæ judicio a Domino commiſſus, etſi fuerit abſolutus, non fit liber.* Sed hic legendum contendimus *fortunæ judicii:* non enim ſermo eſt de Servo quem ſorti, ſed de eo quem aleæ judicii commiſit Dominus. *Fortunam judicii* dixit Hermogenianus: item Quintilianus libro x. capite 1. *Nec fortuna modo Judicii, ſed etiam ipſorum qui orant, periculo afficimur,* quo modo *fata cauſarum* Theodoſius l. 3. C. de Legibus, & Leo atque Anthemius l. 14. C. de Advocatis diverſorum Judiciorum. Ita & *diſceptationis fata* in Cod. Theod. Tit. de Appellationibus. Hæc adnotaveram, cum incidi in Scholia Baſilicorum ad dictam legem 13. in quibus ſcriptum inveni, Ὀικέτης ἐπὶ κεφαλικῷ ἐγκλήματι κατηγορούμενος, καὶ τῇ τύχῃ τοῦ δικαστηρίου πρὸς ἐξέτασιν παρὰ τοῦ δεσπότου δοθεὶς, κἂν ἀπολυθῇ, μένει οὐδὲν ἧττον δοῦλος τοῦ πρώην δεσπότου· καθὸ μὴ εἰς νόξαν, ἀλλ' εἰς ἐξέτασιν αὐτὸν δέδωκεν ὁ δεσπότης. *Servus rei capitalis accuſatus & fortunæ judicii ad quæſtionem a Domino datus, etſi fuerit abſolutus, manet nihilominus prioris Domini, quia non in noxam eum dedit Dominus, ſed ad quæſtionem.* Unde apparet *fortunæ judicii* Græcos quoque legiſſe in dicta lege. Vulgatam lectionem fruſtra Cujacius Obſervat. lib. XXVI. cap. 27. ex his Valerii verbis lib. VI. cap. 6. adſtruebat: *Crediderim*

 tunc

tunc ipſam Fidem, humana negotia ſpeculantem, mæſtum geſſiſſe vultum; perſeverantiſſimum ſui cultum iniquo fortunæ judicio tam acerbo exitu damnatum cernentem. Itemque ex illis lib. IX. cap. XI. *Minor corporis viribus fretus, in amentia perſtitit: initoque certamine, pertinacior impietas fortunæ judicio morte multata eſt:* ſiquidem Valerius de ſorte, non de Judicum ſententia, ibi ſermonem habet.

CAPUT. VII.

De Licinio Rufino Juriſconſulto. Notantur Cujacius & Bertrandus.

QUibus temporibus Juriſconſulti veteres vixerint, quid ſcripſerint, qui fuerint, Juris Studioſus noſſe debet. Vixit Licinius Rufinus Juriſconſultus Pauli Juriſconſulti temporibus: hoc eſt, ſub Alexandro Severo Imperatore: ſiquidem per epiſtolam conſuluiſſe Paulum conſtat, ex his verbis, *Licinius Rufinus Julio Paulo;* quæ legere eſt apud Paulum ipſum l. 4. Quibus ad libertatem proclamare non licet. Scripſit Regularum libros, ex quibus pleraque monumenta in Digeſtis paſſim occurrunt. Hos numero XII. fuiſſe diſcimus ex Auctore Indicis, qui Pandectis præfixus eſt: Ρȣφίνȣ *Regularion* βιβλία δεκαδύο. Citatur tamen tertius decimus in inſcriptione legis

gis 14. de Re Judicata: quare alterutrum locum mendoſum eſſe neceſſe eſt. Chriſtianum fuiſſe, ait Cujacius Obſervat. lib. VII. c. 2. ſed nullo addito argumento. At in Recitationibus ad Paulum, hæc habet: *Licinius Rufinus in l. 4. D. Quibus ad libert. proclamare non licet, conſulit Paulum Juriſconſultum peritiſſimum. Is vero eſt Licinius Rufinus, qui contulit Leges Dei cum Legibus Populi Romani: fuit enim Chriſtianus: & illa Collatio, quæ non ita dudum edita eſt, habet nomen Licinii Rufini.* Chriſtianum fuiſſe, ait quoque Bertrandus in ejus Vita: probatque, quod Collationem Legum Moſaicarum & Romanarum ſcripſerit. At Licinium Rufinum, Scriptorem illius Collationis, alium eſſe ab hoc noſtro Licinio Rufino certiſſimum eſt. Illic enim referuntur Conſtitutiones ex tribus Codicibus; Gregoriano, Hermogeniano & Theodoſiano; quas Licinius Rufinus, Julii Pauli Juriſconſulti æqualis, legere per ætatem non potuit: quod miror viros perſpicaciſſimos, Cujacium & Bertrandum, non vidiſſe. Adde, quod Licinium Rufinum dictæ Collationis Auctorem eſſe non ſatis conſtat: vel ipſo Petro Pithœo teſte, qui illam publicavit. Ita enim ille in Notis ad hunc Scriptorem: *Inaudieram equidem fuiſſe ex priſcis Scriptoribus aliquem, qui cum Moyſis Legibus Romanas contuliſſet: ac memini Joh. Tilium, antiquæ eruditionis hominem, cum de veterum Juriſconſultorum reliquiis ſermo eſſet, narrare ſolitum, habuiſſe ali-*

quando ſe ejus operis fragmenta pauca, quibus ille Licinii Rufini nomen tribuebat. An ex conjectura, an potius ex veteris libri fide, non ſatis ſcio. Illud affirmare liquet, quæ nunc damus ex antiquiſſima Sequanorum, aut Mandubiorum potius, Bibliotheca, in qua per annos octingentos & amplius latuerunt, non eſſe Licinii Rufini, cujus nomine ad Julium Paulum in libris noſtris Conſultatio inſcripta eſt; ac, ut, quod ſentio, dicam, non fuit tanti hæc Collectio, quæ aut Licinii, aut Juriſconſulti alicujus paulo clarioris, ingenium & acumen deſideraret. Ceterum Cujacius, Licinii Rufini, ut Auctoris Collationis Legum Moſaicarum, præter locos memoratos, meminit & libro XIII. Obſervat. cap. 10. & 16. & lib. XIV. cap. 4. & lib. XXI. cap. XI. Etiam Caſaubono, in Notis ad Spartianum, ejusdem Collationis Auctor dicitur in Hadriano idem Licinius.

CAPUT VIII.

Quid ſit Caſcelii Liber Benedictorum. *Scipio Gentilis, Mornacius, & Cujacius refelluntur.*

QUæritur quid ſit Caſcelii, ſive Caſcellii, *Liber Benedictorum*, apud Pomponium l. 2. §. 45. de Origine Juris. Benedicta illa de dicteriis & ſalibus accipiebat Mornacius ad dictam legem. Mornacii interpretationem juvant hæc Cice-

Ciceronis lib. 2. de Oratore: *Dicere ajunt Ennium, flammam a Sapiente facilius ore in ardente opprimi, quam bona dicta teneat. Hæc ſcilicet bona dicta quæ falſa ſint: nam ea* dicta *appellantur proprio jam nomine.* Sed quid dicteriis & ſalibus cum Jurisprudentia? Scipio autem Gentilis libro I. Parergorum ad Pandectas cap. 38. putabat eo Caſcelii libro indicari acutas & argutas Caſcelii de Jure reſponſiones atque ſententias; quoniàm fuerit is in loquendo inprimis argutus. Gentili aſſentitur Thomas Papilio in Commentariis ad legem 2. de Origine Juris. Caſcelium autem argutum in loquendo inprimis fuiſſe, probabat Gentilis Macrobii auctoritate: cujus hæc ſunt verba Saturnalium libro 2. *Caſcellius Juriſconſultus, urbanitatis miræ libertatisque habebatur. Præcipue tamen is jocus ejus innotuit. Lapidatus a populo Vatinius, cum Gladiatorium munus ederet, obtinuerat ut Ædiles edicerent, ne quis in arenam niſi pomum miſiſſe vellet. Forte his diebus Caſcellius conſultus a quodam, an nux pinea pomum eſſet, reſpondit,* SI IN VATINIUM MISSURUS ES, POMUM EST. Vatinium tanto odio habuit Populus Romanus, ut *Vatinianum odium* pro magno Catullus uſurparit. *Pomi* autem appellatione nuces contineri, quorumdam fuit opinio. Plinius libro XV. cap. 22. ubi de nucibus: *Solum hoc pomum natura compactili operimento clauſit.* Quin & pomi appellatione nuces ipſas pineas contineri, ipſe Plinius exiſtimavit. Cum

enim; fuit id Salmaſio obſervatum; hunc titulum capiti nono dicti libri decimi quinti dediſſet, *omnium pomorum genera & naturæ*, a nucibus pineis incipit. Qua in ſententia fuit quoque Bilbilitanus ἐπιγραμματοποιὸς, eo quo nuces pineas loquentes facit, diſticho:

Poma ſumus Cybeles. Procul hinc abſiſte, Viator,
Ne cadat in miſerum noſtra ruina caput.

Immo & *pomi* appellatione omnes arborum fructus δενδρῖτας contineri, quorundam fuit opinio. Heſychius: Μῆλον, παντὸς δένδρου καρπός· ἐξαιρέτως δὲ, τῆς μηλέας. Idem: Μῆλον. πᾶς καρπός. Canones Apoſtolorum ſectione 4. ἡ ἀλλὴ πᾶσα ὀπώρα εἰς οἶκον ἀποστελλέσθω ἀπαρχὴ τῷ Επισκόπῳ, καὶ τοῖς Πρεσβυτέροις· ἀλλὰ μὴ πρὸς θυσιαστήριον. *Omnium aliorum pomorum primitiæ Epiſcopo & Presbyteris domum mittuntor: non ſuper altare.* Ita recte hunc locum vertit Haloander. Gloſſæ Veteres: *ὀπώρα, pomum.* At vero *pomi* appellatione nuces non contineri, putabat Paulus l. 205. titulo de Verborum ſignificatione. *Qui fundum vendidit, pomum recepit. Nuces, & ficos, & uvas duntaxat duracinas & purpureas, & quæ ejus generis eſſent, quas non vini cauſa haberemus; quas Græci τρωξίμους appellarent; recepta videri.* Pergit Scipio Gentilis: *Ejusdem Caſcelii eſt illa arguta reſponſio, quam Fabius narrat, his verbis libro* VI. *capite de Jocis:* Cui frequentiſſimam dat occaſionem ambiguitas: ut Caſcelio,

qui

qui Conſultori dicenti, NAVEM DIVIDERE VOLO, PEDES, INQUIT. *Ambiguitas eſt in Conſultoris verbis, & Caſcelii. Nam vocabulum* navis, *non ignoramus adhiberi interdum ad ſignificandas illas cavas partes, quas qui dividit, naufragium facere ſolet: non Arabicæ, aut Sabææ mercis*, &c. *Hinc intelligis ambiguitatem quoque in verbo* pedes. *Sed & verbum* dividere *proximum eſt verbo* viſire, *quod* pedere *ſignificabat.* In vitioſos Fabii Codices incidit Gentilis. Scripſerat Fabius; & ita diſerte ſcriptum eſt in omnibus ejus quos vidi codicibus; vidi autem quamplurimos; *Navem dividere volo: Perdes, inquit.* Quæ lectio his Macrobii, loco laudato, confirmatur: *Mercatori quemadmodum cum ſocio navim divideret, interroganti, reſpondiſſe traditur Caſcellius*, NAVIM SI DIVIDIS, NEC TU, NEC SOCIUS HABEBITIS. Conſultor intelligebat de dividenda navis æſtimatione, Caſcellius de dividendo navis corpore. Quod Labeonem, qui Antiochum bello ſuperaverat, feciſſe, auctor eſt Valerius libro VI. Is ſcilicet, icto fœdere, quum dimidiam navium habere debuiſſet, dimidias omnes ſecuit, ut tota Antiochum claſſe privaret. Sed nec veroſimile, Caſcelium, virum Juris ſcientia clarum, ut eum Valerius appellat, quæ jocoſe & facete Conſultoribus reſpondiſſet, in volumen retuliſſe. Legebam olim *Liber Beneficiorum.* Ita Reipub. temporibus Liber dicebatur, in quem qui Provincias

adminiſtraſſent, Romam reverſi, referebant quos ad munus aliquod promoverant, ut alicubi Cicero, ſi bene memini, teſtatur. Fuit & Auguſti temporibus *Liber Beneficiorum*, in quo deſcripti, qui agri, & quibus Colonis eſſent diviſi. Meminit Hygenus, Auguſti Libertus, in libro de Limitibus conſtituendis. *Libros æris*, inquit, *& typum totius perticæ linteis deſcriptum ſecundum ſuas terminationes, adſcriptis affinibus, tabulario Cæſaris inferemus: & ſi qua beneficia conceſſa aut aſſignata Coloniæ fuerint, ſive in proximo, ſive inter alias civitates, in Libro Beneficiorum adſcribemus.* Auguſti tempora Caſcelius attigit. Potuit etiam a Caſcelio inſcribi *Liber Beneficiorum*, Liber qui Cæſaris & Auguſti beneficia contineret. De his beneficiis mentio in l. 191. de Regulis Juris; in l. 4. de his, qui notantur infamia; in dicta l. 2. §. ult. de Origine Juris; & in l. 1. de Cenſibus. Meminit & Frontinus lib. 2. de Aquæductibus, & Lampridius in Alexandro Severo. Ita, inquam, ipſe olim legebam. Nunc nihil muto: & *Benedicta* ſimpliciter accipio de his quæ bene, proprie, atque accurate dicta ſunt. Juriſconſultos circa proprietatem vocum laboraſſe notat Quintilianus. Ex hoc Caſcelii Benedictorum libro deſumptum fuiſſe, quod in l. 158. de Verborum ſignificatione ex Caſcellio Celſus profert, belliſſime ergo conjiciebat Bertrandus. Celſi verba ſubjiciam: *In uſu Juris frequenter uti nos Caſcellius ait ſingulari appellatione, cum plura generis ejuſdem ſignificare*

vel-

vellemus: nam multum hominem veniſſe Romam, *&* piſcem vilem eſſe *dicimus &c.* Et quod ex eodem Caſcellio refert Ulpianus in l. 1. Quod vi aut clam: ubi poſtquam quid ſit *vi factum*, vel *clam factum*, interpretatus eſt, addit: *Sed & ſi contra teſtationem denuntiationemque fecerit, idem eſſe Caſcellius & Trebatius putant.* Verum id conjicere non difficile fuit Bertrando; cum Pomponius dicto loco teſtetur, Caſcelii ſcripta non exſtare, niſi unum Librum Benedictorum: ſint autem Celſus atque Ulpianus Pomponio ætate poſteriores. Quare minus vere, meo quidem judicio, de Aulo Caſcelio Cujacius ad l. 2. de Origine Juris accipiebat quod de Aulo dicitur ab Ulpiano in l. 17. de Heredibus inſtituendis: *Quod ſi quis dupondium diſtribuit, & tertium ſine parte inſtituit, hic non alium aſſem, ſed in trientem venit, ut Labeo 4. Poſteriorum ſcripſit: nec Ariſto, vel Aulus, utpote probabile, notant.* Addo; quæ eſt Bertrandi obſervatio; quod numquam alibi Caſcelius, Aulus tantum nominatur. Deinde, Caſcelium, Labeone antiquiorem, ad Labeonis ſcripta Notas ſcripſiſſe dici quî poteſt? Bertrando igitur adſentior, pro *Aulus* ibi *Paulus* legenti, quemadmodum in Codicibus Fradini ſcriptum fuit. Sic quoque in ceteris vulgatis. Quin & Politianus Pandectas Florentinas exſcribens, ſcripſit & ipſe, *Nec Ariſto, vel Paulus, utpote probabile, notant:* addidit autem in ora libri, *Ariſto & Paulus ſcripta Labeonis notaverunt: proque probabilibus*

libus accipit Ulpianus, quæ ab eis notata non ſunt. Ex quibus verbis Bologninus, dum ea Ulpiani eſſe putat, ineptam quamdam ſententiam confecit. Ex qua tandem; ut Antonius Auguſtinus Emendationum libro & capite 3. obſervavit; hanc Haloander ſcripturam effecit, *Ut Labeo libro 4. Poſteriorum ſcripſit. Sed & Ariſto & Paulus ſcripta Labeonis probaverunt: proque probabilibus accepit Ulpianus quæ ab eis notata non ſunt.* adſcripſit vero de ſuo, hæc verba eſſe Triboniani. Item de ſuo *dupondium* pro *aſſe* ſcripſit. En correctorum audaciam! Ut veriſſime Timon Nicenſis, rogatus ab Arato, Homeri correctore, qua ratione quis germanam Homeri poëſim comparare poſſet, Arato reſponderit, ſi quis in antiqua exemplaria, & nondum correcta, incidiſſet. Haloander autem, vir licet undecumque doctus, & qui præclara multa de Jure ſcripſit, tot locos Pandectarum corrigendo corrupit, ut neſcias plusne obfuerit quam profuerit Juris Scientiæ. Sed ad propoſitum. Hæc lectio *nec Ariſto, vel Paulus, utpote probabile, notant,* ratione ipſa confirmatur: ſcripſerat enim Paulus librum ad Labeonem, hoc titulo, *Labeonis Pithanon, a Paulo epitomatorum.* Quare Bertrandus pro his verbis, *ut Labeo libro 4. Poſteriorum ſcripſit,* legendum exiſtimabat in dicta lege 17. de Heredibus inſtituendis, *ut Labeo libro 4. Pithanon ſcripſit.* Sed nihil opus hac emendatione: nam Paulus in libris Poſteriorum; potuit quoque Labeonis notaſſe opinionem. Antoni-

tonius Auguſtinus, acutiſſimi vir ingenii & doctrinæ ſingularis, in libro de Propriis nominibus Pandectarum, accedit & ipſe eorum ſententiæ, qui in dicta lege 17. pro *vel Aulus*, legendum exiſtimant *vel Paulus:* Sed melius, meo quidem judicio, *nec Paulus*, quam *vel Paulus* in ea legeretur.

Ad Ariſtonem quod attinet, videtur etiam ad Labeonem quædam notaſſe, ut præter hunc locum; ex quo Antonius Auguſtinus dicto libro de Propriis Nominibus Pandectarum, pag. 14. Notas Ariſtonis in Labeonem commemorat; conjicere eſt ex his Ulpiani in l. 5. ſub titulo: Quod vi aut clam, *Et hæc ita Labeonem probare Ariſto ait.*

Quod ſi *Benedicta* in lege Pomponii, generaliter accipere quis velit pro laudabiliter dictis; pro recte effatis; cum hoc mihi non erit pugna. Nam & eo ſenſu *bene dicta* uſurpaſſe videtur Quintilianus libro 2. capite 8. *Accedit his & jucunda in ſermone bene a quoque dictorum relatio, & in cauſis utilis. Nam & plus auctoritatis afferunt ea, quæ non præſentis gratia litis ſunt comparata, & laudem ſæpe majorem, quam ſi noſtra ſint, conciliant.* Et Symmachus: *Quodam pacto ſocietatem laudis affectare creditur, qui aliena bene dicta primus enuntiat.*

CAPUT

CAPUT IX.

Vinearum an vita longa. Arborum appellatione vineæ continentur.

CUm de vetuſtate vinearum quidam Colonus quereretur, ob idque remiſſionem poſtularet, non eſſe rationem ejus habendam reſcripſit Antoninus Imperator, in hunc modum: *Novam rem deſideras, ut propter vetuſtatem vinearum remiſſio tibi detur:* quæ Papiniani ſunt verba in l. 15. §. 4. D. Locati. Hiſpani quoque communi proverbio Domum paternam, Vineam avitam laudant: *Caſa de padre, Vinna de abuelo.* Tamen Theophraſtus, diligentiſſimus Scriptor, cap. 14. libri IV. Hiſtoriæ Plantarum; quo loco de longitudine vitæ arborum diſſerit; inter arbores μακροβίους, vites ne nominat quidem. Dicet aliquis: de longitudine vitæ arborum hoc loco Theophraſtus diſſerit; vineæ autem arbores non ſunt, ut ait Columella, ſed medium quoddam genus inter arbores & frutices. Unde Virgilius arbori vitem opponit.

> *Forſitan & ſcrobibus quæ ſint faſtigia quæras.*
> *Auſim vel tenui vitem committere ſulco.*
> *Altior, ac penitus terræ defigitur arbos.*

Immo Theophraſtus vineas inter arbores recenſet: quas inter etiam recenſendæ. Plinius lib. XIV. cap.

cap. 1. *Vites jure apud Priſcos magnitudine quoque inter arbores numerabantur.* Horatius:

Nullam, Vare, ſacra vite prius ſeveris arborem.

Et Alcæus; a quo Horatius accepit:

Μηδὲν ἄλλο φυτεύσῃς πρότερον δένδρεον ἀμπέλω.

Ut veriſſime ſcripſerit Ulpianus l. 1. D. de Arboribus cædendis, *Arboris appellatione etiam vites, continentur:* & Gajus l. 2. Arborum furtim cæſarum, *Eos qui arbores, & maxime vites, ceciderint, etiam tamquam latrones puniri.* At Theophraſtus non ſolum inter arbores μακρoβίους, vineas non recenſet, ſed etiam inter βραχυβίους, fertiliores recenſet. Βραχύβια δὲ, inquit, καὶ ἀμπέλων ἔνια γένη, καὶ μάλιστα τὰ πολύκαρπα. *Genera quoque vitium nonnulla vitæ brevis habentur: potiſſimum quæ fæcundiſſima ſunt.* Idem legas apud Plinium lib. XVI. cap. 44. *Breviſſima vita eſt, punicis, fico, malis: & ex his præcocibus brevior quam ſerotinis; dulcibus quam acutis; & dulciori in punicis. Item in vitibus, præcipueque fertilioribus.* Et apud Columellam lib. IV. cap. 2. *Nonnulli magna potius, quam culta vineta poſſidere pulcrum eſſe ducunt. Cognovi jam plurimos, qui perſuaſum haberent agrum bonis ac malis rationibus colendum. At ego, cum omne genus ruris, niſi diligenti cura, ſciteque exerceatur, fructuoſum eſſe non poſſe judicem, tum vel maxime vineas: res enim eſt tenera, infirma, inju-*

injuriæ maxime impatiens, quæ plerumque nimio labore, & ubertate conſumitur, peritque, ſi modum non adhibeas, fœcunditate. Quod mirum, cum vineæ ſiccis locis, & collibus, præcipue conſerantur: ſint autem longæviores, quæ ſiccis locis proveniunt arbores, quam quæ humidis aut aquoſis, ut Theophraſtus dicto loco obſervabat. Addit Columella: *Cum tamen aliquatenus ſe confirmavit, & veluti juvenile robur accepit, negligentiam ſuſtinet. Novella vero dum adoleſcit, niſi omnia juſta perceperit, ad ultimam redigitur maciem; & ſic intabeſcit, ut nullis deinde impenſis recreari poſſit, &c.* Vineæ igitur arbores ſunt teneræ atque infirmæ, ſed quæ ſi feliciter adoleverint, contra æſtus & frigora firmiſſimæ, annos tolerent. Græcinus (Is, Plinio teſte, de Vineis ſcripſerat, & Celſum tranſcripſerat) auctor eſt, teſte eodem Plinio, ſexagenis annis duraſſe vites. Sed præter vinearum illam vitam, aliquanto longiorem, aliæ quoque erant rationes; & potiores, meo quidem judicio; propter quas Colono de vetuſtate vinearum querenti remiſſio fieri non debuit: vini bonitas ſcilicet, (vetuſtæ enim vineæ quam novellæ generoſius vinum ferunt) & propagines; quarum beneficio vineæ omnium arborum maxime longævæ exiſtimandæ, ut nonnulli, ſi fides Theophraſto, exiſtimandas crediderunt. Verba Theophraſti, ſi quis ea deſideret, hæc ſunt, loco laudato: *τινές φασὶ τὰς ἀμπέλους μακροβιωτάτους εἶναι, τῷ μὴ φύσιν ἑτέρας, ἀλλ' ἐξ αυτῶν*

τῶν ἀεὶ συναναπληρῦσθαι. *Vites omnium maxime longævas quidam putant, quoniam non alias creent, ſed ex ſe repleantur.* Immo & quaſi immortales habendæ. Ita Euſtathius ad hunc verſum Iliados Π, ubi de Pegaſo equo:

> Ὃς καὶ θνητὸς ἐὼν ἕπεθ' ἵπποις ἀθανάτοισι,
>
> *Qui & mortalis exiſtens, ſequebatur equos immortales,*

equos *immortales* a Poëta dictos obſervabat, quod eorum proles ſeminis, ſucceſſionisque beneficio propagetur: δυναμένυς σπείρειν, καὶ τῇ διαδοχῇ ὥσπερ ἀθανατίζεσθαι. Etiam Ariſtoteles lib. 2. de Anima cap. 4. poſtquam dixit, unumquodque aliud ſibi ſimile procreare: animal quidem, animal; plantam autem, plantam; addit, ἵνα τῦ ἀεὶ καὶ θείυ μετέχωσιν, ᾗ δύνανται. *Ut perpetuo exiſtant, conditionemque ſubeant, quoad poſſint, divinam.* Hanc immortalitatem, ὑποσκευαςὴν, hoc eſt, *acquiſitam*, Proclus appellat.

Sed quod de propagatione vitium ſupra diximus, admonet nos, ut obiter hoc loco Venuleji verba in lege ultima ſub titulo Pandectarum, Quod vi aut clam, emendemus. *Si vitem meam ex fundo meo in fundum tuum deprehenderis, eaque in fundo tuo coaluerit, utile eſt interdictum quod vi aut clam intra annum. Sed ſi annus præterierit, nullam remanere actionem: radices, quæ in fundo meo ſint, tuas fieri, quia his acceſſiones ſint.*

D Quid

Quid eſt *vitem deprehendere? Depreſſeris* legitur in Editione Haloandri: quod recte Gloſſa *propagaris* interpretatur. Et hanc lectionem; quod eadem voce in eamdem rem uſus ſit Cato capite 32. de Re Ruſtica; probat omnino Dionyſius Gothofredus. Eam quoque potiorem ducunt Hieronymus Magius in Miſcellaneis, & Janus a Coſta ad Juſtiniani Inſtitutiones. Catonis verba ſunt: *Arbores facito uti bene maritæ ſint, viteſque uti ſatis multæ afferantur: & ſicubi opus erit, de arbore dejiciantur, & in terram deprimantur.* Addo Columellam lib. III. cap. 18. *Quare pangendi optima eſt ratio recti malleoli, cujus imum caput, cum conſertum eſt bifurco paſtini, anguſtis faucibus ferramenti facile continetur, ac deprimitur: idque ſarmentum ſic depreſſum, citius coaleſcit* Et Virgilium in Georgicis:

Quod ſupereſt, quæcumque premes virgulta per agros,
Sparge ſimo pingui, & multa memor occule terra.

Nam ibi *premes*, eſt *infodies premendo:* Nonius Marcellus de Varia ſignificatione ſermonum, voce *preſſum:* PREMERE. deponere. Virgilius Georgicorum libro 2. *Quod ſupereſt, quæcumque premes virgulta per agros.* Seneca epiſtola 86. *Ad olivetum revertor; quod vidi duobus modis diſpoſitum. Magnarum arborum truncos circumciſis ramis, & ad unum redactis pedem, cum ſcapo ſuo tranſtulit; amputatis radicibus, relicto*

lito tantum capite ipſo, ex quo illæ pependerant. Hoc fimo tinctum, in ſcrobem dimiſit: deinde terram non aggeſſit tantum, ſed calcavit, & preſſit. Negat quidquam eſſe hac, ut ait, Spiſſatione efficacius: videlicet frigus excludit, & ventum. Addo & Gajum l. 7. §. 13. de acquirendo rerum dominio: *Si alienam plantam in meo ſolo poſuero, mea erit. Ex diverſo, ſi meam plantam in alieno ſolo poſuero, illius erit: ſi modo utroque caſu radices egerit. Antequam enim radices ageret, illius permanet, cujus & fuit. His conveniens eſt, quod ſi vicini arborem ita terra presſerim, ut in meum fundum radices egerit, meam effici arborem.* Gaji verba non intellexit Tribonianus, qui ea in Inſtitutionibus Juſtiniani ſub titulo de Rerum diviſione, §. 31. exſcribens, ſcripſit: *Adeo autem ex eo tempore, quo radices agit planta, proprietas ejus commutatur, ut ſi vicini arbor ita terram Titii preſſerit, ut in ejus fundum radices egerit, Titii effici arborem dicamus.* Sed fortaſſe; quæ eſt Hieronymi Magii libro Miſcellaneorum IV. cap. 7. opinio; ſcripſerat Tribonianus: *Ut ſi vicini arborem ita terra Titius preſſerit, ut in ejus fundum radices egerit;* quam quidem ſcripturam Scriptor Librarius eo quo nunc leguntur modo, mutaſſe videtur propter τὸ *ejus*, quod ignorabat poſitum ibi pro *ſuum.* Has voces promiſcue uſurpatas, diſces ex Budæi Commentariis de Lingua Græca. Budæi teſtimoniis innumeris innumera alia addere cum poſſem, unicum addam ex Ul-

D 2 piano

piano l. 23. §. 2. de acquirendo rerum dominio: *Generaliter dicendum eſt, quod ex re ſua, hoc eſt, ejus, cui bona fide quis ſervit, ei adquirere non poteſt, ſibi eum adquiſiturum. Quod autem non ex re ejus ſibi adquirere non poteſt, ei adquiſiturum, cui bona fide ſervit.*

CAPUT X.

De Mariti lenocinio, Adulterarum viros ordinari non potuiſſe.

MAriti *lenocinium lex coërcuit, qui deprehenſam uxorem in adulterio retinuit, adulterumque dimiſit,* ait Ulpianus l. 29. ad L. Juliam de adulteriis. *Debuit enim uxori quoque iraſci, quæ matrimonium ejus violavit. Tunc autem puniendus eſt maritus, cum excuſare ignorantiam ſuam non poteſt, vel adumbrare patientiam prætextu incredibilitatis.* Et deinde: *Qui quæſtum ex adulterio uxoris ſuæ fecerit, plectitur: nec enim mediocriter delinquit, qui lenocinium in uxore exercuit. Quæſtum autem ex adulterio uxoris facere videtur, qui quod accepit, ut adulteretur uxor. Sive enim ſæpius, ſive ſemel accepit, non eſt eximendus: quæſtum enim de adulterio uxoris facere proprie ille exiſtimandus eſt, qui aliquid accepit, ut uxorem pateretur adulterari meretricio quodam genere. Quod ſi patiatur uxorem delinquere, non ob quæſtum, ſed negligentiam, vel culpam, vel quandam*

dam patientiam, *vel nimiam credulitatem*, *extra legem poſitus videtur.* Proferam hic ſpeciem ex Sancto Auguſtino, in qua maritus, qui ob quæſtum paſſus fuerat uxorem adulterari, non ſolum contra leges humanas non deliquit, ſed ne contra divinas quidem, ſi ſtamus ſancti Doctoris judicio. Verba Auguſtini ſunt lib. 1. de Sermone Domini in Monte cap. 16. *Rurſum quæritur*, *utrum*, *ſi uxoris permiſſu*, *ſive ſterilis*, *ſive quæ concubitum pati non vult*, *adhibuerit ſibi alteram vir*, *non alienam*, *neque a viro ſejunctam*, *poſſit eſſe ſine crimine fornicationis. Et in hiſtoria quidem Veteris Teſtamenti invenitur exemplum.* (Innuit hiſtorias Abrahami & Jacobi, qui uxorum conſenſu cum ancillis rem habuerunt.) Pergit Auguſtinus: *Sed nunc præcepta majora ſunt*, *in quæ per illum gradum generatio humana pervenit. Tractanda illa ſunt ad diſtinguendas ætates diſpenſationis divinæ providentiæ*, *quæ humano generi ordinatiſſime ſubvenit*, *non autem ad vivendi regulas uſurpandas. Sed tamen*, *utrum*, *quod ait Apoſtolus:* Mulier non habet poteſtatem corporis ſui, ſed Vir; Similiter & Vir non habet poteſtatem corporis ſui, ſed Mulier, *poſſit in tantum valere*, *ut permittente Uxore*, *quæ maritalis corporis poteſtatem habet*, *poſſit Vir cum altera*, *quæ nec aliena uxor ſit*, *nec a viro disjuncta*, *concumbere. Sed non ita eſt exiſtimandum*, *ne hoc etiam femina*, *viro permittente*, *facere poſſe videatur: quod omnium ſenſus excludit. Quamquam nonnullæ*

cauſa poſſint exiſtere, ubi & Uxor, Mariti conſenſu, pro ipſo Marito hoc facere debere videatur: ſicut Antiochiæ factum eſſe perhibetur ante quinquaginta ferme annos, Conſtantii temporibus. Nam Acindynus, tunc Præfectus, qui etiam Conſul fuit, cum quemdam libræ auri debitorem Fiſci exigeret; neſcio unde commotus; quod plerumque in iſtis poteſtatibus pernitioſum eſt, quibus quod libet, licet, aut potius putatur licere; comminatus eſt, jurans & vehementer affirmans, quod ſi certo die quem conſtituerat, memoratum aurum non exſolveret, occideretur. Itaque cum ille teneretur immani cuſtodia, nec ſe poſſet debito illo expedire, dies metuendus imminere & propinquare cœpit. Et forte habebat uxorem pulcherrimam, ſed nullius pecuniæ, qua ſubvenire poſſet viro: cujus mulieris pulchritudine cum quidam Dives eſſet accenſus, & cognoviſſet Maritum ejus in illo diſcrimine conſtitutum, miſit ad eam, pollicens pro una nocte, ſi ei miſceri vellet, ſe auri libram daturum. Tum illa, quæ ſe ſciret non habere ſui corporis poteſtatem, ſed virum ſuum, pertulit ad eum, dicens, paratam ſe eſſe pro marito id facere, ſi tamen ipſe conjugalis corporis dominus, cui tota illa caſtitas deberetur, tamquam de re ſua pro vita ſua vellet id fieri. Egit ille gratias, & ut id fieret, imperavit; nullomodo judicans adulterinum eſſe concubitum, quod & libido nulla, & magna mariti charitas, ſe jubente & volente, flagitaret. Venit mulier ad villam illius divitis: fecit quod voluit impudicus.

Sed

Sed illa corpus non niſi marito dedit, non concumbere, ut ſolet, ſed vivere cupienti; accepit aurum. Sed ille, qui dedit, fraude ſubtraxit quod dederat, & ſuppoſuit ſimile ligamentum cum terra. (Id eſt, ſimilem ſaccum ligatum: ſimilem δέσιν) *Quod ubi mulier, jam domi ſua poſita, invenit, proſiluit in publicum, eadem mariti charitate clamatura, quod fecerat, qua facere coacta eſt. Interpellat Præfectum: fatetur omnia: quam fraudem paſſa eſſet, oſtendit. Tum vero Præfectus primo ſe reum; quod ſuis minis ad id ventum eſſet; pronuntiat; tamquam in alium ſententiam diceret, de Acindyni bonis auri libram Fiſco inferendam; illam vero mulierem dominam in eam terram, unde pro auro terram accepiſſet, induci. Nihil hic in alteram partem diſputo: liceat cuique æſtimare quod velit: non enim de divinis auctoritatibus deprompta hiſtoria eſt: ſed tamen narrato hoc facto, non ita reſpuit hoc ſenſus humanus, quod in illa muliere viro jubente commiſſum eſt, quemadmodum antea, cum ſine ullo exemplo res ipſa poneretur, horruimus.* Acindynus ille; ut hoc obiter dicam; Septimius Acindynus dicebatur. Conſul fuit ſub Conſtantino, Conſtantio & Conſtante, cum Valerio Proculo. Atque his Conſulibus occiſus eſt Conſtantinus junior, ut teſtantur Faſti Conſulares, qui Idatio Epiſcopo tribuuntur. Porro in ſpecie a S. Auguſtino propoſita, adhibenda diſtinctio, quam ad caput *Diſcretionem*, titulo Decretalium de Eo qui cognovit conſanguineam uxo-

uxoris ſuæ, profert Nicolaus Tudiſcus, Cataneus; *Panormitanum* vulgo appellant. Verba ejus ſunt: *Dominus Antoninus dixit, quod ſi vir eſt occaſio delicti mulieris invitæ, non imputatur mulieri, ut hîc. Si vero fuit occaſio mulieris non invitæ, tunc, quoad Deum, non ſit excuſata, ex quo non compellatur. Sed, quoad virum, fuit excuſata, & contra eum potuit replicari. Et hæc diſtinctio videtur de mente Johannis Andreæ, & Hoſtienſis: qui referunt quæſtionem Bartholomæi Brixienſis de quodam ægrotante, ad cujus preces uxor concubuit cum Medico, numquid poſſit adulterium objicere. Concluditur quod non: ex quo ipſe fuit cauſa. Et vide Gloſſ. 32. quæſt. 7.* CONCUBUISTI. Notandum autem, quod ait Ulpianus, quæſtum de adulterio uxoris facere proprie illum exiſtimandum, qui aliquid accepit, ut uxorem pateretur adulterari meretricio quodam genere: non enim meretricio genere id paſſus eſt maritus in dicta ſpecie. Quod addit Ulpianus, maritum ſi patiatur uxorem delinquere, non ob quæſtum, verum ob negligentiam, vel culpam, vel quamdam patientiam, vel nimiam credulitatem, extra legem poſitum videri, conſideratione aliqua eget. Id ſane Legibus tam Atticis quam Romanis minime prohibitum olim fuiſſe, innuere videtur quod de Socrate & Catone Minore, ſive Uticenſi, ſcribit Tertullianus: quamquam de Socrate non ſatis conſtat: certe id alibi non memini me legere, qui in Vitam Socratis a Diogene Laërtio ſcriptam

ptam Commentarios ſcripſi. Tertulliani verba ſunt in Apologetico: *Omnia indiſcreta ſunt apud nos, præter uxores. In iſto ſolo conſortium ſolvimus, in quo ſolo ceteri homines conſortium exercent, qui non amicorum ſolummodo matrimonia uſurpant, ſed & ſua amicis patientiſſime ſubminiſtrant: ex illa, credo, majorum & ſapientiſſimorum diſciplina, Græci Socratis & Romani Catonis, qui uxores ſuas amicis communicaverunt, quas in matrimonium duxerant, liberorum cauſa & alibi creandorum; neſcio quidem an invitas; quid enim de caſtitate curarent, quam mariti tam facile donaverant? O ſapientiæ Atticæ, o Romanæ gravitatis exemplum! lenones, Philoſophus & Cenſor.* Non enim veroſimile eſt Legibus prohibentibus tam ſanctos viros uxores ſuas amicis communicaſſe. Ad Catonem quod attinet, id ipſum diſerte tradit graviſſimus auctor Strabo, libro XI. ubi de Tapyris; apud quos etiam lege, ſive conſuetudine, receptum fuiſſe ait, ut uxores ſuas viris aliis elocarent, poſtquam ipſi ex iis duos, treſve ſuſtuliſſent liberos. ἱστοροῦσι δὲ περὶ τῶν Ταπύρων, ὅτι αὐτοῖς εἴη νόμιμον τὰς γυναῖκας τὰς γαμετὰς ἐκδιδόναι ἑτέροις ἀνδράσιν, ἐπειδὰν ἐξ αὐτῶν ἀνέλωνται δύο, ἢ τρία τέκνα· καθάπερ καὶ Κάτων Ὁρτησίῳ δεηθέντι ἐξέδωκε τὴν Μαρκίαν ἐφ' ἡμῶν, κατὰ παλαιὸν Ῥωμαίων ἔθος. Ad quem Strabonis locum notat Caſaubonus, Plutarchum de Catone rem ita narrare, ut de ea dubitaſſe ſignificet: quod quidem falſum eſt, ut ex ipſis Plutar-

chi verbis, quæ infra èx interpretatione Xylandri ſubjeci, apparet. *Q. Hortenſius geſtiens, non familiaris modo & amicus Catonis eſſe, ſed omnem ſemel neceſſitudine & conſortio familiam & genus ſuum cum eo conſociare, non dubitavit, cum eo agere, ut filiam Porciam, Bibulo nuptam, cui partus duos ediderat, ſibi invicem, velut frugiferum agrum, collocaret, ad ſerendam ſtirpem. Nam eſſe hominum quidem illud opinione novum; natura pulchrum tamen & civile; mulierem in ætatis flore non vacare, vel fœcunditatem exſtinguere, neque majore quam neceſſe eſſet, progenita ſobole onerare, & obruere domum non requirentem: communicationem autem inter probatos viros, invicem mulierum tum virtutem prorogare & dilatare ſtirpibus, tum civitatem mutuis neceſſitudinibus conglutinare. Quod ſi retinere Bibulus omnino vellet conjugem, ſimul atque peperiſſet, ubi arctiore communium liberorum eſſet vinculo cum Bibulo & Catone conglutinatus, reſtituturum ſe eam. Cum reſpondiſſet Cato, Hortenſium ſe carum habere; probareque neceſſitudinis ſocium, verum alienum arbitrari ipſum de filiæ nuptiis verba facere alteri collocatæ: mutato ille ſermone, non dubitavit ei aperire ipſius Catonis ſe petere uxorem, quod juvenis etiamnum eſſet, & Catoni ſatis magna eſſet proles. Neque hic dicas, illum eo progreſſum, quod alieniorem a Marcia conjuge cognoviſſet Catonem. Quippe ferunt prægnantem tunc fuiſſe. Animadvertens ergo Cato Hortenſii deſiderium & ſtudium,*

non

non præſcidit ei, ſed oportere reſpondit Philippum quoque hoc probare, Marciæ parentem. Ut igitur appellatus Philippus concedere id cognovit Catonem, non aliter deſpondit ei Marciam, quam præſente illo, & ſponſalia comprobante. Id ipſum & Lacedæmoniorum legibus conceſſum, diſcimus ex Plutarcho in Lycurgo: ἐξῆν μὲν γὰρ ἀνδρὶ πρεσβυτέρῳ νέας γυναικὸς, εἰ δή τινα τῶν καλῶν καὶ ἀγαθῶν ἀσπάσαιτο νέων, καὶ δοκιμάσειεν, εἰσαγαγεῖν παρ᾽ αὐτὴν, καὶ πλήσαντα γενναίου σπέρματος, ἴδιον αὐτῆς ποιήσασθαι τὸ γεννηθέν. ἐξῆν δὲ πάλιν ἀνδρὶ χρηστῷ, τῶν εὐτέκνων τινὰ καὶ σωφρόνων θαυμάσαντι γυναικῶν ἑτέρῳ γεγαμημένην, πεῖσαι τὸν ἄνδρα συνελθεῖν, ὥσπερ ἐν χώρᾳ καλλικάρπῳ, φυτεύοντα καὶ ποιούμενον παῖδας ἀγαθοὺς, ἀγαθῶν ὁμαίμους καὶ συγγενεῖς ἐσομένους. *Nam viro natu grandiori, cui florens ætate erat conjunx, ſi quem probum & prudentem adoleſcentem carum haberet, probaretque, jus erat eam huic jungere, & cum impleta eſſet egregio ſemine, ſibi vendicare partum. E diverſo liberum erat, ſi quæ caſta mulier, quæ elegantes pueros ederet, alteri nupta ei cordi eſſet, agere cum viro, ut copiam ſibi ejus faceret, atque ita, tamquam in frugifero arvo, conſerere & gignere liberos probos, qui proborum futuri conſanguinei & propinqui eſſent.* Id tamen poſtea Legibus Romanis prohibitum, & maritum, qui talem ignominiam patiebatur, verberatum relegandum conſtat ex Ecloga Baſilicorum, Tit. 60. cap. 28.

εἰ δὲ

εἰ δὲ πλημμελεῖν αὐτὴν ἀνέχεται, οὐ διὰ πόρον, ἀλλὰ διὰ ῥαθυμίαν, ἢ ἀμέλειαν, ἢ ἀνεξικακίαν, ἢ ὠμότητα, οὐχ ὑποπίπτει τῷ νόμῳ, ἀλλὰ τυπτόμενος ἐξορίζεται. Quod ſi eam delinquere patiatur, non ob quæſtum, ſed negligentiam, vel incuriam, vel patientiam, vel ſævitiam, non incidit in legem, ſed verberatus relegatur. Ubi nota obiter, Græcos apud Ulpianum legiſſe, non *credulitatem*, ut Libri noſtri habent, ſed *crudelitatem*: verterunt enim *ὠμότητα*. Latinorum veram eſſe lectionem, nemo non videt. Sed ad propoſitum. Johannes Bodinus in Methodo Hiſtoriæ cap. 4. adduci non poteſt, ut credat, Catonem uxorem ſuam Hortenſio conceſſiſſe: præſertim cum Romuli leges de adulteriis, & more Veterum, quem Tiberius revocavit, agnati adulteras uxores pro ſuo arbitratu coërcerent. *Et quidem*, inquit, *ſatis audacter Cujacius, qui Paulum Manutium fabrilia tractare jubet, quod lege Romilia de adulteriis capitalem pœnam uxori a marito & propinquis infligi licuiſſe putet: Ea tamen lex a Gellio bis verbis concepta eſt:* In adulterio uxorem tuam ſi deprehendiſſes, impune ſine judicio necares: Illa te, ſi adulterares, digito non auderet contingere, neque jus eſt. *Et in Oratione Catonis de veteri mulierum victu & moribus:* In adulterio uxores deprehenſas, jus fuiſſe maritis necare. *Neque enim ζημιοῦν*, multare *ſignificat; ut voluit Cujacius, ſed* quoquo modo punire. *Hoc vero planius intelligitur ex ipſo Halicarnaſſeo, qui*

mari-

maritum τῦ μεγέθυς τῆς τιμωρίας κύριον fuiſſe ſcribit adulterii & ebrietatis cauſa: Quibus verbis jus vitæ ac necis tribuitur. Quamquam mitius agi, & a propinquis ultra ducenteſimum lapidem relegari adulteras conſueviſſe, ſcribit Tacitus libro ſecundo. Idem Plutarchus & Strabo Parthos atque Lacedæmonios mutuas amicis uxores dare conſueviſſe ajunt. Sed eum morem non tulit, opinor, ſeveritas Romanorum. Neque Appiano, idem quoque de Romanis ſentienti, aſſentior, cum in eorum antiquitate ſæpiſſime offendat. Ego vero & Straboni, & Plutarcho, & Appiano, quam Bodino, ad antiquitates Romanas quod attinet, potiorem habeo fidem.

Addimus hoc loco, vice corollarii, adulterarum maritos legibus Eccleſiaſticis prohibitos ordinari. *Si cujus uxorem adulterium commiſiſſe, cum eſſet Laicus, fuerit comprobatum, hic ad miniſterium Eccleſiaſticum admitti non poteſt. Quod ſi in Clericatu jam conſtituto eo, adulteravit, dato repudio dimittere eam debet. Si vero retinere ejus conſortium velit, non poteſt miniſterium, quod ſuſcepit, exercere.* Verba ſunt Concilii Neocæſarienſis, canone 8. Ad quæ Balſamon: *Quæ enim adulterium commiſit, polluta eſt: quique cum ea ſe miſcet, corpus unum cum ipſa fit, pollutioniſque in poſterum fit particeps, Qui vero pollutus, qua ratione divinum ſuſcipiet miniſterium?* Videſis Hieronymum ad caput XIX, Matthæi, Concilium Eliberitanum, canone LXV.

LXV. & Concilium Tarraconenſe, habitum anno Chriſti 516. canone IX.

CAPUT XI.

De Hermogeniano Juriſconſulto. Explicatur lex 60. de Donat. inter virum & uxorem.

QUa ætate vixerit Hermogenianus Juriſconſultus, cujus monumenta exſtant in Digeſtis; qui fuerit, quidve ſcripſerit, videamus. Budæus lib. v. de Aſſe, Cujacius Obſervationum lib. 2. cap. 27. Ant. Auguſtinus libro de Propriis Nominibus Pandectarum, & Caſaubonus ad Lampridium, in Alexandro, putant eumdem eſſe ac Hermogenem illum, qui a Lampridio inter Conſiliarios Alexandri & Diſcipulos Papiniani ponitur. Sed cum nomen *Hermogenis* in loco Lampridii additum ſit a librariis, ut ex vetuſtis Membranis veriſſime docuit Salmaſius, etiamſi Hermogenes atque Hermogenianus iidem eſſent; quod ſane veroſimile eſt, & verum arbitror; fruſtra tamen inde Hermogeniani noſtri ætas adſtrueretur. Vixiſſe conſtat poſt Salvium Julianum, qui vixit ſub Hadriano: nam in l. 2. de Statu Hominum, *Edicti Perpetui*, cujus conditor Salvius Julianus, *ordinem ſe ſequutum* profitetur. Jacobus Gothofredus in Prolegomenis ad Codicem Theod. ſub Conſtantini Magni liberis Hermogenianum ſcripſiſſe, veroſimiliter exiſtimabat his

his potiſſimum argumentis: quia meminerit: Præfectorum Prætorio, a quibus appellari non liceret; quod Conſtantini Magni ſanxerunt liberi in lege 16. Cod. Theodoſ. de Appellationibus: quia in l. 10. de Officio Præſidis meminerit Correctorum; qui tunc per Italiam inſtituti: & in l. 25. de Manumiſſis vindicta, Juris novi, quod a Conſtantino M. vel ejus liberis, invectum fuit. Guidus Pancirolus libro de Vitis Juriſconſultorum, putabat Hermogenianum Juriſconſultum eſſe Euſebium illum Hermogenianum, qui Diocletiano & Maximiano imperantibus Præfectus Prætorio fuit, & in Senatu de perſecutione in Chriſtianos decernenda retulit. Chriſtianum contra eum fuiſſe aſſeverat Bertrandus in ejus Vita: quia ſcilicet in l. 60. de Donat. inter virum & uxorem, ſcripſerit, *Divortii cauſa donationes inter virum & uxorem conceſſæ ſunt. Sæpe enim evenit, uti propter ſacerdotium, vel etiam ſterilitatem, ſatis commode retineri matrimonium non poſſit.* Putatque eumdem eſſe ac Hermogenem illum, de quo Paulus l. ult. de Jure Patronatus: *Camelia Pia ab Hermogene appellaverat.* Sed minus recte, meo quidem judicio, ex dictis verbis id aſſeverabat. Falſum eſt enim omnes divertiſſe ab uxoribus, qui uxorem habentes, ad ſacerdotium vocabantur. Certe Sacerdotibus Græcis atque Diaconis licuit uxores retinere. Sed ſit ut hoc verum, id temporibus Hermogenianis Legibus Romanis ſtatutum nequaquam fuit. Quare earum

Inter-

Interpres Hermogenianus; licet Chriſtianus; Legibus Paganorum, non Religioni Chriſtianorum, conſentanea ſcribere debuit. Ita Tribonianus; vir a Chriſtiana Religione, ſi fides Suidæ, alienus; ex Juſtiniani Imperatoris ſententia, de Chriſto, deque Chriſtiana Religione, in Codice & in Novellis, præclara multa ſcripſit. Sed Suidæ fidem adhibeas cave. Quin & gentilem fuiſſe Hermogenianum Jurisconſultum exiſtimabat Jacobus Gothofredus, quem vide dicto loco. Igitur, aut vox *Sacerdotium* in dicta l. 60. eſt a manu Triboniani; qui multa ex Jurisconſultorum Paganorum libris ad Chriſtianam Religionem, quam & ipſe & Imperator Juſtinianus profitebantur, accommodavit: aut, ſi eſt Hermogeniani; quod magis puto; de Sacerdotio Paganorum accipienda videtur. Paganorum quosdam Sacerdotes, non ſolum a venere ante ſacrificium abſtinuiſſe; quemadmodum ἐν ταῖς Θεσμοφοριαζούσαις fieri ſolebat, quod ἁγνεύειν dicebatur; verum etiam matrimonium in totum abdicaſſe, conſtat ex Tertulliano. Tertulliani verba ſunt in libro de Exhortatione Caſtitatis extremo: *Novimus Virgines Veſtæ & Junonis apud Achaïæ opidum & Apollinis apud Epheſos, & Minervæ quibusdam locis. Novimus & continentes viros; & quidem Tauri illius Ægypti Antiſtites: Feminas vero Cereris Africanæ; cui etiam, ſponte abdicato matrimonio, adſeneſcunt; averſantes exinde contactum maſculorum, usque ad oſcula filiorum.* Similia legas

gas in libro de Monogamia, itidem extremo: *Pontifex maximus & Flaminica nubunt ſemel. Cereris Sacerdotes viventibus etiam viris & conſentientibus, amica ſeparatione viduantur. Sunt & quæ de tota continentia judicent nos Virgines Veſtæ, & Junonis Achaicæ, & Dianæ Scythicæ, & Apollinis Pythii.* Redeo ad Hermogenianum Juriſconſultum. Scripſit *Epitomarum Juris libros VI.* quorum mentio in Indice, qui Pandectis præfixus eſt. In his; quod ſupra obſervabamus; ordinem Edicti Perpetui ſe ſecutum profitetur, l. 2. de Statu Hominum, his verbis: *Cum igitur hominum cauſa omne jus conſtitutum ſit, primo de perſonarum ſtatu, ac poſt de ceteris, ordinem Edicti Perpetui ſecuti, & his proximos atque conjunctos applicantes Titulos, ut res patitur, dicemus.* Eoque factum, ut hos Libros, Librorum Juliani, qui Edictum Perpetuum ordinaverat, Epitomas eſſe, nonnulli exiſtimarint: quorum errorem Cujacius Obſervat. lib. 2. cap. 27. egregie refutavit. Scripſit quoque *Fideicommiſſorum libros*, ſi non mendoſa eſt inſcriptio legis 14. ad Trebell. *Hermogenianus libro 4. Fideicommiſſorum.* Sed eam mendoſam eſſe Cujacius ibidem cenſet. Juris Interpretum recentiorum præſtantiſſimi, & cum veteribus illis Juriſconſultis comparandi, verba infra ponere non gravabor: *Poſſint quidem hæc legis verba*, Nam quod ad jus publicum attinet, non ſequitur jus poteſtatis, *Hermogeniani eſſe, aliquo ex* Ἐπιτομῶν *libro. At, quæ*

quæ ſequuntur, Ulpiani ſunt, ex lib. 4. Fideicommiſſorum; ex quo & præcedentes & ſequentes Leges complures deſumptæ ſunt. Atque ita eam Legem in duas eſſe dividendam & ſcimus, & affirmamus. Ceterum, Ant. Auguſtinus, libro de Propriis Nominibus Pandectarum, itidem exiſtimabat, Conſtitutionum librum ab hoc noſtro Hermogeniano collectum, atque inde *Hermogenianum* fuiſſe appellatum. Idem & mihi & Jacobo Gothofredo videbatur. Utut eſt; nam Cujacius in Præfatione ad Paratitla Codicis aliter ſentire videtur, harum Conſtitutionum Collectorem, Hermogenianum nude appellando. Utut eſt, inquam, Hermogeniani, harum Conſtitutionum Collectoris, meminit in Præfatione Operis Paſchalis ad Macedonium Cælius Sedulius Presbyter; ubi eum doctiſſimum Juris latorem vocat, & tres editiones Operis ſui confeciſſe ſcribit.

CAPUT XII.

De Tertulliano Juriſconſulto, & an idem ac Q. Septimius Florens.

QUod capite proximo tractavimus, an ſcilicet Hermogenianus Juriſconſultus Religioni Chriſtianæ nomen dederit, admonet nos, ut de Tertulliano Juriſconſulto ſimilem hoc capite quæſtionem agitemus. Q. Septimius Florens Tertullianus, Scriptor ille inter Chriſtianos Scriptores

ptores Latinos celeberrimus, ab Euſebio Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ libro & capite ſecundo, dicitur vir *Legum Romanarum peritiſſimus :* τȣ̀ς ῥωμαίων νόμȣς ἠκριβωκὼς ἀνήρ. Quare Bernardinus Rutilius & Johannes Fichardus in Vita Tertulliani Juriſconſulti, Ant. Auguſtinus libro de Propriis Nominibus Pandectarum, & Radulfus Fornerius, Guilielmi filius, Rerum Quotidianarum lib. VI. c. 5. Septimium Florentem Tertullianum non alium a Juriſconſulto exiſtimarunt. Idem videtur & Cujacius exiſtimaſſe. Ita enim ille Obſervationum lib. VII. c. 2. *Tertullianum Juriſconſultum fuiſſe ſub Severo & Antonino conſtat: ſiquidem is eſt, qui de Religione Chriſtiana complures libros ſcripſit. Cujus rei iidem illi libri indices clari ſunt, translationibus ex Jure ſumptis confertiſſimi: & teſtis Euſebius lib. 2. c. 2. qui eum fuiſſe Juriſconſultum ſcribit.* Certe tempora, quibus vixit Florens Tertullianus, huic ſententiæ non valde repugnant, contra quam Bertrando videbatur. Is Tertullianum Juriſconſultum Scriptore Eccleſiaſtico poſteriorem inde concludebat, quod in l. 30. D. de acquirenda vel omittenda hereditate, Pomponii Juriſconſulti meminerit, qui inter Papiniani Diſcipulos à Lampridio in Vita Alexandri Severi numeretur. Sed in loco Lampridii, Pomponii nomen additum conſtat à librario, ut veriſſime Salmaſius ex veteribus membranis ad Lampridium obſervavit: qua de re nos infra pluribus cap. XXIII. Quin & aliunde con-

ſtat vixiſſe Pomponium ſub Hadriano: nam in l. 2. de Origine Juris, ad Julianum usque, neque ultra, Jurisconſultorum ſeriem proſequutus eſt: vixit autem ſub Hadriano Julianus. Addit ad confirmandam ſententiam ſuam Bertrandus, Tertulliani Jurisconſulti auctoritate, Ulpianum, uti, & veriſimile non eſſe, Ulpianum qui Chriſtianos oderat, Chriſtiani Scriptoris auctoritate opinionem ſuam confirmare voluiſſe. Tanto odio Chriſtianos proſequutum Ulpianum dicit Bertrandus in Vita Ulpiani, ut de iis torquendis ſeptem collegerit Reſcripta Principum. Septem libros ſcripſiſſe, dicit Bodinus noſtras, in Methodo Hiſtoriæ capite 4. Viros doctos decepit mendoſa Lactantii editio, in qua libro v. de Juſtitia, capite 10. legitur, *Domitius de Officio Proconſulis libris ſeptem Reſcripta Principum nefaria collegit: ut doceret, quibus affici oporteret eos, qui ſe cultores Dei confiterentur:* ſed ubi legendum, *Domitius de Officio Proconſulis libro ſeptimo Reſcripta Principum nefaria collegit, &c.* belliſſime obſervarunt, Thomaſius ad Lactantii locum memoratum; Pithœus ad Collationem Legum Moſaicarum, titulo xv. & Cujacius Obſervationum libro x. cap. 34. De Officio Proconſulis libris decem ſcripſerat Domitius Ulpianus: quod diſcimus ex Indice Juſtinianeo. Citantur non ſemel hi libri in Veteribus Gloſſis Philoxeni; quas eſſe, ut hoc obiter dicam, Digeſtorum compilatione antiquiores, volebat Carrio Antiquarum Lectio-

num

num libro 3. capite 4. & Salmaſius in libro de Modo Uſurarum. In eo autem de Officio Proconſulis Tractatu, de variis criminibus tractaverat Ulpianus libro ſeptimo, atque inter cetera, de his quæ ad religionem pertinent. Simili errore, ut hoc in transcurſu dicam, apud Theophanem Chronologiæ pagina quinta, edidit Jacobus Goarus, τὴν ὀκτάβιβλον τῆς Ἐκκλησιαστικῆς ἱστορίας Εὐσεβίου τοῦ παμφίλου, pro τὴν ὀγδόην βίβλον, quod recte obſervatum Franciſco Combefiſio in notis poſterioribus ad dictum Theophanem. Sed ad propoſitum. Pammelius in Vita Q. Septimii Florentis Tertulliani, Tertullianum Juriſconſultum ſub Alexandro vixiſſe itidem ait: ſed nullo argumento. Æqualem Papiniani, qui ſub eodem Imperatore vixit, eum facit Antonius Auguſtinus. Ita enim ille in libro de Propriis Nominibus Pandectarum; ubi de quarta Claſſe Juriſconſultorum: *L. Æmilius Papinianus: Q. Septimius Florens Tertullianus: Ælius Marcianus: Domitius Ulpianus: Julius Paulus, &c.* Bernardinus autem Rutilius Hadriani eum & Antonini Pii vixiſſe dicit temporibus: ſed nullo quoque addito argumento. Etiam Emarus Rivalius, Delphinas, Hiſtoriæ Civilis libro quinto; ubi de Tertulliano Juriſconſulto, hæc habet: *Quatuor libros Quæſtionum, & ſingularem de Caſtrenſi Peculio compoſuit. Conſul fuit: & ab eo Senatusconſultum Tertullianum; quod Hadriani temporibus factum eſt; niſi fallor; nomen habuit.* Falſum

eſt omnino, Tertullianum Juriſconſultum Conſulem fuiſſe. Nec verius, *Tertullianum Senatusconſultum* ab eo nuncupatum. Nomen habuit a Tertullo, qui Conſul Antonini Pii temporibus, ut infra oſtendetur. Cum vero Tertullianus Juriſconſultus ab Ulpiano in teſtimonium adducatur; (adducitur in lege 30. de Acquirenda vel omittenda hereditate, & in lege 2. ad Senatusconſultum Tertullianum) videtur eo antiquior. Sed cum ejus non meminerit, qui Juriſconſultos quamplurimos ſub Hadriano, ſub Pio, ſub Marco, recenſet Capitolinus; nec eum quoque in dicta lege 2. de Origine Juris, memoraverit Pomponius, qui vixit ſub Hadriano; etiam Hadriano, & Pio, & Marco, poſteriorem fuiſſe, adfirmare non dubitamus. Vixerit ergo a Severi & Antonini temporibus ad Alexandri Severi imperium. Tertullianum autem Scriptorem Eccleſiaſticum vixiſſe ſub Severo & Antonino, non ambigitur.

Sed an iidem ſint Scriptor ille Eccleſiaſticus & Tertullianus Juriſconſultus, videamus. Diverſos eſſe dicit Bertrandus, quod libri Quæſtionum Tertulliani Juriſconſulti, & liber ejus de Caſtrenſi Peculio ab Hieronymo in Catalogo Scriptorum non recenſeantur. At cum Hieronymi inſtitutum fuerit, ſcripta dumtaxat Eccleſiaſtica, non cetera, inibi recenſere, Bertrandi ſententia nihil hoc juvatur argumento. Eoſdem eſſe Fornerius, dicto loco, conjiciebat ex

Eccle-

Eccleſiaſtici Scriptoris obſcuro ſermone, quo eum ſcripſiſſe & Hieronymus & Lactantius teſtantur, & ſcripta ejus clamant. Scilicet Tertullianum Juriſconſultum obſcuritate quoque laboraſſe, exiſtimabat Fornerius, ex his Juſtiniani verbis, in lege ultima Cod. de Curatore furioſi: *Licet Tertullianus, Juris antiqui Interpres, libro ſingulari, quem de Caſtrenſi Peculio condidit, tali tractatu propoſito, videatur obſcure eamdem attingere ſententiam; nos tamen hoc apertiſſime introduximus, &c.* Sed hæc ſententiam & mentem Juriſconſulti, non ſtylum ſpectant, aut orationem. Certius quid de ſtylo conjicere liceret, ſi ſcripta ejus integriora exſtarent. Scripſerat de Caſtrenſi Peculio librum ſingularem, & Quæſtionum libros octo. Falſus eſt omnino; quod Pammelio obſervatum; Conradus Geſnerus, qui ipſi præterea adſcribit Legum Reſcripta ex libris de Senatusconſultis, atque ad Senatusconſultum Libonianum & Orphitianum. Ex his autem de Caſtrenſi Peculio & Quæſtionum libris, pauca capitula hodie in Pandectis ſuperſunt; quæ collegit Pammelius; ſed ex quibus tamen diverſum illum eſſe a Septimio non dubitamus adfirmare. Utriusque Tertulliani diſſimilem quoque eſſe orationem, pronunciavit Franciſcus Balduinus, ipſo Pammelio teſte. Tertullianum vero Juriſconſultum, diverſum eſſe a Scriptore Eccleſiaſtico confidentius aſſerimus, quod idem ſentit, vir κριτικώτατος, Hugo Grotius. Ejus hæc ſunt

verba ad caput 3. Epiſtolæ Pauli ad Titum: *Jus Romanum etiam Græci didicere, ut Tryphonius, Calliſtratus, Menander, Arcadius. Neque dubito, quin multi ex Juris Sacerdotibus, Chriſti Sacerdotes facti ſint: quod in ea Religione omnia Juris præcepta viderent eminenter contineri. Inter eos fuit Tertullianus, plenus locutionum Juris Romani: quamquam non is eſt, cujus quædam in Digeſtis habemus.* Grotii ſententiæ accedit Henricus Valeſius ad Euſebii dictum locum, vir & ipſe judicii recti. *Ex hoc loco quidam*, inquit, *ſuſpicati ſunt, Tertullianum illum, qui inter Eccleſiaſticos Scriptores celebris habetur, Juriſconſultum fuiſſe. Certe in Indice Pandectarum, inter Juris Auctores, ex quibus Opus illud collectum eſt, recenſetur Tertullianus, qui libros octo Quæſtionum ſcripſit, & de Caſtrenſi Peculio librum ſingularem. Sed non dubito, quin hic diverſus ſit ab illo Presbytero Carthaginienſi. Neque vero Euſebius illum Juriſconſultum fuiſſe dicit: ſed tantum ait, eum Leges Romanas accuratiſſime calluiſſe: quod quidem vel ex uno ejus Apologetico licet cognoſcere, in quo Legum Romanarum ſæpiſſime meminit.* Cum Grotio & Valeſio conveniunt Pammelius & Priorius: hic, in Diſſertatione de Vita & ſcriptis Tertulliani: ille, in Diſſertatione de Vita, opinionibus, & erroribus Tertulliani. Qua in ſententia video eſſe & Alyſium, nuperum editorem diſſertationis de Tertulliani vita & ſcriptis. Ceterum non locutionum ſolum Juris plenus eſt Septi-

mius

mius Florens Tertullianus, ut poſt Cujacium & Grotium, Merillius obſervabat, Obſervationum libro IV. cap. 27. ubi & Libros ad Nationes, quod Jurisconſultorum locutionibus (quas ipſe profert) refertiſſimi ſint, Tertulliani eſſe concludit. Non ſolum, inquam, locutionum Juris Romani plenus eſt Septimius Florens Tertullianus, ſed Jus Romanum citat. *Invenitur etiam in Jure Civili Græca quædam quinionem enixa filiorum, ſemel omnium mater, unici fœtus parens multiplex, unici uteri puerpera numeroſa, quæ tot ſtipata corporibus; pæne dixerim populo; ſextum ipſa corpus fuit*, inquit ille in libro de Anima, capite ſexto. Ad quem locum videndus Nicolaus Rigaltius in Obſervationibus ad Tertullianum, & Carolus Annibal Fabrotus in Disquiſitione de Numero Puerperii; quam, quæ ejus fuit humanitas, in nomine meo apparere voluit.

Ad Tertullianum Jurisconſultum ut redeam, eum eſſe, quo referente factum eſt Senatusconſultum Tertullianum, ſupino ſane errore Rivalius exiſtimavit. Nomen habuit Senatusconſultum Tertullianum a Tertullo, qui cum Sacerdote ſive Maximo, Conſul fuit ſub Pio: non ſub Hadriano, ut quidam putant; decepti his Juſtiniani verbis, titulo Inſtitutionum de Senatusconſulto Tertylliano: *Poſtea autem Senatusconſulto Tertylliano, quod Divi Hadriani temporibus factum eſt.* Ibi enim *Hadrianus*, eſt *Pius*: quam

 appel-

appellationem ſortitus eſt adoptionis jure: ut recte Cujacius & Contius ad hunc locum. Quare non recte in Pandectis Florentinis ſcriptum eſt *Tertyllianum:* eſt enim Latina vox *Tertullus.* Julius Capitolinus in Marco Antonino: *Crimini ei datum eſt, quod adulteros uxoris promoverit: Tertullum, & Utilium, & Orphitum, & Moderatum, ad varios honores: quum Tertullum etiam prandentem cum uxore deprehenderit. De quo Mimus in ſcena, præſente Antonino, dixit. Quum ſtupidus nomen adulteri quæreret, & ille diceret ter,* Tullus; *& adhuc ſtupidus quæreret; reſpondit ille,* JAM DIXI TER: TULLUS DICITUR. Sed librarii pro *Tertullianus*, *Tertyllianus* ſcripſerunt: ut *Centyrio*, *gyla*, & *oſcyla*, pro *Centurio*, *gula*, & *oſcula:* quod Salmaſius ad Spartiani Hadrianum obſervavit. *Tertyllianus* igitur & *Tertullianus* idem nomen. Et fruſtra poſt Pamelium doctiſſimus Priorius Septimium Tertullianum a Juriſconſulto diverſum facit; quod ille, *Tertullianus*, hic, *Tertyllianus* vocitetur. Error librariorum inde natus, quod Græci Τερτυλλὸς dixerunt & Τερτυλλιανός. Ex qua ſcriptura, qui in Græcia Pandectas Florentinas deſcripſerunt; nam eas ibi deſcriptas vult Antonius Auguſtinus; fecerunt poſtea *Tertyllus* & *Tertyllianus.* *Ovinius Tertullus* recte ſcriptum eſt in iisdem Pandectis, leg. 9. D. de Captivis & poſtliminio reverſis.

CAPUT

CAPUT XIII.

De Citienſibus, de quibus in l. 1. D. de Pollicitat. Zeno, Stoicorum Princeps, Citieus dictus e Citio Cypri, non Macedoniæ, opido, contra quam Cujacius exiſtimavit.

CUm *columnas quidam promiſiſſet, Imperator noſter cum Divo patre ſuo ita reſcripſit: Qui non ex cauſa pecuniam Reipublicæ pollicentur, liberalitatem perficere non coguntur. Sed ſi columnas Citienſibus promiſiſti, & opus ea ratione ſumptibus civitatis, vel privatorum inchoatum eſt, deſeri quod geſtum eſt, non oportet.* Hæc Ulpianus lege 1. §. penultimo, D. de Pollicitationibus. Quo loco, pro *Citienſibus*, ut ſcriptum exhibent Pandectæ Florentinæ, vulgo olim legebatur *Circenſibus:* quod ad columnas Circi Alciatus retulit. Poſtremam illam lectionem, ut & Alciati interpretationem, probare videtur ad dictam legem Dionyſius Gothofredus. Lectionem Florentinam vere Cujacius Obſervationum libro 3. capite 38. genuinam eſſe exiſtimavit: qui & fortean non falſo Citienſes illos de civibus Citii, opidi Macedoniæ, de quo Livius libro 42. interpretatur. Sed quod addit, ex eo Macedoniæ opido Zenonem *Citienſem* dici a Gellio libro XVI. capite ultimo, id vero perquam falſum eſt. Zeno,

Zeno, *Citienſis* dictus eſt Gellio, (*Citieus* aliis dicitur,) non a Citio, Macedoniæ, ſed a Citio, Cypri opido. Clare id teſtatur Strabo libro XIV. *εἶτα κολπώδης καὶ τραχὺς παράπλους ὁ πλείων εἰς Κίττιον· ἔχει δὲ λιμένα κλειστόν. ἐντεῦθέν ἐστι Ζήνων τε ὁ τῆς Στωϊκῆς αἱρέσεως ἀρχηγέτης, καὶ Ἀπολλώνιος ἰατρός. Inde navigatio ſinuoſa fere & aſpera eſt Citium usque. Urbs ea portum habet qui claudi poteſt. Hæc patria fuit Zenonis, Stoicorum Principis, & Apollonii, Medici.* Item Diogenes Laërtius in Zenone Citieo, ſtatim initio: *Ζήνων, Μνασέου, ἢ Δημέου, Κιτιεὺς, ἀπὸ Κύπρου, πολίσματος Ἑλληνικοῦ, Φοίνικας ἐποίκους ἠχηκότος. Zeno, Mnaſeæ, ſive Demei, filius; Citieus, e Cypro, parvo quodam Græciæ opido, quod Phœnices coloni incoluerunt.* Et Suidas in *Ζήνων*: *Ζήνων, Μνασέου, ἢ Δημίου, Κιτιεὺς· πόλις δέ ἐστι Κύπρου τὸ Κίτιον. Zenon, Mnaſeæ, ſive Demii, filius, Citieus. Eſt autem Citium urbs Cypri.* Id ipſum aperte teſtatur & Cicero IV. de Finibus: *Poſtea tuus ille Pœnulus;* loquitur de Zenone; *ſcis enim Citieos, clientes tuos, e Phœnicia profectos.* Et Themiſtius Orat. XIV. *ἀλλὰ καὶ Ζήνων μὲν ὁ τῆς Στοᾶς ἀρχηγέτης, καίπερ τὰ ἄλλα σεμνὸς ὢν καὶ ὑψηλολόγος, ὅμως ἐγαννύσκετο, καὶ ἐλαμπρύνετο, ἐπειδὴ αὐτὸν Ἀθηναῖοι ξένον ὄντα καὶ Φοίνικα, ἐπὶ τοῖς λόγοις δημοποίητον ἐποιήσαντο. At Zeno ille Stoicorum Princeps, vir alioqui gravis & magniloquus, gloriabatur tamen, atque efferebat ſeſe, quod cum peregrinus, atque*

e Plæ-

e Phœnicia oriundus eſſet, ob inſignem eruditionem atque ſcientiam, civis eſſet ab Athenienſibus factus. Et Crates apud Laërtium : *τί φεύγεις, Φοινικίδιον; Quid fugis, Pœnule?* Citienſes enim e Cypro, Phœnicum coloni fuere, non vero Citienſes e Macedonia, ut ex ſuperioribus conſtat. Magnus homo fuit Cujacius, homo fuit tamen.

CAPUT XIV.

De Trebatio nonnulla. Familiam ducere *quid ſit, & unde hoc loquendi genus.*

FUit quidem Trebatius Vir doctus, ut eum Horatius in Satiris appellat : *Niſi quid tu, docte Trebati, Diſſentis*; & *peritior Caſcelio*, ut ſcribit Pomponius in lege 2. de Origine Juris : & *maxima auctoritatis*, ut ait Juſtinianus in Inſtitutionibus, Titulo de Codicillis : & *ſingulari in Jure civili memoria, ſummaque ſcientia*, ut teſtatur Cicero in Epiſtola ad Cæſarem. Sed quod Bertrandus, in ejus Vita, eum ait veluti Sectæ Principem fuiſſe, quia de eo ſcripſerit Cicero dicto loco, *accedit etiam*; *quod familiam ducit*; *in Jure civili ſingularis memoria, ſumma ſcientia*, immane quantum a vero aberrat. *Quod familiam ducit*, proverbialis eſt loquendi modus, ſignificans *quod præcipuum eſt.* Quo uſus & Cicero libro

de

de Finibus quarto: *Sed primum illud vide, graviſſimam illam ſententiam, quæ familiam ducit.* Et Philippica IV. *Lucius quidem frater ejus, utpote qui peregre depugnavit, familiam ducit.* Traductus vero eſt is loquendi modus; quod belliſſime Turnebus obſervavit; a venalium ſervorum familiis, in quibus pulcriora mancipia reliquum ducebant gregem, uti vendibiliorem redderent. Quo reſpexiſſe videtur Horatius in Epiſtola ad Auguſtum, his verſibus:

Inter quæ verbum emicuit ſi forte decorum, &
Si verſus paulo concinnior unus & alter;
Injuſte totum ducit, venditque Poëma.

Similiter & *claſſem ducere* videtur dixiſſe Fabius libro I. cap. 2. *Ducere vero claſſem longe pulcherrimum.* Paulo aliter Salmaſius. *In familia, qui ſervus, ætatis, vel fidei ceteris antiſtabat, ac familiam gubernabat*, Major domus *appellatus. Hic familiam; hoc eſt οἰκετίαν; ſervorum ceterorum multitudinem; ducebat: & omnium quaſi dux & caput erat. Hinc &* familiam ducere, *locutio optimis Auctoribus familiaris, de his qui in quacumque re excellunt,* inquit ille in Tractatu de Primatu Papæ. Igitur hæc Ciceronis, *Accedit etiam; quod familiam ducit; in Jure Civili ſingularis memoria, ſumma ſcientia*, nihil aliud ſignificant, quam in Jure Civili ſummam ſcientiam & ſingularem memoriam, primam & præcipuam Trebatii eſſe laudem: ceteras ei cum multis eſſe communes:

munes: hoc eſſe ipſius pæne proprium bonum: ut recte Muretus. Eodem tamen quo Bertrandus modo, Ciceronis verba: *Et quod familiam ducit*, cepit Torrentius in Commentario ad Horatii dictam Satiram: ubi ait, *Trebatium Juris Interpretum familiam duxiſſe*. Immo & doctiſſimus Priorius: cujus hæc ſunt verba in Diſſertatione de Tertulliani Vita: *Etſi vero in Jure Civili familiam duxerit Septimius, non is eſt tamen, qui Jureconſultus.* Longe ab ea opinione aberrat Heinſius, qui in Diſſertatione de Satira Horatiana ſcripſit Trebatii ſententiam in Pandectis plerumque rejici. Id Vir doctus, adductis locis aliquot ex Pandectarum libris, confirmare conabatur: quibus & nos alia nonnulla addere poſſemus. Sed tamen longe plura ſunt, in quibus Trebatii ſententiam ſequuntur ceteri Juris Interpretes: & omnino falſa eſt Heinſiana obſervatio.

Sed quando de Trebatio ſermo eſt, de eo quædam non vulgaria hic adnotabimus. *Cajus Trebatius* dicitur Ciceroni ea epiſtola, qua illum Cæſari commendat. *Vide quam mihi perſuaſerim te me eſſe alterum, non modo in iis rebus, quæ ad me ipſum, ſed etiam in iis, quæ ad meos pertinent. C. Trebatium cogitaram, quocumque exirem, mecum ducere.* Eidem *Teſta* dicitur lib. 7. epiſt. 21. ad ipſummet Trebatium: *Nec vir melior, mi Teſta, nec mihi amicior P. Silio quiſquam eſt, te tamen excepto.* *Cajus* igitur illius prænomen; *Teſta* cogno-

cognomen. Fallitur Horatii vetus Interpres, qui eum *Aulum* appellat. Studioſus fuit natandi, teſte Cicerone epiſt. 10. ejusdem libri ad eumdem. *Sed tu in re militari multo es cautior, quam in advocationibus: qui neque in Oceano natare volueris, ſtudioſiſſimus homo natandi.* Quo Flaccus reſpexit in Satira ad Trebatium:

- - Ter uncti
Tranſnanto Tiberim, ſomno quibus eſt opus alto.

Sequitur apud Venuſinum:

Irriguumque mero ſub noctem corpus habento:

quibus verbis & ad mores Trebatii reſpexit: de quo Cicero epiſt. 12. dicti libri ad ipſum Trebatium: *Indicavit mihi Panſa meus Epicurum te eſſe factum.* Et epiſt. 20. *Ego a Sexto Fabio, Niconis diſcipulo, librum abſtuli,* Νίκωνος περὶ πολυφαγίας. *O Medicum ſuavem, meque docilem ad hanc diſciplinam! Sed Baſſus noſter me de hoc libro celavit: te quidem, non videtur.* Et epiſt. 22. *Illuſeras heri inter ſcyphos, &c. Itaque etſi domum bene potus, ſeroque redieram, &c.*

CAPUT XV.

Quid ſint Paratitla.

NOn quivis intelligit quid ſint *Paratitla,* de quibus Juſtinianus Imperator in Præfatione de

de Conceptione Digeſtorum: *Sufficiat per indices tantummodo, & Titulorum ſubtilitatem, quæ* Παράτιτλα *nuncupantur, quædam admonitoria ejus facere.* Et in Præfatione altera, itidem de Confirmatione Digeſtorum: *Hoc autem quod & ab initio nobis viſum eſt, cum hoc Opus fieri Deo adjuvante mandabamus, tempeſtivum nobis videtur, & in præſenti ſancire, ut nemo neque eorum, qui in præſenti Juris peritiam habent, neque qui poſtea fierent, audeat Commentarios iisdem legibus adnectere: niſi tantum ſi velit eas in Græcam vocem transformare, ſub eodem ordine, eademque conſequentia, ſub qua & voce Romana poſitæ ſunt: hoc quod Græci* κατὰ πόδα *dicunt: & ſi quid forſitan, per Titulorum ſubtilitatem adnotare maluerim; & ea quæ* Paratitla *nuncupantur, componere.* Id hoc capite, ex Leunclavio & Jano a Coſta, aperiam. Sic igitur ille in Prologo de priſco Paratitlorum uſu, qui Latinæ Græcorum Paratitlorum interpretationi præfixus eſt: ita Balſamonis Collectionem Conſtitutionum Eccleſiaſticarum minus recte appellavit Leunclavius: *Cujacius hæc Paratitla viderit, nec ne, dubito: quippe ſequutus eſt diverſam in Paratitlis exponendis rationem. Nam oratione perpetua ſuis in Paratitlis explicuit, quæ pertinere ſingulos ad Pandectarum Titulos putavit: cum longe alium apud Priſcos uſum Paratitlorum fuiſſe, de Juſtiniani verbis accurate conſideratis intelligatur. Vetat enim, ne quis Commentarios in editum abs ſe Jus ſcribat, tanquam*

æquo longiores, & per quos ad priſtinam librorum Juris immenſitatem ne redeatur, periculum ſit. In Græcam vero linguam transfundi ſua non prohibet: modo fiat interpretatio κατὰ πόδα: quæ legum ſcilicet ipſarum veſtigiis inhæreat. Deinde permittit, ut Titulis ſecundum Paratitlorum uſum aliquid adſcribatur. Hæc igitur de modo Juris explicandi poſteriore per Paratitla mens Juſtiniani fuit, ut liceat quemvis ad Titulum Pandectarum adnotare, quæ aliis in Titulis ac locis illum ad Titulum pertinentia reperiantur. Hic priſcus ſcilicet, germanusque Paratitlorum uſus. At vero quid his ſimile traditum a noſtris Paratitlorum hoc ævo Scriptoribus? Jani vero a Coſta verba hæc ſunt, in Præfatione ad Summaria ad IX. priores Titulos lib. I. Decretalium, quæ Franciſcus Florens, tanto Præceptore dignus Diſcipulus, edenda curavit: *Hujus autem Gregorianæ Compilationis Titulos, vel Rubricas, Summariis, vel Summis, illuſtrare decrevi. Sic enim veteres Interpretes recte appellarunt Commentarios in anguſtum redactos, quibus continetur brevis enarratio eorum, quæ in ſingulis Titulis obſervatione digna ſunt, cum Rubricarum interpretatione. Et ita breves Commentarios priſcam Latinitatem appellaſſe* Summaria, *nominatim Seneca ait* ep. 39. *Præſtantiſſimus Cujacius maluit vocare* Παρατιτλα. *Sed hoc genus ſcripti non eſſe Paratitla, docet Collectio Græca Conſtitutionum Eccleſiaſticarum, ex Titulis lib. I Codicis Juſtinianei: cujus auctor Theodorus Diaconus.*

nus. Hanc vidi manuſcriptam longe meliorem & ampliorem editione Latina Jo. Leunclavii: qui male univerſum Opus inſcripſit Παράτιτλα; *cum ab Auctore, cujus nomen ignoraſſe videtur, dicatur* Συλλογή, *additis Paratitlis in ſingulos Titulos, cum hac inſcriptione,* ὅσα Παράτιτλα: *quibus ex reliquis Titulis ſupplentur ea, quæ ad Titulum pertinere videntur. Ut recte dixerit Matthæus Monachus in Fragmento edito ab Antonio Auguſtino,* Παράτιτλα *eſſe Repletiones Titulorum,* καθ' ἕκαστον τίτλον ἀναπληρώσεις ἔχοντα τῶν παραλελειμμένων χρησίμων. *Ergo* Paratitla *non ſunt explicationes Titulorum, ſed ex ceteris Titulis Titulorum repletiones, id eſt, indices Legum, quæ ex ceteris Titulis ad Titulum ſubtiliter revocari poſſunt: vel, ut Juſtinianus loquitur,* per ſubtilitatem Titulorum Admonitoria. Hactenus Vir magnus, & ſolo Cujacio minor. Idem legas apud Fabrotum in Notis mox memorandis: ubi & ipſe Cujacium, quid ſint Paratitla, ignoraſſe ait: quod ipſum de Veſenbecio, de Marano, de Colombetto, deque ceteris omnibus, qui Paratitla ſcripſere, dici poſſet. Sunt igitur Παράτιτλα, ad verbum, *Ad Titulos:* quaſi *Appendices Titulorum:* ut παράφερνα, *Dotis appendices:* unde recentioribus Græcis ἐξώπροικα: quaſi *extra dotem.* Ita πάριππος in lege 4. C. de Curſu publico dicitur equus ille ſingularis, qui præter duos, quibus vehiculum trahitur, tertius adhibetur; ut recte Petavius ad Juliani Epiſtolam 20. quam-

quam aliter Cujacius ad dictam legem. Ita equus παρήορος is erat, qui duobus ad jugum revinctis ad latus jungebatur. Id porro quod de Paratitlorum definitione diximus, manifeſtius fiet ſupra memoratam Conſtitutionum Eccleſiaſticarum Collectionem legentibus: quam Græcam, & Latina Leunclavii meliorem atque auctiorem, cum Notis amici noſtri Caroli Annibalis Fabroti τοῦ μακαρίτου, publicarunt nuper in Bibliotheca Juris Canonici, Viri eruditi, Guilielmus Voëlius & Henricus Juſtellus Chriſtophori Filius. Sic autem in manu exarato codice, quem a Peireſcio Fabrotus habuit, inſcribitur: Θεοδώρου Διακόνου τῆς ἁγιωτάτης τοῦ Θεοῦ μεγάλης ἐκκλησίας Νομοφύλακος καὶ Χαρτοφύλακος, καὶ πρώτου τῶν Βλαχερνῶν, τοῦ Βαλσαμῶνος, τοῦ μετά χρόνους τινὰς γεγονότος Πατριάρχου Θεουπόλεως μεγάλης Ἀντιοχείας. Cujacius, ad legem 5. C. de Jure Fiſci, hujus Collectionis meminit, his verbis: *Caſariani, ſunt Officiales Procuratoris Caſaris, qui & Catholiciani dicuntur ab Auctore Paratitli, quem librum habet P. Faber, vir divinarum largitionum dote locupletiſſimus.* Illam igitur viderat, de quo dubitabat Leunclavius. Immo, antequam Paratitla ſcriberet in Digeſta & Codicem, eam viderat Cujacius. Scripſit quippe in tres poſtremos Codicis libros anno 1562. Paratitla vero in Digeſta, anno 1569. & in Codicem, anno 1579. Eſt autem Titulus de Jure Fiſci, primus Titulus libri decimi Codicis Juſtinianei.

CAPUT

CAPUT XVI.

ὁ κράτιϛος, de iis, qui in dignitate conſtituti.

CUjacius Obſervationum libro XXVII. capite 23. Ulpianum a Modeſtino *κράτιϛον τὴν τέχνην, καὶ σοφώτερον* appellari ait. Unde hæc ſumpſerit Cujacius, diu quæſivi, necdum inveni: & puto memoria lapſum Virum judicii ſingularis. Utut eſt, obiter hic obſervamus, Cujacium tres poſteriores Obſervationum libros; quos inter viceſimus ſeptimus, ubi iſta Cujacius; non publicaſſe: ſed publicandos Franciſco Pithœo extremo elogio mandaſſe. *κράτιϛος* quidem; ſed ſimpliciter; dicitur aliquoties Ulpianus Modeſtino: ſcilicet in lege 2. §. ult. D. de Excuſationibus Tutorum. *λέγει δὲ ὁ κράτιϛος Οὐλπιανὸς περὶ τῶν τριῶν ἐπιτροπῶν ταῦτα.* & in lege 4. §. 1. eodem Titulo: *γράφει δὲ καὶ Οὐλπιανὸς κράτιϛος ταῦτα.* & in lege 2. §. 3. D. Qui petant Tutores: *καὶ Ulpianos ὁ κράτιϛος οὕτως γράφει.* Non autem propter artis præſtantiam, aut quia unus ex Juris coryphæis eſſet, ut eum idem Modeſtinus leg. 13. de Excuſationibus appellat; ibi ita appellatur: ſed quoniam inter Proceres & principes Viros; quod teſtantur Lampridius & Xiphilinus in Alexandro Imperatore; apud Alexandrum Imperatorem ſedit, & Præfectus Prætorio fuit. Hæc quippe eorum compellatio, qui erant, aut fu-

 erant,

erant, in dignitate conſtituti. Lexicon Græco-Latinum Vetus: *κράτιστοι*, *Optimates*. Similiter Julianus Juriſconſultus; qui Conſul, qui Urbi Præfectus; dicitur *ὁ κράτιστος* Imperatori Juſtiniano in Præfatione Digeſtorum ad Magnum Senatum §. 18. Ita Feſtus & Felix propter eorum dignitatem in Actibus Apoſtolorum *κράτιστοι* appellantur: quod recte Hugo Grotius noſter obſervabat. Minus recte Janſſenius ille *ὁ περιβόητος*, capite 21. libri, cui Titulus *Mars Gallicus*; nam Cornelii Janſſenii, Epiſcopi Iprenſis, eſſe hunc fœtum, certo ſcimus; ſic vocatos ab Apoſtolo exiſtimavit, ut potius quid eſſe deberent, quam quid eſſent, elogii ſplendore monerentur. Nam & ita Theophilum Lucas, Fundanum Plutarchus, Joſephus Epaphroditum, Diognetum Juſtinus appellant. Ut fortaſſe; quæ eſt Bertrandi obſervatio; non male Vetus Interpres Modeſtini in ſupra citatis capitibus, Tit. de Excuſationibus tutorum, *κράτιστον*, *nobilem* & *nobiliſſimum* fuerit interpretatus: quamquam eum eo nomine ab Antonio Auguſtino video reprehendi.

CAPUT XVII.

De Pegaſo Juriſconſulto, & unde ei hoc nomen.

PEgaſus Juriſconſultus, cui hoc caput deſtinavimus, ſub Veſpaſiano Imperatore fuit Præ-

Præfectus Urbi. Pomponius lege 2. §. ultimo D. de Origine Juris: *Caſſio Cælius Sabinus ſucceſſit, qui plurimum temporibus Veſpaſiani potuit: Proculo Pegaſus, qui temporibus Veſpaſiani Præfectus Urbi fuit.* Idem teſtificatur Juvenalis Satira 4. ubi Pegaſum laudat a vitæ integritate:

- - rapta properabat abolla
Pegaſus, attonitæ poſitus modo Villicus Urbi.
Anne aliud tunc Præfecti? quorum optimus, atque
Interpres Legum ſanctiſſimus, omnia quamquam
Temporibus diris tractanda putabat inermi
Juſtitia.

Villicus Urbi, id eſt, *Urbi Præpoſitus.* τὸ *Villicus*, primario dictum de villæ Præpoſito. Varro libro I. de Re Ruſtica: *Villicus, agri colendi cauſa conſtitutus: atque appellatus a* villa: *quod ab eo in eam convehuntur fructus* & *evehuntur, cum veneunt.* Sed & poſtea quemvis præpoſitum, aut procuratorem, diſpenſatoremque, ita vocarunt. Inde VILLICUS ALIMENTORUM, & VILLICUS AB ALIMENTIS, & VILLICUS A PLUMBO, in antiquis Lapidibus. Et VILLICUS ÆRARI, apud Tibullum:

Villicus ÆrarI quondam, nunc cultor agelli:

ſi modo Tibulli eſt hoc epigramma; quod legitur in Lapide Patavino. Quare Claudius Salma-

ſius, vere & proprie, non ſatirice, Villicum Urbi a Poëta vocatum Pegaſum, exiſtimabat in Notis ad Lampridium. Sed fruſtra id exiſtimabat vir ille undecumque doctiſſimus. Satirice ita dictum Pegaſum a Juvenale, patet ex his verbis, *attonitæ poſitus modo Villicus Urbi. Anne aliud tunc Præfecti?* Id eſt, *anne aliud tunc erant Romæ Præfecti, quam Villici: quam Procuratores, aut Diſpenſatores?* Fuit & Conſul Pegaſus: eoque Conſule factum Senatusconſultum, quod de ejus nomine *Pegaſianum* vocatum. Juſtinianus in Inſtitutionibus, titulo de Fideicommiſſariis hereditatibus: *Poſtea Veſpaſiani Auguſti temporibus, Pegaſo & Pugione Conſulibus, Senatus cenſuit, ut ei, qui rogatus eſſet hereditatem reſtituere, perinde liceret quartam partem retinere, atque ex Lege Falcidia ex legatis retinere conceditur.* Adde Scholiaſtem Juvenalis ad ſupra memoratos verſus: ubi & ejus natales, & nominis cauſam nos docet. *Pegaſus*, inquit, *Trierarchi filius; ex cujus liburnæ paraſemo nomen accepit; Juris ſtudio gloriam memoriæ meruit: ut* liber *vulgo*, *non* homo *diceretur. Hinc functus omni honore, cum provinciis pluribus præfuiſſet, Urbis curam adminiſtravit. Hinc eſt Pegaſianum: ſcilicet Jus, quod Juriſperitus fuerat.* Obiter hic obſervandum, *Jus Pegaſianum* dixiſſe Juvenalis Scholiaſtem, quo modo *Jus Papinianum* dixit Paulus lege 144. de Verborum ſignificatione, & *Jus Flaminianum* ac *Jus Papirianum* Pomponius, lege 2.

de

de Origine Juris. Ceterum, de Senatusconſulto Pegaſiano videndus Contius lib. 2. Lectionum, cap. 4. τριήραρχος autem, ſive *Trierarchus*; quod poſtremum vocabulum legitur in lege 46. D. ad Senatusconſultum Trebellianum, & in lege unica D. de Bonorum poſſeſſione; proprie eſt, qui navi triremi præpoſitus eſt; ſed & de eo, qui quadriremi, vel quinqueremi; & generaliter de Navarcho quolibet uſurpatur, ut veriſſime magnus magiſter Obſervationum libro 26. capite 2. adnotabat. Eſt vero παράσημον, inſigne navis, a quo navibus nomen imponi ſolitum, ut, præter ceteros, teſtatur Naſo:

Eſt mihi, ſitque precor flavæ tutela Minervæ
Navis, & a picta caſſide nomen habet.

Qua de re qui plura volet, adeat Joſephum Scaligerum in Caſtigationibus ad Feſtum pag. 59. & lib. VII. contra Robertum Titium cap. 5. & in Animadverſionibus ad Euſebii Chronicum: item Seldenum libro 2. de Diis Syris cap. 16. Igitur cum liburnæ Trierarchi illius ſcalptus, aut pictus eſſet Pegaſus, *Pegaſus* liburna illa appellabatur, a quo & Trierarchi filius poſtea *Pegaſus* appellari cœpit. Hæc eſt mens Scholiaſtæ Juvenalis. A *Pegaſo* factum eſt *Pegaſius*: quod nomen legitur apud Apollinarem Sidonium libro 2. Epiſtolarum, epiſt. 6. *A Pegaſius*; *Pegaſianus*.

CAPUT XVIII.

Pro Advocati facundia honorarium æſtimari debere.

IN honorariis Advocatorum ita Judicem verſari debere, ut pro modo litis, proque Advocati facundia æſtimationem adhibeat: licitam autem quantitatem intelligi pro ſingulis cauſis usque ad centum aureos; ſcripſit Ulpianus in lege I. de Extraordinariis cognitionibus. Scilicet inter Advocatos longa eſt differentia, & ingenii, & naturæ, & doctrinæ, & inſtitutionis: quod de artificibus ſcripſit Ulpianus leg. 31. de Solutionibus. Huc facit hiſtoria, quam ad Regulas Cancellariæ de Veriſimili Notitia numero 58. de Mareſcallo, Advocato Pariſienſi, recitat Carolus Molinæus, vir cum Uſus, tum Juris peritiſſimus. Eam; quia lepida eſt; hic referre non pigebit: referam autem verbis Molinæi, ut major mihi habeatur fides: quamquam Molinæi oratio & ſalebroſa eſt, & incondita nimis, ut de ea vere Cujacius lib. Obſervationum XVI. cap. 18. pronunciavit: *Ceterum, ut obiter, velut ab inferis, memoriam & honorem veri Auctoris Gloſſarum dictæ Pragmaticæ vindicem, non fuit, ut vulgo putant,* Coſmas Guimier, *ſed præſtantior alius, cognomine* Maréchal, *doctiſſimus & experientiſſimus Advocatus in hoc Senatu, tempore Caroli VII. Ludovici XI. & Caroli VIII. qui ob breves quaſdam, ſed eruditas,*

Rationes Juris, quas Salvationes *vocant, cum imperitus Clientulus impar ſalarium offerret, honeſte renuit: dicens, ſe tantum id accepturum, quod ob id in caſum victoriæ taxaretur. Cum autem Clientulus victoriam obtinuiſſet, & in taxandis expenſis litis de hoc articulo ad Senatum referretur, taxatæ ſunt ei* LX. *libræ Pariſienſes; habita ratione, non ad brevem, ſed ad doctam & reſolutoriam ſcripturam, modumque litis, & eminentem ſcientiam Advocati. Et fuit ſplendidum, & pro conſuetudine rariſſimum honorarium.* Sed harum Gloſſarum, ut hoc dicam ἐν παρόδῳ, Guimerium auctorem fuiſſe, pluribus oſtendit contra Molinæum Franciſcus Pinſonus, Patronus Pariſienſis in Notis ad Pragmaticam Sanctionem, doctis, Jupiter! & laborioſis.

Meminit hujus Obſervationis Fridericus Brummerus, Lipſienſis, magno Jurisprudentiæ damno, dum Gallia Italiam petebat, aquis ſubmerſus. *Quod ſi tamen Advocatus petere malit honorarium, faciat id per officium Judicis, quod ei a legibus in hoc datum eſt. Sic enim & fructum bonæ mentis, omnium jucundiſſimum, & proximum huic honeſtæ exiſtimationis, cui probi & boni viri ſtudent: immo & operæ ſuæ multo uberiorem aliquando feret, quam forſitan a Cliente tuliſſet. Judex enim æquus & bonus Advocati facundiam & eruditionem longe alia, quam imperitus Cliens, æſtimatione metitur. Quo pertinet hiſtoria lepida, quam e Carolo Molinæo, Advocato Pariſienſi, de Marc-*

Mareſcallo, *Advocato quoque Pariſienſi*, *verbis Molinæi refert doctrinæ juxta ac morum elegantia præſtantiſſimus Vir*, *Ægidius Menagius*, *in Amœnitatibus Juris*, *capite 18.* inquit ille in Commentario ad Legem Cinciam, capite undecimo.

CAPUT XIX.

Contra Hugonem Grotium defenſa lectio legis 77. D. de legatis 2.

SCriptum eſt apud Papinianum in l. 77. §. 4. D. de legatis 2. *Hereditatem filius cum moreretur, filiis ſuis, vel cui ex his voluiſſet, reſtituere fuerat rogatus.* Magnus ille Grotius, in Sparſione Florum, ad legem *ex facto* D. ad Senatusconſultum Trebellianum, legendum exiſtimabat; *Hereditatem Ofilius cum moreretur.* Similiter in his Valerii Maximi verbis, libro VII. cap. 8. *Quam certæ, quam etiam notæ inſaniæ Tuditanus! utpote qui Populo nummos ſparſerit; togamque, velut tragicam veſtem, in foro trahens, maximo cum hominum riſu conſpectus fuerit, ac multa his conſentanea fecerit. Teſtamento is filium inſtituit heredem: quod Ti. Longus, ſanguine proximus, haſtæ judicio ſubvertere fruſtra conatus eſt. Magis enim Centumviri, quid ſcriptum eſſet in tabulis quam quis eas ſcripſiſſet, conſiderandum exiſtimaverunt:*

verunt: pro *teſtamento is filium*, legebat Lipſius *teſtamento Ofilium.* An ita ibi legendum, Marquardo Gudio, qui Valerio caſtigatiſſimo cum Notis eruditis brevi nos beabit, examinandum relinquo. Interea hic obſervo, nihil omnino mutandum in loco Papiniani. Filius; id eſt, heres; fuerat rogatus, &c. a patre ſcilicet, vel a matre. Similem ſpeciem, & forte eamdem, refert Ulpianus l. 17. §. 5. ad Senatusconſultum Trebellianum. *Ex facto*, inquit, *tractatum memini. Rogaverat quædam mulier filium ſuum, ut ſi ſine liberis deceſſiſſet, reſtitueret hereditatem fratri ſuo, &c.* Et ſupra: *Ex facto tractatum eſt, an per fideicommiſſum rogari quis poſſit, ut aliquem heredem faciat. Et Senatus cenſuit, rogari quidem quem, ut aliquem heredem faciat, non poſſe: verum videri per hoc rogaſſe, ut hereditatem ſuam ei reſtituat: id eſt, quicquid ex hereditate ſua conſequutus eſt, ut ei reſtitueret. Julianus quoque libro quadrageſimo Digeſtorum fideicommiſſum tale valere ait: Fidei committo, ut hereditatem Titii reſtituas: cum eſſet is, qui rogatus eſt, a Titio heres inſtitutus.*

Sed levia hæc ſunt.

CAPUT

CAPUT XX.

Contra Cujacium defenſa lectio in l. Rerum mixtura 30. *D. de Uſurpationibus. Bertrandi ſententia rejecta. Alia nonnulla.*

LAbeo *libris Epiſtolarum ait: Si is, cui ad tegularum vel columnarum uſucapionem decem dies ſupereſſent, in ædificium eas conjeciſſet, nihilominus eum uſucapturum, ſi ædificium poſſediſſet.* Ita ſcriptum eſt apud Pomponium Juriſconſultum lib. 30. ad Sabinum, in leg. 30. ſub titulo de Uſurpationibus & uſucapionibus. In quibus verbis Cujacius, Commentario ad dictum Titulum, pro *Labeo* legebat *Jabolenus:* quia Labeo in libris noſtris eſt Antiſtius Labeo, Princeps Proculejanæ ſectæ; quem libros Epiſtolarum ſcripſiſſe, nusquam ſe legiſſe ait. Bertrandus, in Vita Juventii Celſi, nihil mutandum exiſtimabat: ſed Labeonem de Domitio interpretabatur: quem & Juriſconſultum fuiſſe, & libros Epiſtolarum ſcripſiſſe contendebat, ex his verbis legis 28. D. Qui teſtamenta facere poſſunt: *Domitius Labeo Celſo ſuo ſalutem: Quæro an teſtium numero habendus ſit is, qui, cum rogatus eſt ad teſtamentum ſcribendum, idem quoque cum tabulas ſcripſiſſet, ſignaverit. Juventius Celſus Labeoni ſuo ſalutem: Aut non intelligo quid ſit de quo me conſulueris;*

aut

aut valide ſtulta eſt conſultatio tua: plus enim quam ridiculum eſt dubitare, an aliquis jure teſtis adhibitus ſit, quoniam idem & tabulas teſtamenti ſcripſerit. Ego quoque nihil mutandum exiſtimo: ſed longe alia de cauſa: ſcilicet, quoniam adduci non poſſum, ut credam, Domitium illum Labeonem fuiſſe Jurisconſultum, cujus, ut Jurisconſulti, meminit nemo veterum Scriptorum: nam a recentioribus; Angelo Politiano, Cotta, Rivalio, Rutilio, Eberlino, aliis; inter Jurisconſultos recenſetur. Quin & ejus eſſe, quæ Labeonis nomine, Tribonianus Digeſtis inſeruit, volebat Angelus Politianus, teſte Rutilio: nam in locum Politiani necdum incidi. Certe, quod Juventium Celſum conſuluerit, non inde ſequitur, eum protinus Juris Auctoribus annumerandum: quamquam Juris Auctores ſeſe invicem conſulebant: ut Proculum Atilicinus, leg. XI. de Pactis Dotalibus: & Paulum Rufinus, leg. 4. Quibus ad libertatem proclamare non licet. Sed alii etiam eos conſulebant. Ita idem Celſus a Flavio Reſpecto, Prætore; quem Juris Auctorem nemo dixerit; conſultus fuit, ut patet ex lege 3. de Minoribus. Ita Papinianus, a Favio Januario, leg. 94. de Solutionibus & liberationibus: & Paulus, a Numphidio, leg. 81. de Conditionibus & demonſtrationibus: itemque a Neſennio Apollinari, l. 34. de Negotiis geſtis; & Proculus, a Licinnio Lucuſta, l. 45. de legat. 2. & a Firmo, leg. 38. de Actionibus empti: & Ariſto, a Neratio Appiano, leg.

leg. 46. de Manumiſſis teſtamento. Neque enim audiendus Bertrandus, qui pro *Appiano* reſcribendum ibi vult *Priſco:* qua de re nos alibi. Bertrandum interim videſis in Vita Ariſtonis. Quin & a femina conſultus fuit Celſus, leg. 18. de Jure codicillorum: cujus legis verba, quia verbis dictæ legis 28. diſſimilia non ſunt, infra ponere non gravabor: *Plotiana Celſo ſuo ſalutem, &c. Juventius Celſus Plotianæ ſalutem &c.* Etiam Juriſconſultum non fuiſſe Labeonem, illum apparet ex ſtulta & plus quam ridicula quæſtione, quam Celſo propoſuit. Nec eum quoque Ant. Auguſtinus, vir ſingulari ſcientia, ſummo ingenio & ſummo judicio præditus, inter Juris Auctores repoſuit, ſed inter cives Romanos, quos vocat. Eum vide in libro de Propriis nominibus Pandectarum, pag. 378. Sed ponamus Juriſconſultum fuiſſe, ſuppar fuerit Pomponio, aut etiam eo junior, ut mox oſtendemus. Veriſimile autem non eſt, Pomponium, ſummum Juris auctorem, tam levis Juriſconſulti, tamque ignobilis, ſibique συγχρόνου, aut etiam ſe junioris, auctoritate uti voluiſſe. Domitium Labeonem æqualem fuiſſe Pomponii, aut etiam eo juniorem, quod promiſimus, nunc oſtendendum. Celſus filius, (de eo enim accipienda videtur dicta lex 28. nam quæ in pandectis Juventio Celſo tribuuntur fragmenta, ea omnia ad filium ab Antonio Auguſtino & a Pancirolo, non ad patrem, referuntur.) Celſus, inquam, filius vixit ſub Hadriano. Pomponius leg. 2. de Origine Juris:

Juris: *Caſſio Cælius Sabinus ſucceſſit, qui plurimum temporibus Veſpaſiani potuit. Proculo, Pegaſus, qui temporibus Veſpaſiani Præfectus Urbi fuit. Cælio Sabino ſucceſſit Priſcus Javolenus; Pegaſo Celſus; patri Celſo Celſus filius, & Priſcus Neratius; qui utrique Conſules fuerunt: Celſus quidem & iterum.* Spartianus in Hadriano: *Cum judicaret, in conſilio habuit non amicos ſuos, aut comites ſolum, ſed Juriſconſultos, & præcipue Juventium Celſum, Salvium Julianum, Neratium Priſcum, aliosque: quos tamen omnis Senatus probaſſet.* Ita enim ibi legendum, quemadmodum Cuſpinianus, Caſaubonus & Pancirolus emendarunt: non, ut vulgo legitur, *Julium Celſum.* Sed & tempora Antonini Pii attigit, ſub quo Promagiſter Scrinii fuit, ut diſcimus ex ſubſcriptione libelli, apud Alberinos Romæ reperti; quem, præter Parrhaſium, Rutilium, Briſſonium, profert Fabritius lib. I. Antiquitatum, & Bertrandus in Vita Celſi. At vero temporibus Celſi vixiſſe Domitium Labeonem, apparet ex eorum ἀμοιβαίαις Epiſtolis. Sed poſito, quod Juriſconſultus fuerit, junior Celſo, quandoquidem eum conſulebat, veroſimiliter fuit. Jam Pomponium floruiſſe ſaltem ſub Pio, conſtat ex eo quod in lege 2. de Origine Juris; ubi de ſucceſſione Juriſconſultorum agit; Julianum ultimum recenſet: item ex eo quod legitur in lege 64. §. 9. D. Pro ſocio: *& ait Julianus Sextum Pomponium referre, Sabinum reſpondentem:* Julianus enim, quem ultimum re-

cenſet Pomponius, & qui Pomponium teſtem adducit, Edictum Perpetuum condidit ſub Hadriano. Scio ampliſſimum Bertrandum, in Vita Pomponii, in ſuperioribus verbis legendum exiſtimare; *& ait Pomponius Sextus Julianum referre, Sabinum, &c.* At vero, in Vita Pedii, (nam ſibi ipſe non conſtat) legendum ait, *& ait Julianus Sextum Pedium.* Sed fruſtra ſic ibi legendum exiſtimat Vir ille ampliſſimus, ut pluribus, in Vita Pomponii, oſtendemus: nunc monuiſſe contenti, libros XXXV. ad Sabinum ſcripſiſſe Pomponium: ut veriſimilius ſit, quod in dicta lege 64. dicitur de Sabino, id Pomponium retuliſſe, quam Julianum, qui ad Sabinum nullos libros ſcripſit. Nec ſum neſcius Ant. Auguſtinum in libro de Propriis Nominibus Pandectarum duos fuiſſe Pomponios Juriſconſultos exiſtimaſſe, quoniam in lege 41. de Hered. inſtituendis, quæ deſumpta eſt ex libro XII. Variarum Lectionum Pomponii, teſtis laudatur ipſe Pomponius. Sed in eo fallitur vir doctus; quod alibi oſtendimus.

Ad Labeonem ut redeam, pluribus argumentis probaſſe mihi videor contra Bertrandum, Labeonem, cujus meminit Pomponius in lege 30. de Uſurpationibus & uſucapionibus, non eſſe Domitium Labeonem, qui Juventium Celſum conſuluit. An eſſe non poſſit Antiſtius Labeo, quemadmodum putat Cujacius, videamus. Ego ipſiſſimum eſſe non crediderim ſolum, ſed etiam contende-

tenderim. Primum, Labeo in libris noſtris; ut recte ait Cujacius; eſt Antiſtius Labeo, Princeps Proculejanæ familiæ. Deinde, ab eodem Pomponio in iisdem libris ad Sabinum, in quæſtione non omnino abſimili, citatur idem Antiſtius, l. 32. §. 2. D. eodem Tit. de Uſurpationibus & Uſucapionibus. Citatur & a Paulo; nec ſemel; l. 4. D. eodem. Citatur & l. 3. §. 5. & 17. de acquirenda vel omittenda hereditate, ab eodem Paulo. Item a Javoleno l. 51. eodem Titulo, & ab Ulpiano l. 6. §. 1. etiam eodem Tit. & l. 3. §. 1. de Bonorum poſſeſſionibus: in quibus locis cum de acquirenda vel omittenda poſſeſſione agatur, inde apparet quæſtiones de Poſſeſſione tractaſſe Labeonem Antiſtium. Præterea, hæc Pomponii verba, *Labeo libris Epiſtolarum ait*, deſumpta ſunt; quod jam monuimus, ex ejus Libris ad Sabinum; in quibus cum Pomponius Notas ad Sabinum, Principem Sabinianorum, ſcriberet, veriſimile eſt in his quoque quid ſentirent Proculejani, quorum Princeps Labeo, non omiſiſſe. Addo; quod ſupra obſervatum; Antonium Auguſtinum, libro de Propriis Nominibus Pandectarum, Domitium Labeonem inter cives Romanos, non inter Juriſperitos, retuliſſe. Verum, inquit Cujacius, Epiſtolarum libros Antiſtium Labeonem ſcripſiſſe, nusquam legi. An non, quæſo, ſatis eſt hoc loci id ſcriptum fuiſſe a Pomponio? Multa eſſe in libris Juris, ut libros ceteros taceam, ſingularia, atque, ut Grammatici Græci loqui amant, μονήρη,

 ſive

ſive ἅπαξ εἰρημένα, (quo titulo librum audio ſcripſiſſe Samuelem Bochartum) quis neſcit? Num ipſe Cujacius libro Obſervationum XI. cap. 38. multos Inſtitutionum Juſtiniani locos ſingulares collegit? Pauli librum ſingularem de Injuriis, ſolus Licinius Rufinus, auctor Collationis Legum Moſaicarum, memoravit: Ofilii librum ad Atticum, ſolus Gajus, l. 234. de Verborum ſignificatione: in Edicto Prætoris Urbani titulum fuiſſe de Prædiatoribus, ſolus idem Gajus teſtatur, l. 54. de Jure Dotium. Sed ut de ſolo Antiſtio Labeone verba faciam, ejus librorum de Diis Animalibus, unus Servius meminit: ejus librorum de Diſciplinis Etruſcis, unus Fulgentius: ejus Reſponſorum, unus Ulpianus: ejus Commentariorum Juris Pontificii, ſolus Feſtus: ejus Commentariorum ad XII. Tabulas, ſolus Gellius. Obiter hîc obſervandum, duos fuiſſe Antiſtios Labeones Juriſconſultos, patrem & filium; & incertum eſſe, ad quem hi libri referri debeant. Locus autem Servii, ſi quis id ſcire velit, eſt in 3. Æneidos; ad τὸ QUO PRINCIPE, verſu 168. locus Fulgentii, in verbo *manuales:* locus Ulpiani, in Collatione Legum Moſaicarum & Romanarum, Tit. de Incendiariis: locus Feſti, in voce *ſiſtere:* ubi eorum librum decimum quintum citat: locus Gellii, libro I. cap. 12. An vero propterea Antiſtium Labeonem de Diis Animalibus, de Diſciplinis Etruſcis, Reſponſorum Libros, Commentarios Juris Pontificii, Commentarios ad XII. Tabulas

las ſcripſiſſe, dubitabimus? Sed & illum Epiſtolarum libros ſcripſiſſe, niſi vehementer fallor, ex aliis Auctorum noſtrorum locis non obſcure colligi poteſt. Ulpiani verba hæc ſunt in dicta lege 3. de Bonorum poſſeſſione: *Hereditatis autem, bonorumve poſſeſſio, ut Labeo reſcribit, non uti rerum poſſeſſio accipienda eſt.* Hoc verbum *reſcribit*, id per Epiſtolam conſulenti Labeonem reſcripſiſſe, ſignificat. Præterea, Labeo libro XV. Reſponſorum citatur ab Ulpiano apud Auctorem Collationis Legum Moſaicarum & Romanarum, dicto loco: qui Libri Reſponſorum, etiam Libri Epiſtolarum vocari non incommode poſſint: quemadmodum Reſponſa Summorum Pontificum Epiſtolæ Decretales appellantur. *Neratius libro quarto epiſtolarum Marcello fratri ſuo reſpondit;* verba ſunt Ulpiani in l. 12. de Inſtructo vel Inſtrumento legato. Ante Auguſtum quidem, ut veriſſime Maranus in Commentario 2. de Æquitate, ſive Juſtitia, obſervabat, Juris Auctores Reſponſa verbo potius quam ſcripto edebant. Atque hinc eſt, quod *ſcriptum* & *reſponſa* opponuntur a Pomponio in lege 2. §. 38. D. de Origine Juris. *Poſt hos*, inquit, *fuit Tiberius Coruncanius, ut dixi, qui primus profiteri cœpit: cujus tamen Scriptum nullum exſtat, ſed Reſponſa complura, & Memorabilia ejus fuerunt.* Hinc eſſe etiam idem Maranus obſervabat, quod Conſultores ſoliti eſſent teſtes adhibere, & in teſtationem redigere, quod ſibi a Juriſconſultis reſponſum

ſum fuiſſet, ut de eo conſtaret. Quem morem indicant hæc Pomponii verba in dicta lege 2. §. 47. *Et, ut obiter ſciamus, ante tempora Auguſti publice reſpondendi jus non a Principibus dabatur: ſed qui fiduciam ſuorum ſtudiorum habebant, Conſulentibus reſpondebant. Neque reſponſa utique ſignata dabant: ſed plerumque Judicibus ipſi ſcribebant, aut teſtabantur, qui illos conſulebant.* At poſt Auguſtum, ſcripto fere ſemper Reſponſa dabant: atque adeo ſignata, id eſt, anulo obſignata. Inde *reſcribere* de Juriſconſultis paſſim in libris noſtris: (quod etiam Cujacius ad legem 2. de Origine Juris annotavit) ut in lege 44. D. de Re judicata: *Scævola lib. 5. Reſponſorum &c. reſcripſit.* Item, in Inſtitutionibus Juſtiniani, Tit. de Excuſationibus Tutorum §. 3. *ut Papinianus libro quinto Reſponſorum reſcripſit.* Et §. 10. Tit. de Rerum diviſione; *ut & Papinianus reſcripſit.* Vice verſa, cum per Epiſtolam reſcribebant Juriſconſulti, *reſpondere* etiam dicebantur. Ita in lege 11. quæ eſt Proculi, ex libro Epiſtolarum ejus undecimo, D. de Pactis dotalibus: *Atilicinus Proculo ſuo ſalutem. Cum inter virum & uxorem, &c. Proculus reſpondit.* Ut Reſponſorum libri Labeonis non diverſi videantur ab ejus libris Epiſtolarum. Poſſint & Quæſtionum libri, *libri Epiſtolarum*, ſive *Quæſita per Epiſtolas*, nuncupari: qua de re nos quoque infra cap. XXIII. Juriſconſulti enim ad quæſita reſpondebant per epiſtolas. Paulus libro 21. Quæſtionum, leg. 81. de Conditionibus

bus & demonſtrationibus: *Julius Paulus Numphidio. Quæſiſti, &c.* His quoque argumentis probaſſe mihi videor adverſus Cujacium, Labeonis nomen in dicta lege 30. titulo de Uſurpationibus & uſucapionibus, & retineri poſſe, & de Labeone Antiſtio accipi debere.

Supereſt, ut Bernardino Rutilio reſpondeam, qui duos Labeones Juriſconſultos; Antiſtium ſcilicet & Domitium; fuiſſe dicit; quia in lege 39. & in lege 40. de Conditionibus & demonſtrationibus, a Labeone citatur Labeo. Rutilii verba hæc ſunt, in Vita Domitii Labeonis: *Domitius Labeo Hadriani temporibus floruiſſe dicitur; & libros Epitomarum unum, Epiſtolarum complures, ab eo relictos: unde ea ſint omnia, quæ Tribunianus ſuis Digeſtis inſeruit; non ab Antiſtio. Quem Politiani errorem; repetitum, ut pleraque, a Cotta; Rivalius, Allobrox, non abſurde coarguit. Cujus ſententiam ut probem, facit a Labeone citata ſæpe Labeonis in legibus auctoritas: l. 39. & 40. de Conditionibus & demonſtrationibus: ſic enim malo accipi, quam ut mihi quoque ipſi aliquando placuit, patrem a filio laudari: quos ambos ſupra memoravimus.* Falſum eſt omnino in dictis legibus Labeonem a Labeone in teſtimonium adduci. Sunt hæ leges Javoleni, ex libris Poſteriorum Labeonis: ſcripſerat autem Javolenus Notas in libros Poſteriorum Antiſtii Labeonis. Conſtat tamen; quod jam monuimus; duos fuiſſe Labeones Juriſconſultos; Antiſtium Labeonem, de quo

paſſim in Digeſtis; & ejus patrem, de quo Pomponius in lege 2. de Origine Juris.

CAPUT XXI.

De Prægnantis, capitali judicio damnatæ, pœna differenda.

LEgibus Romanis, prægnantis mulieris, quæ capitali judicio damnata erat, pœna differebatur, quoad peperiſſet. Paulus lib. I. Sententiarum Tit. XII. 5. *Prægnantes neque torqueri, neque damnari, niſi poſt editum partum, poſſunt.* Ulpianus l. 18. de Statu Hominum: *Imperator Hadrianus Publicio Marcello reſcripſit, liberam, quæ prægnans ultimo ſupplicio damnata eſt, liberum parere: ſed ſolitum eſſe ſervari eam, dum partum ederet.* Et l. 3 de Pœnis: *Prægnantis mulieris conſumendæ damnatæ* (melius legeretur *damnatæ conſumendæ*) *pœna differtur quoad pariat. Ego quidem, & ne quæſtio de ea habeatur, ſcio obſervari, quamdiu prægnans eſt.* Clemens Alexandrinus ςρωματέων libro ſecundo: ἐντεῦθεν καὶ Ῥωμαῖοι, εἰ καί τις ἔγκυος καταδικασθείη τὴν ἐπὶ θανάτῳ, οὐ πρότερον ἐῶσιν ὑποσχεῖν τὴν τιμωρίαν, πρὶν ἢ ἐκτεκεῖν. *Hinc etiam Romani, ſi qua mulier prægnans fuerit damnata capitis, non prius permittunt, ut ſupplicium ſubeat, quam pepererit.* Johannes Chryſoſtomus Tom. I. Homil. v. de Pœnitentia: καὶ γάρ, ὥς φασιν οἱ τῶν

νόμων

νόμων τῶν κοινῶν ἔμπειροι, καὶ ὡς οἱ Ῥωμαίων παρακελεύονται νόμοι, τὴν κυοφοροῦσαν, εἴ ποτε περιπέσοι πλώματι θανάτου δίκην ἐπάγοντι, μὴ πρότερον ἀναιρεῖσθαι, πρὶν ἂν τέκῃ τὸ κυοφορούμενον. καὶ μάλα εἰκότως· οὐ γὰρ ἐδικαίωσαν οἱ καλῶς τεθεικότες τοὺς νόμους, συναναφαιρεθῆναι τὸ ἀναμάρτητον τῇ ἁμαρτησάσῃ. *Nam adſtruunt, & qui de legibus publicis diſputant, atque Romanorum mandant leges, prægnantem; ſi quando contigerit mortis pœna damnari; non prius quam pepererit, necari: & probe quidem. Neque enim juſte Legumlatores judicaſſent, cum peccatrice innoxium ſimul fœtum tolli.* Quintilianus Declamatione 277. cui titulus, *Prægnans adultera: Supplicia prægnantium Lex differri in diem partus jubet.* Acta Paſſionis Sanctarum Perpetuæ & Felicitatis: *Circa Felicitatem vero & illi gratia Domini ejusmodi contigit. Cum octo jam menſes ſuum ventrem haberet; nam prægnans fuerat apprehenſa; inſtante ſpectaculi die in magno erat luctu, ne propter ventrem differretur: quia non licet prægnantes pœnæ repræſentari.* Idem ſtatutum fuit & Legibus Atticis. Ælianus Variæ Hiſtor. libro v. cap. 18. ἡ ἐξ Ἀρείου πάγου βουλὴ, ἐπεί τινα φαρμακίδα συνέλαβον, καὶ ἔμελλον θανατώσειν, οὐ πρῶτον αὐτὴν ἀπέκτειναν, πρὶν ἢ ἀπεκύησεν. ὅτε δὲ τὸ συλληφθὲν ἔκυε, τὸ ἀναίτιον οὖν βρέφος ἀναλύοντες τῆς καταδίκης, τὴν αἰτίαν μόνην ἐδικαίωσαν τῷ θανάτῳ. *Judices Areopagitæ, cum veneficam mulierem*

 depre-

deprehendiſſent, & eam morti tradere vellent; non prius ipſam interemerunt, quam partu liberaretur; poſtquam vero peperit quod conceperat, ſolventes a damnatione innocentem infantem, eam quæ commeruerat ſupplicium, ſolam morte multarunt. Et legibus Ægyptiorum, a quibus id Græcos accepiſſe teſtatur Plutarchus in libro de His qui ſero a Numine puniuntur: τὸν δ' ἐν Αἰγύπτῳ νόμον ἆρ' οὐκ εἰκότως ὑμῖν ἀπογράψασθαι δοκοῦσιν ἔνιοι τῶν Ἑλλήνων, ὃς κελεύει τὴν ἔγκυον, ἂν ἁλῷ θανάτου, μέχρι τέκῃ, φυλάττειν. *Legem autem Ægyptiam, nonne videntur recte quidam Græcorum deſcripſiſſe, quæ jubet gravidam, ſi morti fuerit damnata, aſſervari donec pariat.* Et Diodorus Siculus lib. 1. ubi de Ægyptiis. τῶν δὲ γυναικῶν τῶν καταδικασθεισῶν θανάτῳ, τὰς ἐγκύους μὴ θανατοῦσθαι, πρὶν ἂν τέκωσι. καὶ τοῦτο τὸ νόμιμον πολλοὶ καὶ τῶν Ἑλλήνων κατεδέξαντο, ἡγούμενοι παντελῶς ἄδικον εἶναι, τὸ μηδὲν ἀδικῆσαν τῷ ἀδικήσαντι τῆς αὐτῆς μετέχειν τιμωρίας, καὶ παρανομήματος ἑνὸς γενομένου, παρὰ δυοῖν λαμβάνειν τὸ πρόσιμον. πρὸς δὲ τούτοις, κατὰ προαίρεσιν πονηρὰν ἐκτελεσθέντος τοῦ ἀδικήματος, τὸ μηδεμίαν πῶς σύνεσιν ἔχον, ὑπὸ τὴν ὁμοίαν ἄγειν κόλασιν. τὸ δὲ πάντων μέγιστον, ὅτι ταῖς κυούσαις ἰδίᾳ τῆς αἰτίας ἐπενηνεγμένης. οὐδαμῶς προσήκει τὸ κοινὸν πατρὸς καὶ μητρὸς τέκνον ἀναιρεῖσθαι. ἐπίσης γὰρ ἄν τις φαύλους διαλάβοι κριτὰς τούς τε τὸν ἔνοχον τῷ φόνῳ σώζοντας, καὶ τοὺς μηδὲν ὅλως ἀδικήσαντας ἀναιροῦν-

ǫῦντας. Prægnantes ad mortem condemnatas ante partum non interimebant. Quam legem multi Græcorum receperunt, iniquum exiſtimantes, quod nihil deliquiſſet, idem cum malefico ſupplicium perpeti; & ob unius facinus a duobus pœnam exigi. Ad hæc, cum maligno ſcelus conſilio peractum eſſet, eidem ſupplicio non intelligentem nondum ſubjici: &, quod omnium maximum, nequaquam convenire, ut cum gravida tantum rea peragatur, fœtus tam patri quam matri communis, vita multetur: quandoquidem non magis improbentur Judices qui cædis reum ſervant, quam qui inſontes e medio tollunt. Quin & ſervari debet mulier prægnans damnata, etiam ſi prægnans ſit unius diei. Immo & ſi prægnans in ipſo carcere facta ſit, ut ad dictam legem 3. notat Dionyſius Gothofredus: quod ſua ætate accidiſſe, a Guillelmo Menagio, patre meo, audivi. Memini ſapientiſſimum & eruditiſſimnm ſenem, dum mihi adoleſcenti Pauli & Ulpiani ſupra citatos locos exponeret, narrare, prægnantem mulierem ultimo ſupplicio damnatam apud Andes noſtros, ſervatam fuiſſe quoad peperiſſet: poſt editum partum, iterum gravidam factam in carcere, iterumque ſervatam quoad ſecundum partum edidiſſet. Sed neque prægnans defuncta ante humanda, quam ei partus excidatur. Marcellus leg. 2. de Mortuo inferendo: *Negat Lex Regia mulierem, quæ prægnans mortua ſit, humari, antequam partus ei excidatur: qui contra fecerit, ſpem animantis*

cum

cum gravida peremiſſe videtur. Poſt hæc, quis morem Ebræorum non abhorreat, apud quos prægnantes adulteræ, ſtatim atque damnatæ erant, ſupplicio afficiebantur: infante prius in ventre matris occiſo: niſi forte ſederent ſuper ſellam Parturientis, ut loquuntur Ebræi; hoc eſt, niſi, cum damnabantur, in ipſis eſſent partus doloribus. Id legere eſt in Talmude, Cod. Heracin cap. 1. Sed hunc morem in uſu apud Ebræos non fuiſſe Philonis Judæi temporibus, colligere eſt ex eo, quod in libello περὶ φιλανθρωπίας ipſe ait, legem Moſis fœta animantia a Templo arcere; neque ea mactari permittere, priusquam pepererint. ἀλλ' ὅγε νόμος ἔξω περιῤῥαντηρίων ἐλαύνει· καὶ ὅσα τῶν ζώων κυοφορεῖ, μὴ ἐπιτρέπων, ἄχρις ἂν ἀποτέκῃ, σφαγιάζεσθαι, τὰ κατὰ γαστρὸς ἐν ἴσῳ τοῖς ἀποκυηθεῖσι λογιζόμενος. & ex eo quod ſubjungit: συνιεῖν δέ μοι ὁρμηθέντες ἔνιοι τῶν νομοθετῶν, καὶ τὸν ἐπὶ κατακρίτοις γυναιξὶν εἰσηγήσασθαι λόγον, ὃς κελεύει τὰς ἐγκυούσας, ἂν ἄξια θανάτου δρῶσι, μὴ θανεῖν, μέχρις ἂν ἀποτέκωσι· ἵνα μὴ ἀναιρουμένων συναπόληται τὸ κατὰ γαστρός. *Unde etiam quidam Legumlatores de mulieribus capite damnatis legem conſtituiſſe videntur, quæ vetat, prægnantes, ſi capitale crimen admiſerint, morte affici, priusquam partum ediderint; ne cum illis fœtus eorum intereat:* illius enim moris hoc loci meminiſſet. His ſimilia habet Clemens Alexandrinus, loco laudato, ubi de lege Moſis. ἀντικρυς γοῦν καὶ

ὅσα

ὅσα τῶν ζώων κυοφορεῖ, ὁ νόμος οὐκ ἐπιτρέπει, ἄχρις ἂν ἀποτέκῃ, σφαγιάζεσθαι, μακρόθεν ἐπισχὼν τὴν εὐχέρειαν τῶν εἰς ἄνθρωπον ἀδικούντων. οὕτω ἄχρι καὶ τῶν ἀλόγων ζώων τὸ ἐπιεικὲς ἀπέτεινεν· ἵνα ἐν τοῖς ἀνομογενέσι ἀσκήσαντες, πολλῇ τινὶ περιουσίᾳ φιλανθρωπίας ἐν τοῖς ὁμογενέσι χρησώμεθα. οἱ δὲ περιλακτίζοντες τὰς γαστέρας πρὸ τῆς ἀποτέξεως ζώων τινῶν, ἵνα δὴ γάλακτι ἀνακεκραμένην σάρκα θοινάζωνται, τάφον τῶν κυοφορουμένων, τὴν εἰς γένεσιν κτισθεῖσαν μήτραν πεποιήκασι· διαῤῥήδην τοῦ νομοθέτου κελεύοντος, Ἀλλ᾽ οὐδὲ ἑψήσεις ἄρνα ἐν γάλακτι μητρὸς αὐτοῦ. μὴ γὰρ γινέσθω ἡ τοῦ ζῶντος τροφὴ ἥδυσμα τοῦ ἀναιρεθέντος ζώου, φησὶν, ἡ σάρξ· μηδὲ τὸ τῆς ζωῆς αἴτιον, συνεργὸν τῇ τοῦ σώματος καταναλώσει γινέσθω. *Aperte itaque, quæcumque uterum gerunt animalia, ea lex non prius mactari permittit, quam pepererint: eminus retardans hominum ad injuriam faciendam propenſionem. Ita vel usque ad bruta animantia extendit benignitatem, ut cum eam in his quæ ſunt diverſi generis, exercuerimus, longe majori humanitate utamur in his, quæ ſunt ejusdem generis. Qui autem in aliquorum animantium ventres ante partum calces impingunt, ut contemperata lacte carne veſcantur, matricem, quæ eſt creata ad generationem, faciunt ſepulcrum fœtus qui geſtatur in utero, cum lex aperte jubeat.* Sed neque coques agnum in lacte matris ſuæ. Non fiat enim, *inquit*, id quod eſt viventis nutrimentum,

tum, interempti animalis condimentum: Neque quod eſt vitæ cauſa, opem ferat ad conſumptionem corporis.

CAPUT. XXII.

Mæcilius *pro* Cæcilius, *vel* Cæcilius *pro* Mæcilius. Cælius *pro* Cæcilius. Cæcilius *pro* Ælius, Cælius, *&* Cœlius. *Lex 14. de Ædil. Edicto, & Gellius emendantur. Tentata emendatio in lege 64. de Donat. inter virum & uxorem.*

MÆcilius, pro *Cæcilius* ſcriptum videtur apud Calliſtratum leg. 15. titulo de Quæſtionibus: vel *Cæcilius* pro *Mæcilius* apud Arcadium leg. 10. titulo eodem. *De minore quatuordecim annis quæſtio habenda non eſt, ut & Divus Pius Cæcilio Jubentiano reſcripſit*, inquit Calliſtratus. At vero Arcadius: *De minore quoque quatuordecim annis in caput alterius quæſtionem habendam non eſſe, Divus Pius Mæcilio reſcripſit.* τὸ *Cæcilio* utrobique magis placet.

Contra, apud Tranquillum, in Vita Terentii, *Cæcilio* pro *Acilio* perperam legitur. *Scripſit Comœdias ſex: ex quibus primam Andriam cum Ædilibus daret, juſſus ante Cæcilio recitare. Ad cœnantem cum veniſſet, dictus eſt, initium quidem*

Fabu-

Fabulæ; quod erat contemptiore veſtitu; ſubſellio juxta lectulum reſidens, legiſſe: poſt paucos vero verſus invitatus ut accumberet, cœnaſſe una: deinde cetera percurriſſe, non ſine magna Cæcilii admiratione. Et apud Hieronymum in Chronico Euſebiano: Olymp. CLV. anno 3. *Publius Terentius Afer, Comœdiarum Scriptor, ob ingenium, formam, libertate donatus, in Arcadia moritur: qui primam Andriam antequam Ædilibus venderet, Cæcilio multum ſe miranti legit.* Anno Urbis 588. C. Sulpitio Gallo, & M. Claudio Marcello, Coſſ. Andria eſt acta, M. Fulvio, & M. Acilio Glabrione Ædilibus Curulibus: quod recte monuit Voſſius in libello de Poëtis Latinis, ubi de Terentio.

In Baſilicis libro 48. titulo 4. cap. 27. pag. 369. pro *Æmilio* ſcriptum fuiſſe ***Mamilius***, recte quoque Antonius Auguſtinus libro de Propriis Nominibus Pandectarum obſervabat: ***γέγονε δόγμα συγκλήτου ἐπὶ Μαμιλίου Ἰούγκου, καὶ Ἰουλίου Σεβήρου, ὑπάτων.*** Locus Pandectarum eſt in lege 28. de Fideicommiſſariis libertatibus.

Idem, ibidem, recte etiam emendabat ***Cælius*** pro ***Cæcilius*** in his Ulpiani, l. 14. de Ædilitio Edicto: ***Si nominatim morbus exceptus ſit, talis tamen morbus ſit, qui omnibus potuit apparere: ut puta cœcus homo veniebat, aut qui cicatricem evidentem & periculoſam habebat, vel in capite, vel in alia parte corporis, ejus nomine non teneri Cæcilius ait.*** Cælius Sabinus librum de Edicto Ædilium

lium compoſuerat: atque hinc eſt, quod Juris Auctores tam frequenter in titulo de Ædilitio Edicto Cælii auctoritate utuntur. Simili errore apud Gellium libro IV. cap. 2. pro *Cælius* legitur *Cæcilius. Cæcilius Sabinus in libro, quem de Edicto Ædilium Curulium compoſuit, Labeonem refert, &c.*

Apud eumdem libro XVI. cap. 5. & apud Macrobium libro VI. capite 8. pro *Cæcilius Gallus* legendum quoque *Ælius Gallus.*

Similiter apud Athenæum libro ſexto extremo, pro Καικίλιος Τϐβέρων, legi debere καὶ Αἴλιος Τϐβέρων, recte poſt Caſaubonum vidit Voſſius in Hiſtoricis Latinis, ubi de Tuberone. Locum Athenæi, quia in eo Legis Fanniæ fit mentio, proferre non pigebit. Μϐκιος γοῦν Σκευόλας, τρίτος ἐν Ῥώμῃ τὸν Φάνιον ἐτήρει νόμον, Ναύτιος Καικίλιος Τϐβέρων, καὶ Ῥϐτίλιος Ῥϐφος, ὁ τὴν πάτριον ἱςορίαν γεγραφώς. ἐκέλευε δ᾽ ὁ νόμος, τριῶν μὲν πλείονας τῶν ἔξω τῆς οἰκίας μὴ ὑποδέχεσθαι· κατὰ ἀγορὰν δὲ, τῶν πέντε. τϐτο δὲ, τρὶς τϐ μηνὸς ἐγένετο. *Romæ igitur Fannia lege Mutius Scævola, tertius, Nautius Cæcilius Tubero, & Rutilius Rufus, qui patriam hiſtoriam ſcripſit, adſtringi ſe voluerunt. Ea autem lege cautum erat, ne præter domeſticos, convivæ plures tribus exciperentur; diebus autem nundinarum quinque: & id ſingulis menſibus ter tantummodo fieret.* Etiam olim apud Spartianum in Hadriano, *Cæcilius* pro *Cælius* perperam legebatur: *Ciceroni Catonem,*

nem, Virgilio Ennium, Salluſtio Cæcilium prætulit. At vero pro Κεκιλίου legendum Κοιλίου apud Plutarchum in Ciceronis Vita: Κεκιλίου τοῦ ῥήτορος δεομένου παρδάλεις αὐτῷ πρός τινα θέαν εἰς Ῥώμην ἐκ Κιλικίας ἀποστεῖλαι: ut ex his Ciceronis in epiſtola ad Cœlium, quæ eſt undecima libri ſecundi, manifeſto apparet: *De pantheris, per eos qui venari ſolent, agitur mandato meo diligenter: ſed mira paucitas eſt: & eas, quæ ſunt, valde ajunt queri, quod nihil cuiquam inſidiarum in mea provincia, niſi ſibi fiat.* Similiter pro *Cæcilius* legendum videtur *Cælius* apud Jabolenum l. 64. de Donationibus inter virum & uxorem. *Sed verum eſt quod & Proculus & Cæcilius putant, tunc verum eſſe divortium, & valere donationem divortii cauſa factam, ſi aliæ nuptiæ inſecutæ ſunt.* Si enim verum eſt quod exiſtimavit Cujacius Tractatu I. ad Africanum, ſtatim initio, & Obſervationum lib. VII. cap. 2. Cæcilium Juriſconſultum eumdem eſſe ac Africanum, mendoſus ſit is locus neceſſe eſt. Nam cum hæc lex ſit Jaboleni, qui ſub Trajano vixit, & præceptor fuit Juliani, ut pluribus infra oſtendemus, certe in ea Africani mentio fieri non potuit, qui ſcripſit Notas ad Julianum, quem ejus præceptorem faciunt Cujacius, Antonius Auguſtinus, alii. His argumentis exiſtimabam olim legendum in dicta lege 64. vel *Caſſius*, vel *Caſcelius;* ſive potius *Cælius.* Sed an Cæcilius Juriſconſultus idem ſit ac Africanus, videamus.

H CAPUT

CAPUT XXIII.

De Sexto Cæcilio Juriſconſulto nonnulla. Alius videtur ab Africano, contra quam Cujacio placuit. Bertrandus laudatur. Idem improbatur.

VErba Gellii hæc ſunt Noctium Atticarum libro XX. capite I. *Sextus Cæcilius in diſciplina Juris atque Legibus Populi Romani noſcendis, interpretandiſque ſcientia, uſu, auctoritateque illuſtri fuit.* Hujus Sexti Cæcilii Jurisconſulti plurima mentio in Digeſtorum libris. Jacobus Cujacius, vir acerrimi judicii & doctrinæ ſingularis, Tractatu I. ad Africanum, ſtatim initio, & Obſervationum lib. VII. cap. 2. eumdem, ut ſuperiori capite dicebamus, eſſe exiſtimabat Sextum illum Cæcilium ac Africanum Jurisconſultum. Idem Guidoni Pancirolo videbatur. Atque id ipſum, ſed dubitanter, ſcripſit Ant. Auguſtinus libro de Propriis Nominibus Pandectarum, vir & ipſe doctiſſimus, & judicii limatuli. Ut ita exiſtimaret Cujacius, movebatur lege 3. D. de Agnoſcendis liberis: ubi dicitur Julianum Sexto Cæcilio Africano reſpondiſſe, locum eſſe præjudicio, ſi quæratur an uxor ſit. Putabat ſcilicet vir ſummus, aut certe ſummo proximus, hæc de Africano Jurisconſulto accipienda: cum, inquit, & in lege 39. de Legatis primo, dicatur Africanus Julianum per Epiſtolam conſuluiſſe. At pace tanti

Viri liceat dixiſſe, id non dicitur in dicta lege: ſed hoc tantum, *Africanus libro XX. Epiſtolarum apud Julianum quærit.* Quæ verba (quod jam pridem Bertrandus in Vita Africani obſervavit) non eum habent ſenſum, ut Julianum Africanus per Epiſtolam conſuluerit: verum, ut Africanus hoc ipſo in libro quæſtionem a Juliano agitatam retulerit, & in ejus diſceptatione judicium adhibuerit ſuum. Nec diſplicet conjectura Bertrandi, exiſtimantis ſcriptum fuiſſe, *Africanus libro IX. Quæſtionum apud Julianum quærit:* niſi potius dicamus, libros Quæſtionum Africani & libros ejus Epiſtolarum, eosdem fuiſſe, quod ſupra cap. xx. de libris Quæſtionum Labeonis, ejusque Epiſtolarum libris obſervabamus: tum quod alibi librorum Epiſtolarum Africani, at cujus viri? mentio nulla exſtet, (quos numero ſaltem viginti fuiſſe oportuit; ſiquidem viceſimus ibi laudatur) tum quia libri Quæſtionum Africani ad Juliani ſcripta maxime ſpectaſſe videantur. Certe illius auctoritate in his utitur frequenter: adeo ut, cum ita ſimpliciter ſcribit, (ſcribit autem ſæpiſſime) *ait, exiſtimavit, negavit, putavit, inquit, reſpondit, placet, notat,* non de ſe, ſed de Juliano intelligere, veriſſime præſtantiſſimus Cujacius exiſtimarit. Idem exiſtimaſſe obſervo & Græcos ad legem 15. de Statu liberis, in his Africani verbis: *mortuo herede, ſi ſtatu liber locupletiorem hereditatem tanta pecunia, quantam dare ſit juſſus, fecerit, ſtatim eum ad libertatem eſſe*

 ven-

venturum EXISTIMAVIT: nam ad hoc poſtremum verbum *exiſtimavit*, ſcripſit Græcus Scholiaſtes lib. 48. Baſilicorum Tit. v. 12. καὶ λέγει ἰȣλιανὸς, ὡς ἀναφέρει αὐτὸν ὁ Ἀφρικανὸς, παραχρῆμα ἐλευθερῶσαι τὸν οἰκέτην. Ita ad legem 22. de Manumiſſis teſtamento, ubi ſimpliciter Africanus ſcripſerat *reſpondit*, eodem libro 48. Baſilicorum Tit. III. 23. Scholia habent, ἀπεκρίνατο ἰȣλιανός. Paulus quoque leg. 45. de Actionibus empti & vend. Juliani ſententiam referre ſcripſit Africanum: *idque*, inquit, *& Julianum agitaſſe*, *Africanus refert*. Quod addit ampliſſimus Bertrandus, hæc verba in dicta lege 39. *Africanus lib. 20. Epiſtolarum apud Julianum quærit*, *putatque ſumptum præſtandum*, aperte ſignificare Africanum per Epiſtolam de ſpecie propoſita Julianum non conſuluiſſe, quando ipſe ſuam ſententiam exponat, nihil moror: cum qui alios de re aliqua conſulunt, ſoleant & ipſi quid ſentiant, priores dicere. Cujus rei exempla ſuppeditat lex 28. de Rebus auctoritate Judicis poſſidendis: *Me illud maxime movet*, *quod præceptoribus tuis placet &c.* Item lex 26. de Uſufructu legato: *Movet enim me*, *quod dies legati &c.* & lex 4. Quibus ad libertatem proclamare non licet: *Movet me exemplum cujusvis liberi hominis.* Adde legem 39. de Actionibus empti & venditi. Putabat autem vir ille ampliſſimus, contra quam Cujacius, & Pancirolus putarunt, Africanum recte a Lampridio ſub Alexandro reponi; atque alium

eſſe,

eſſe, & a Sexto illo Cæcilio Africano, qui Julianum conſuluiſſe dicitur, & a Sexto Cæcilio, de quo paſſim in Digeſtis, & de quo Gellius dicto loco. Ad ætatem Africani quod attinet, fallitur procul dubio: nam Africanum inter Conſiliarios Alexandri non ſediſſe, & Diſcipulum Papiniani non fuiſſe, nulla dubitatio eſt. Ante tempora Imperatorum Severi & Antonini, quibus vixit Papinianus, vixiſſe Africanum, patet ex lege 109. de Legatis primo, quæ deſumpta eſt ex libro Quæſtionum ejus ſexto, & cujus hæc ſunt verba: *Si quando quis uxori ſuæ ea quæ vivus donaverat, vulgari modo leget, non de aliis donationibus videri eum ſentire ait, quam de his, quæ jure valituræ non ſunt; alioquin & fruſtra legaturus ſit. Atque ſi ita exprimat*, quæ uxori jure donavero: *vel ita*, quæ uxori manumiſſionis cauſa donavero, ea ei lego: *nam inutile legatum futurum eſt.* Inde patet, temporibus Africani res uxori a marito donatas, non aliter uxoris factas, niſi a marito legatæ fuiſſent; nec morte donatoris donationem ſilentio confirmatam: quod poſt dictum Antoninum fruſtra ſcripſiſſet, ut ad dictam legem acute Cujacius obſervabat: cum ex ejus Oratione, quam ante exceſſum patris ſui Severi in Senatu habuit, non fuerit neceſſe uxori res ipſi donatas legare. Scilicet conſtituit, ut donationes inter virum & uxorem ſilentio confirmarentur; & morte Donatoris, ſi non mutaverit voluntatem, leg. 32. D. de Donat. Inter virum & uxorem.

 Adde,

Adde, quod Papiniani Africanus nuſquam meminit: cujus, qua erat in ſcientia Juris Civilis auctoritate, profecto meminiſſet; non modo ſi diſcipulus ejus, ſed ſi ei, aut ætate poſterior, aut etiam ſuppar exſtitiſſet. Quamquam enim rarius aliorum teſtimoniis utitur, utitur tamen, non Juliani ſolum, de quo ſupra diximus, ſed etiam Servii, Melæ, Atilicini, atque Fufidii. Ad locum Lampridii quod ſpectat, omnino mendoſus eſt: ut jam ſupra monuimus: ſiquidem præter Africanum, multi alii Juriſperiti inter Conſiliarios Alexandri inibi numerantur, qui ætate Alexandrum anteceſſerunt: quales ſunt, Pomponius, Alphenus, Mæcianus, Tryphonius, Celſus, Proculus. Neque etiam hæc nomina in vetuſtis Membranis comparent: quarum ope Claud. Salmaſius locum integrum ſic veriſſime conſtituebat: *Et ut ſcias, qui viri in ejus conſilio fuerint: Fabius Sabinus, Sabini, inſignis viri, filius, Cato temporis ſui: Domitius Ulpianus, Juris peritiſſimus: Antoninus Gordianus, Gordiani Imperatoris filius, & ipſe Imperator, vir inſignis: Julius Paulus, Juris peritiſſimus: Claudius Venatus, Orator ampliſſimus: Catilius Severus, cognatus ejus, vir omnium doctiſſimus: Ælius Serenianus, omnium vir ſanctiſſimus: Quintilius Marcellus, quo meliorem ne Hiſtoriæ quidem continent.* Antea legebatur: *Et ut ſcias, qui viri in conſilio ejus fuerunt: Fabius Sabinus, Sabini, inſignis viri, filius. Cato temporis ſui: Domitius Ulpianus, Juris peritiſſimus: Ælius*

Ælius Gordianus, Gordiani Imperatoris pater, & ipſe revera vir inſignis: Julius Paulus, Juris peritiſſimus: Claudius Venatus, Orator ampliſſimus: Pomponius, Legum peritiſſimus: Alphenus: Africanus: Florentinus: Martianus: Calliſtratus: Hermogenes: Venulejus: Tryphonius: Metianus: Celſus: Proculus: Modeſtinus: Hi omnes Juris Profeſſores, diſcipuli fuere ſplendidiſſimi Papiniani, & Alexandri Imperatoris familiares, & ſocii, ut ſcribit Acholius, & Marius Maximus: Catilius Severus, cognatus ejus, vir omnium doctiſſimus: Ælius Serenianus, omnium vir ſanctiſſimus: Quintilius Marcellus, quo meliorem ne Hiſtoriæ quidem continent. Qui locus vitioſus, mirum in quantos errores Bertrandum induxit, dum ſanum eſſe contendit. Errandi occaſionem dedit & Paulo Thomæ Giracio, viro alioquin doctiſſimo, qui in Replicatione ad Petrum Coſtardum, Alphenum & Africanum Juriſconſultos Longino Critico æquales facit. Ad Cæcilium redeo. Verebatur Antonius Auguſtinus, (nam, ut dixi, dubitanter eumdem illum eſſe ac Africanum pronunciavit) an Africano paulo antiquior eſſet: quia apud Gellium, dicto loco, Sexti Cæcilii diſſertatio ſuper Legibus XII. Tabularum cum Favorino, qui temporibus Hadriani floruit, referatur. Addo, ſaltem ſub Pio, ac primis imperii ejus temporibus, Sextum Cæcilium diem ſuum obiiſſe: ejus quippe, ut fato functi, meminit Gellius: *Sextus Cæcilius*, inquit, *in diſciplina Juris atque Legi-*

Legibus Populi Romani noſcendis, interpretandisque, ſcientia, uſu, auctoritateque illuſtri fuit. At Gellium ſub Hadriano Noctes Atticas inchoaſſe, ſub Antonino Pio perfeciſſe, certo ſcimus. Non minorem difficultatem habet, quod ſubjungit idem Auguſtinus, Cæcilii mentionem facere Jabolenum in lege 64. de Donationibus inter virum & uxorem, cujus verba ſuperiori capite retulimus. Nam vixit Jabolenus ſub Trajano, ut ex Plinii Epiſtola colligere licet: fuitque Juliani præceptor, vel ipſo Juliano teſte in lege 5. de Manumiſſis vindicta. Julianum autem ſub Hadriano Edictum Perpetuum condidiſſe conſtat. Non igitur potuerit Jabolenus Africani auctoritate uti: quem ſcilicet Juliani diſcipulum faciunt, & Cujacius, & Auguſtinus, & Pancirolus, & Eberlinus, (nam & de eo ambigitur) ſed quem certe Jaboleno poſteriorem multo fuiſſe, in dubium revocari non poteſt. Jaboleno quippe in tradenda Juris diſciplina Julianus ſucceſſit, ut eſt apud Pomponium in lege 2. de Origine Juris: Juliano Africanus, ut ex ſuperioribus conſtat. Putabat igitur Antonius Auguſtinus, hæc verba, *quod Proculus & Cæcilius putant*, in dicta lege 64. non Jaboleni, ſed Pauli, aut Triboniani eſſe. Quomodo Pauli eſſe poſſint, equidem non video. Exiſtimabam aliquando; quod ſuperiori capite monui; *Cæcilii* nomen fuiſſe corruptum, & pro *Cæcilius* ſcribi debere, vel *Caſſius*, vel *Caſcelius:* ſive potius *Cælius:* ita Sabinus vocabatur. Sed forte nihil

nihil mutandum; & de Sexto Cæcilio intelligendus Jabolenus: quem quidem Sextum Cæcilium diverſum fuiſſe ab Africano, ex his quæ ſupra memoravimus, veroſimile eſt. Quibus adde, quod licet plurimis in locis & Sexti Cæcilii & Africani mentio fiat in libris noſtris, nusquam tamen, præterquam in dicta lege 3. de Agnoſcendis liberis, conjunctim legitur *Sextus Cæcilius Africanus.* Potuit vero Jabolenus Sexti Cæcilii teſtimonio uti: nam & temporibus Antonini Pii floruiſſe Jabolenum, diſcimus ex Capitolino in Pio. *Multa*, inquit, *de jure ſanxit, uſusque eſt Juris peritis, Vinidio Vero, Salvio Valente, Voluſio Metiano, Ulpio Marcello, & Jaboleno.* Sed lege tertia de Agnoſcendis liberis quid faciemus, ubi Sextus Cæcilius *Africanus* appellatur? *Julianus Sexto Cæcilio Africano reſpondit.* An duos Africanos Jurisconſultos fuiſſe dicemus; Sextum Cæcilium Africanum, qui vulgo *Sextus Cæcilius;* & Africanum, qui ſimpliciter *Africanus* fuerit appellatus? An potius dicemus, Sextum illum Cæcilium Africanum, cui Julianus reſpondit, Conſultorem aliquem, qui Julianum conſuluerit, non Jurisconſultum, fuiſſe? Ita ſane videtur.

Similiter in lege 6. de Legatis præſtandis, hæc verba Juliani, *Salvius Ariſto Juliano ſalutem*, non de Ariſtone Jurisconſulto, ſed de alio Ariſtone, qui Julianum conſuluerat, accipienda contendimus. Ampliſſimus Bertrandus in Vita Juliani, & in Vita Ariſtonis, legendum volebat in dicta lege,

Ariſtoni Salvius Julianus ſalutem: tum quia ab Ariſtone, ætate provectior cum eſſet, conſultum Julianum non eſt veriſimile: tum quia Ariſto, non *Salvius*, ſed *Titus* dicebatur: quod nomen fuit Juliani. *Ariſtoni Salvius Julianus ſalutem*, inepta eſſet inſcriptio: nam in Epiſtolarum titulis nomen ſcribentis præponi debet. Πλάτων Διονυσίῳ. Ἀριστοτέλης βασιλεῖ Ἀλεξάνδρῳ. *Marcus Cicero Conſulibus, Prætoribus, Tribunis plebis, Senatui, Populoque Romano. Cajus Plinius Secundus Veſpaſiano ſuo ſalutem. Cajus Plinius Trajano Imperatori ſalutem dicit.* Quod adeo fieri conſuetum, ut Auſonius, qui nomen ſuum, ad Paulinum ſcribens, poſtpoſuerat, ejus rei, velut ruſticæ, excuſationem ab eo petat; dicens, ſe metro coactum, ut Paulini nomen prius apponeret.

PAULINO AUSONIUS. *Metrum ſic ſuaſit, ut eſſes*
Tu prior; & nomen prægrederere meum:
Quamquam & faſtorum titulo prior, & tua Roma
Præceſſit noſtrum Sella Curulis ebur.

Martialis tamen hæc eſt epiſtolæ ad Domitianum inſcriptio: *Imperatori Domitiano Cæſari Auguſto, Germanico, Dacico, Valerius Martialis ſalutem.* Sed ut veriſſime Vinetus ad Auſonii recitatum locum, hæc paraſitica ſunt, non Græca, aut Latina. Quæcumque autem ſunt in Digeſtis inſcriptiones epiſtolarum, in his ſcribentis nomen præponi-

ponitur. *Domitius Labeo Celſo ſuo ſalutem: Jubentius Celſus Labeoni ſuo ſalutem*, l. 28. Qui teſtamenta facere poſſunt. *Plotiana Celſo ſuo ſalutem: Juventius Celſus Plotianæ ſalutem*, l. 18. de Jure Codicillorum. *Proculus Nepoti ſuo ſalutem*, l. 67. de Jure Dotium: & alibi paſſim, locis innumeris: quos, ſi tanti eſt, vide apud Johannem Raymundum in Epiſtolis Legalibus.

CAPUT XXIV.

De Salvio Juliano. Auctor fuit Edicti Perpetui, non, quod Hugo Grotius exiſtimavit, Didius Julianus Imperator. Videtur & auctor fuiſſe Salviani Interdicti. Aurelius Victor emendatur. Lectio legis 1. D. ad L. Falcidiam contra Cujacium adſtruitur. Theæteti Epigramma exponitur. Johannes Brodæus notatur. De Juliano Anteceſſore Conſtantinopolitano. Alia plura.

LUbet hoc capite de Salvio Juliano Juriſconſulto pluribus diſſerere. Patria Mediolanenſem fuiſſe volunt. Puto, quia Didius Julianus, Imperator, ejus pronepos, ortu fuerit Mediolanenſis: ſed nihil hæc ad Salvii Juliani Juriſconſulti patriam. Caſaubonum vide ad Spartiani Didium Julianum. Jaboleno ſucceſſit, ut

eſt apud Pomponium in l. 2. §. ult. de Origine Juris: ab eoque eruditus eſt, ut ipſemet profitetur lege 5. de Manumiſſis vindicta. *An apud ſe, inquit, manumittere poſſit is, qui conſilium præbeat, ſæpe quæſitum eſt. Ego, cum meminiſſem Javolenum, præceptorem meum, & in Africa & in Syria ſervos ſuos manumiſiſſe, cum conſilium præberet, exemplum ejus ſecutus, & in Prætura & in Conſulatu meo quosdam ex ſervis meis vindicta liberavi; & quibusdam Prætoribus conſulentibus me idem ſuaſi.* Floruit ſub Hadriano. Teſtatur Spartianus in Hadriano: *Quum judicaret, in conſilio habuit non amicos ſuos aut comites ſolum, ſed Jurisconſultos: & præcipue Julium Celſum, Salvium Julianum, Neratium Priſcum, aliosque: quos tamen Senatus omnis probaſſet.* Et juſſu Hadriani Edicta Prætorum in ordinem redegit. Juſtinianus Imperator in Præfatione Digeſtorum ad Magnum Senatum, §. 18. καὶ πρός γε, Ἀδριανὸς ὁ τῆς εὐσεβοῦς λέξεως, ὅτε τὰ παρὰ τῶν Πραιτώρων κατ᾽ ἔτος ἕκαστον νομοθετούμενα, ἐν βραχεῖ τινι συνῆγε βιβλίῳ, τὸν κράτιστον Ἰουλιανὸν πρὸς τοῦτο παραλαβὼν, &c. Id eſt, Contio Interprete, *Sed & Divus Hadrianus piæ memoriæ, quando ea, quæ a Prætoribus quotannis edicta fuerant, brevi complexus eſt libello, adſumpto ad id optimo Juliano.* Quod ait hoc loco Juſtinianus; id obiter ut moneam; Imperatorem Hadrianum brevi libello complexum fuiſſe Prætorum Edicta, minus convenit cum eo, quod in Præfatio-

ſatione Paratitlorum ſcripſit. Claudius Colombettus, Senator Pariſienſis, vir Juris & Juſtitiæ conſultiſſimus; Salvium ſcilicet Julianum centum digeſtorum Edictorum libros ediſſe. Unde hæc habuerit Colombettus, diu quæſivi, ſed fruſtra. In Indice Juſtinianeo, qui Pandectis Florentinis præfixus eſt, Salvio Juliano Digeſtorum libri nonaginta tribuuntur: qui libri non alii videntur eſſe a libris Edictorum: ſi enim diverſi eſſent, librorum Juliani ad Prætorum Edicta non meminiſſet auctor illius Indicis: quorum non meminiſſe; qua erant auctoritate; piaculum fuisſet. Sed plures Digeſtorum libros ſcripſiſſe Julianum, diſcimus ex inſcriptione legis 32. ſub titulo de Legibus: in qua nonageſimus quartus memoratur. Et forſan Colombettus hos eſſe numero centum dixit, numero rotundiore: quemadmodum ſeptuaginta Bibliorum Interpretes, pro ſeptuaginta duobus, appellitamus. Sed nonaginta tantum ut fuerint libri illi Juliani, quomodo eos *brevem libellum* vocavit Juſtinianus? Exiſtimabat Bertrandus, in Vita Juliani, Julianum quæ brevi libello complexus primum fuerat Prætorum Edicta, ea poſtea in his Digeſtorum nonaginta libris latiſſime explicaſſe: quæ ſententia probabilis videtur. Ita Epiphanius, quæ ſummatim prius de Hæreſibus ſcripſerat, fuſius deinde tractavit. Sed ad propoſitum. Juſſu, inquam, Hadriani Edicta Prætorum redegit Salvius Julianus. Idem Juſtinianus, in Præfatione alia Digeſtorum;

ſtorum; quæ eſt ad Senatum & omnes Populos; §. itidem 18. *Sed & Divus Hadrianus in compoſitione Edicti, & Senatusconſulto quod eam ſecutum eſt, hoc apertiſſime definivit, ut ſi quid in Edicto poſitum non invenitur, hoc ad ejus regulas, ejusque conjecturas & imitationes poſſit nova inſtruere auctoritas.* Et deinde: *Et hoc non primum a nobis dictum eſt, ſed ab antiqua deſcendit proſapia, cum & ipſe Julianus, Legum & Edicti Perpetui ſubtiliſſimus conditor, in ſuis Libris hoc retulit, ut ſi quid imperfectum inveniatur, ab Imperiali ſanctione hoc repleatur.* Et in lege penult. Cod. de Condictione indebiti: *Et hujus ſententiæ ſublimiſſimum teſtem adducit* (de Papiniano loquitur) *Salvium Julianum, ſummæ auctoritatis hominem, & Prætorii Edicti Perpetui ordinatorem.* Hieronymus in Chronico Euſebiano, anno Hadriani XV. Domini 132. *Salvius Julianus Perpetuum compoſuit Edictum.* Poſt hæc, Hugonis Grotii (at cujus viri?) incogitantiam quis non miretur? qui in Sparſione Florum ad legem 2. de Origine Juris, Didium Julianum, Imperatorem, Edicti Perpetui auctorem facit; eumdemque eſſe putat ac Salvium Julianum Juriſconſultum. Virum magnum Aurelii Victoris locus ille, in Cæſaribus, decepit; *At Didius (an Salvius?) Julianus, fretus Prætorianis, quos in ſocietatem promiſſis magnificentioribus perpulerat, ex Præfectura Vigilum ad inſignia dominatus proceſſit. Genus ei pernobile, Juriſque urbani*

bani præſtans ſcientia: quippe qui primus Edictum, quod varie inconditeque a Prætoribus promebatur, in ordinem compoſuerit. Hæc verba, *an Salvius?* addititia eſſe nemo non videt. Sed & illa, *quippe qui primus Edictum, &c.* interpretamentum videntur, quod ad τὸ *Juris urbani præſtans ſcientia* Sciolus quidam adnotaverat. Conſtat tamen Didium Julianum peritum fuiſſe Juris. Hieronymus in Chronico Euſebiano: *Pertinax occiditur, in Palatio, Juliani Juriſperiti ſcelere: quem poſtea Severus apud Mulvium pontem interfecit.* Aurelius Victor in Epitome: *Didius Julianus, ortu Mediolanenſis, impemvit menſibus ſeptem. Vir nobilis; Jureperitiſſimus; factioſus; præceps; regni avidus.* Paulus Diaconus: *Didius Salvius Julianus, ortu Mediolanenſis, nonusdecimus ab Auguſto Rempublicam invaſit. Vir nobilis, & Jure peritiſſimus: nepos Salvii Juliani, qui ſub Divo Antonino Perpetuum compoſuit Edictum.* Etiam Caſaubonus ad hæc Spartiani, *Didio Juliano, qui poſt Pertinacem, imperium adeptus eſt, proavus fuit Salvius Julianus, bis Conſul, Præfectus Urbi, & Juriſconſultus: quod magis eum nobilem fecit,* hæc habet: *Adeo quidem, ut Græci Scriptores nonnulli ipſum* (Didium) *quoque appellent τὸν νομοθέτην: quaſi fuerit hic ille celeberrimus Juriſconſultus, qui Edictum Perpetuum compoſuit: quod Aurelius Victor falſo putavit.* ¶ Ad Julianum JCtum ut redeam, non hic tacendum, quod de ſe ipſe teſtatum reli-

quit

quit apud Pomponium l. 20. de Fideic. libertat. *Nam ego diſcendi cupiditate, quam ſolam vivendi rationem in octavum & ſeptuageſimum annum ætatis duxi, memor ſum ejus ſententiæ, qui dixiſſe fertur*, Κἂν τὸν ἕτερον πόδα ἐν τῇ σορῷ ἔχω, προσμαθεῖν τι βουλοίμην. *Etſi alterum pedem in tumulo haberem, non pigeret aliquid addiſcere.* ¶ Poſtquam Prætorum Edicta in unum corpus collegit, iis Prætores uſi ſunt, deſieruntque, ipſi nova proponere. ¶ Aquitaniam eum rexiſſe ſcribit Pancirolus in ejus Vita: itemque Altaſerra libro 4. Rerum Aquitanicarum capite XI. De Salvio Juliano Juriſconſulto accipiunt ſcilicet hæc Calliſtrati in l. 12. de Cuſtodia & exhibit. reorum: *Salvio quoque Legato Aquitaniæ idem Princeps ſcripſit, in eum qui cuſtodiam dimiſit, aut ita ſciens habuit, ut poſſit cuſtodia evadere, animadvertendum.* Sed quæ de alio Salvio accipienda, ut viſum Ant. Auguſtino libro de Propriis Nominibus Pandectarum. Addit Pancirolus, Belgicam quoque, Dalmatiam, Germaniam, atque Bæticam adminiſtraſſe. Sed hoc addit ſine ullo teſtimonio: nec argumenta, quibus in hanc adductus eſt ſententiam, divinare poſſum. Conſtat eum in Ægypto fuiſſe; vel ipſo teſte, l. 36. de Solut. *Nam & Ariſtoteles ſcripſit, quinque naſci poſſe, quia vulva mulierum totidem receptacula habere poſſunt: & eſſe mulierem Romæ Alexandrinam ab Ægypto, quæ quinque ſimul pepererit: & tum habebat incolumes: & hoc in Ægypto adfirmatum eſt mihi.* Sed

Sed an privatus, an cum imperio, incertum eſt. *Amicum ſuum*, & *clariſſimum virum* eum vocant. Divi Fratres l. 17. de Jure Patronatus. Bis Conſulem fuiſſe, fuiſſe & Præfectum Urbi ſcribit Spartianus in Juliano Imperatore: *Didio Juliano, qui poſt Pertinacem imperium adeptus eſt, proavus fuit Salvius Julianus, bis Conſul, Præfectus Urbi, & Juriſconſultus.* Obiter obſervandum; falſum fuiſſe Politianum, qui in erudita illa de veteribus Juriſconſultis ad Jacobum Modeſtum epiſtola, Didium Julianum Imperatorem Salvii Juliani Juriſconſulti avunculum appellat. ¶ Conſulatus ſui meminit ipſe lege 5. de Manumiſſis vindicta: ubi ſuæ quoque Præturæ mentionem facit. Locum ſupra retulimus. Cum Prætor eſſet, Salviani Interdicti auctor fuiſſe creditur. Fuiſſe illius auctorem; adfirmat Colombettus in Paratítlo ad titulum de Salviano Interdicto. Certe hoc Interdictum ab illo inventum, ſuſpicari ſe dicit Cujacius in Paratitlo ad Titulum de Salviano Interdicto: ubi eidem Juliano acceptum ferri ſcribit Edictum Novum de conjungendis cum emancipato liberis. ¶ Ὁ πάντων τῶν ἐν νομοθέταις ηὐδοκιμηκότων σοφώτατος, *omnium Juris Conditorum qui olim claruerunt, prudentiſſimus*, dicitur Juſtiniano in Præfatione Digeſtorum ad Magnum Senatum. Ejusque auctoritate utitur idem Juſtinianus leg. 1. §. 10. de Vetere Jure enucleando: *Secundum Salvii Juliani ſcripturam, quæ indicat debere omnes civitates conſuetudinem*

Romæ ſequi & leges; quæ caput eſt orbis terrarum; non ipſam alias civitates. ¶ Eum Mæcianus *ſuum* appellat, leg. 86. de Conditionibus & demonſtrationibus. ¶ A Celſo diſſentire ſolitum, obſervat Cujacius Obſervationum libro XXVII. cap. 13. & libro VIII. cap. 35. ¶ Caſſianus fuit, ut videre eſt, ex ſerie Caſſianorum apud Pomponium in dicta lege 2. de Origine Juris. Quare Vir magnus Obſervationum XXV. 23. in his verbis legis 1. §. 14. ad L. Falcidiam, *Si coheredis mei portio exhauſta ſit, mea integra, & illam vindicavero; Caſſius confundendas eſſe partes exiſtimat: Proculus contra: in qua ſpecie & Julianus Proculo adſenſit;* pro *Proculo* legendum putabat *Caſſio.* Sed nihil mutandum. Julianus enim, licet Caſſianus, a Caſſio nonnunquam diſſentit: ut in lege XI. §. 12. Quod vi aut clam: *Nam inter Caſſium & Julianum, de illo quod medio tempore accidit, quæſtio eſt.* Quin & ſequitur aliquando Proculi ſententiam: ut in lege 6. D. de Liberis & poſtumis. *Si caſtratus ſit, Julianus, Proculi opinionem ſequutus, non putat poſtumum heredem poſſe inſtituere.* Adde, quod hæc verba, *in qua ſpecie*, innuere videntur Julianum, quamvis non Proculejanum, Proculo tamen in ea ſpecie adſentire: quaſi in aliis non adſentiret. Similiter Marcellus, acerrimus Juliani reprehenſor, cum Juliano aliquando idem ſentiebat: de quo videndus magnus magiſter Obſervationum lib. XIV. cap. 35. Videndus & Merillius, Juris & ipſe

ipſe peritiſſimus, Obſervationum lib. 1. cap. 4. atque etiam lib. 4. cap. 38. ubi vocem *omnes*, in his Ulpiani verbis leg. 1. D. de Uſufructu adcreſcendo, *omnes enim auctores apud Plautium de hoc conſenſerunt*, tam Sabinianos, quam Proculejanos, qui ad Plautium ſcripſerant, recte interpretatur. Fuit vero Marcellus adeo magnus Juliani reprehenſor; quod belliſſime Cujacius libro Obſervationum XIV. cap. 35. obſervavit; ut alii Juris auctores, cum quid veriſſimum eſſe ſignificare volunt, & Julianum id dicant ſcribere, & veriſſimum eſſe cum & Marcellus conſentiat.

Exſtat lib. 4. Anthologiæ Titulo 1. qui eſt in Statuas Virorum illuſtrium, Theæteti cujusdam in Julianum Juriſconſultum Epigramma; in quo *Jurisprudentiæ lumen*, & *ingens Naturæ miraculum* appellatur.

Τȣ̃τον Ιȣλιανὸν, Νομικῆς Φάος, εἶπον ἰδȣ̃σαι
Ρώμη καὶ Βερόη· πάντα Φύσις δύναται.

πάντα Θεὸς δύναται edidit Bertrandus, loco mox memorando. Johannes Brodæus, vir ſupra quod vulgus Eruditorum putat, eruditus, in Notis ad hoc Epigramma, Julianum illum accipit de Salvio Juliano. Similiter Bertrandus in Vitis Juriſconſultorum, vir & ipſe doctiſſimus. Sed omnino accipiendus de Juliano Anteceſſore, quod recte vidit Fabrotus in Notis Prioribus ad Theophilum: quod & ante ipſum viderat Franciſcus Pithœus, qui illud Epigramma in capite Epitomes Novellarum edendum curavit. Id

vero vel ipſa vox Βερόη, quæ Berytienſium civitatem hoc loco ſignificat, manifeſtum facit; & omnino fallitur Bertrandus, qui pro Ῥώμη καὶ Βερόη; quia ſcilicet Beryti, non Beroæ, Jurisprudentiæ Schola fuerit; Ῥώμη, Βηρυτὸς emendare conatur. Berytus, *Beroë* dicta fuit: quod jampridem ad Euſebii Chronicon vir maximus ex hoc Nonni loco animadvertit:

> Πρωτοφανὴς Βερόη πέλε σύγχρονος ἥλικι κόσμῳ
> Νύμφης ὀψιγόνοιο φερώνυμος, ἣν μετανάσαι
> Τίεες Αὐσονίων ὑπατήϊα φέγγεα Ῥώμης
> Βηρυτὸν καλέουσιν, ἐπεὶ Λιβάνῳ πέσε γείτων.

Nec non ex Johannis Barbucalli epigrammate in incendium Beryti: ubi, poſtquam de Beryto dixiſſet,

> Αἱ Βερόης πολλαὶ κείμεθα χιλιάδες,

ſubjungit; de eadem urbe ſermonem faciens;

> Βηρυτὸς γοερὴ κεῖται ὑπὲρ δαπέδων.

Quibus locis addo hunc Nonni locum ex Dionyſiacorum tertio:

> Ῥώμη μὲν ζαθέη δωρήσεται Αὐσόνιος Ζεὺς
> Κοιρανίην· Βερόη δὲ χαρίζεται ἡνία θεσμῶν.

Tres tantum in orbe Romano fuiſſe Scholas, in quibus Leges docuiſſe licitum; Romanam, Conſtantinopolitanam, Berytienſem; etiam Dupondiis, ſive Juſtinianis novis, notum. Et, quod notatu

notatu dignum, duo tantum Romæ; totidem Conſtantinopoli; fuere Juris Profeſſores; ut colligere eſt ex titulo de Studiis Liberalibus urbis Romæ & Conſtantinopolitanæ, in Codice Theodoſiano & in Codice Juſtinianeo: quatuor vero Beryti, quod conjicere eſt ex conſtitutione Juſtiniani de Juris docendi ratione, ſcripta ad octo Anteceſſores. Cum enim duos duntaxat Romæ, totidem Conſtantinopoli conſtet fuiſſe Anteceſſores, conſequens eſt quatuor reliquos fuiſſe Berytienſes. Quis Imperatorum primus id de tribus illis Scholis ſtatuerit, haud comperi. Certe non Juſtinianus: vel ipſo teſte. Sic enim ille Præfatione in Digeſta de Juris docendi ratione: *Hæc autem tria Volumina a nobis compoſita tradi eis, tam in Regiis Urbibus,* (ita vocat Romam & Conſtantinopolim) *quam in Berytienſium, pulcherrima civitate* (*quam &* Legum Nutricem *bene quis appellet*) *tantummodo volumus: quod jam & a retro Principibus conſtitutum eſt, & non in aliis locis, quæ a Majoribus tale non meruerint privilegium, &c.* Sed ante Hadrianum, ſub quo Salvius Julianus, id ſtatutum fuiſſe, non eſt veriſimile; cum ejus rei tot Scriptorum, qui eo vixerunt tempore, meminerit nemo. Berytienſis Scholæ primus, quod ſciam, meminit, qui temporibus Alexandri Severi claruit, Gregorius Thaumaturgus, in Oratione Panegyrica ad Origenem. De noſtro Salvio Juliano accipi igitur ſuperius Epigramma non poteſt. Accedit, quod Epi-

grammata cetera, quæ hoc primo titulo libri quarti Anthologiæ leguntur, ſcripta ſunt in Statuas Virorum illuſtrium, qui omnes ſub Juſtiniano, aut poſt Juſtinianum vixerunt. Deinde, videtur illud Epigramma in Juliani ſtatuam ſcriptum fuiſſe vivo Juliano. Quamvis autem ætatem Theæteti, qui illud ſcripſit, certo dicere non poſſumus: eam fruſtra in Libro Græcorum Poëtarum Voſſii quæſivimus; fugit enim hoc Poëtæ nomen Voſſii diligentiam; illum tamen longe poſt Hadrianum vixiſſe, certiſſimis conjecturis adfirmare non dubitamus. In eadem Anthologia alia ſunt Epigrammata Theæteti Scholiaſtici, qui non alius videtur ab hoc noſtro. Verum amplius cogitandum, an Julianus ille Anteceſſor, de quo Theæteti accipiendum putamus Epigramma, idem ſit ac Julianus ille Anteceſſor, cujus exſtat Græcarum Novellarum Conſtitutionum Latina Interpretatio, tantis laudibus a Cujacio in libris Obſervationum celebrata: quem circa tempora Juſtini junioris, Tiberii & Mauricii vixiſſe putat earum ſecundus Editor, Miræus: quemque Patricium & Exconſulem; quo argumento neſcio; Alciatus in Parergis lib. 2. cap. 46. atque alibi, appellat. Movet dubitationem, quod Julianus ille Anteceſſor, Conſtantinopolitanus Profeſſor fuerit: quare ſi de eo locutus eſſet Theætetus, Romæ & Beryti addere debuiſſet Conſtantinopolim. Sed Romæ ac Beryti potuit docuiſſe; aut certe innotuiſſe; antequam Conſtantinopoli doce-

doceret. Et omnino mihi non diverſi videntur. Nec obſtat, quod temporibus Juſtiniani, poſt quem vixiſſe Julianus ille Conſtantinopolitanus exiſtimatur, terræ motu Berytus diruta fuerit, ut præter Agathiam, loco notiſſimo, teſtatur Beatus Antoninus in Itinerario, non ita pridem edito Andegavis ex Bibliotheca Claud. Menardi, popularis mei, viri clariſſimi & doctiſſimi, & quem honoris cauſa nomino; Sed quod *Iter* inſcribi debuit: *Deinde venimus in civitatem ſplendidiſſimam Beryton, in qua nuper fuit Studium Literarum: quæ & ipſa ſubverſa fuit: dicente nobis Epiſcopo civitatis, cui cognitæ fuerunt perſonæ, exceptis peregrinis, qui ibi perierant.* Nam & ipſe Agathias teſtatur, Berytum paulo poſt reædificatam fuiſſe; & Legum Romanarum Scholam, quæ Sidonem, urbem vicinam, translata fuerat, illuc revocatam. Exſtant in Anthologia nonnulla Ἰουλιανοῦ ἀντικένσορος Epigrammata, quem non alium quoque arbitramur a Conſtantinopolitano Profeſſore: *Antecessor* enim idem ac *Profeſſor:* & minus vere Heſychius; quod alicubi Cujacius obſervabat; *ἀντικένσωρ, ὁ τοὺς νόμους μεμαθηκώς* interpretatur, *διδάσκων* debuit dicere. ¶ Ceterum Juliani illius Anteceſſoris locus ex Novella 123. cap. 59. adducitur a Gratiano in ſecunda Decreti parte, Cauſa 19. Quæſtione 3. capite ultimo: qua de re videndus Alciatus lib. 4. *παρέργων* cap. 23. & Cujacius Obſervat. lib. XII. cap. 25. Sed & pleraque

que ex ejus Interpretatione in Epiſtolis ſuis refert Gregorius.

CAPUT XXV.

Mulieres dominæ *appellatæ. De vocabulo* domini *plura.*

NOtat alicubi H. Stephanus: puto in Tractatu de Affinitate Linguæ Gallicæ cum Græca: nam mihi hanc Obſervationem Silvam in ipſa præli feſtinatione exaranti, locum inſpicere non vacat. Notat, inquam, H. Stephanus, veteres Græcos Amaſias ſuas numquam *Dominas*, ſed *Mulieres* tantum, aut *Puellas*, aut *Amicas* appellaſſe. Eas hodie, & *Reginas*, & *Heroidas*, & *Angelos*, & *Deas* etiam, ſi Diis placet, appellamus. Tamen apud Theſſalos quælibet mulieres *Dominæ* vocitabantur; *δεσποίνας, γυναῖκας Θέσσαλοι*, inquit Lexicographorum doctiſſimus Heſychius. At vero apud Latinos *Dominas* ab Amatoribus ſuis dictas Amaſias, etiam primis temporibus, nulla dubitatio eſt. Ovidius:

> *Hei mihi! quod Dominam, nec vir, nec femina, ſervas.*

Neque ſolæ Amaſiæ ab ſuis Amatoribus, verum & a Maritis Uxores ita olim dictæ. Cervidius Scævola lege 19. de Annuis legatis. *Qui Marco, homini docto, certa annua præſtabat, teſtamento cavit: Domina ſanctiſſima, ſcio te de amicis meis*

cura-

curaturam ne quid his deſit: verumtamen & Marco dari octingenta volo. Et l. 41. de Legatis 3. *Peto a te, Domina Uxor, ne ex fundo Titiano partem vindices.* Et lege ult. de Auro, argento, &c. *Uxori ſuæ teſtamento ita legatum eſt: Sempronia mea, Domina mea, hoc amplius argentum balneare.* Martialis de hortis Marcellæ uxoris:

> *Hoc nemus, hi fontes, &c.*
> *Munera ſunt dominæ, poſt ſeptima luſtra reverſo*
> *Has Marcella domos, parvaque regna dedit.*

Ovidius Triſt. IV. 8.

> *Inque ſinu Dominæ, cariſque nepotibus, &c.*

Et alibi:

> *Nunciet huc aliquis Dominam veniſſe, reſurgam.*

Adde hanc apud Gruterum Inſcriptionem: DOMINÆ, ET CONJUGI KARISSIMÆ, OB EXIMIAM ERGA SE PUDICITIAM. Aliter apud Athenienſes, qui Uxorem, τὴν κτητὴν, id eſt, *famulam;* Maritum, τὸν κύριον, id eſt, *dominum*, appellabant, ſi virum eruditum Danielem Heinſium audimus: ita enim ille ad Heſiodi Ἔργα καὶ Ἡμέρας: *Notarunt jam olim Viri docti Philoſophum, in Oeconomicis, etiam* τὸν κτητὴν *pro Conjuge ſumere. In Jure certe Attico, etiam Conjux inter* τὰ κτήματα *numerabatur & Maritus* ὁ κύριος *appellatur. Unde cum lis inten-*

træretur Uxori, Præco clamabat, Ἡ ΔΕΙΝΑ, ΚΑῚ Ὁ ΚΎΡΙΟΣ, *id eſt*, Ejusmodi mulier accuſatur cum domino ſuo. *Qua occaſione Comicus Smicythen perſtringens, parumque virilem oſtendens*, κύριον *illi dat:*

Χρυσῦ διώξεις Σμικύθην, καὶ κύριον.

Etiam Petitus, in Commentario ad Leges Atticas, κύριον paſſim ponit pro marito. Sed hanc vocem non ita accipiendam, pluribus docet Salmaſius in libro de Modo Uſurarum cap. 4. Mulieres Athênis in perpetua erant tutela. Earum tutores fiebant, hoc ordine: pater, avus paternus, frater ex eodem patre, liberi qui ex ephebis exceſſiſſent. Si horum nullus eſſet, uxorum tutores erant ipſi mariti, qui quidem tutores, κύριοι vocabantur. Sed hæc vox nomen auctoritatis fuit, non dignitatis, aut honoris. Atque ita intelligendus Auctor libelli, Περὶ ὁμοίων καὶ διαφόρων λέξεων, cum ait, Κύριος καὶ Δεσπότης διαφέρει· Κύριος γὰρ, τῆς γυναικὸς ὁ ἀνὴρ, καὶ τῶν υἱῶν ὁ πατήρ· Δεσπότης δ', ἀργυρωνήτων τινῶν ἄλλων. Quin & apud Græcos, uxores dominæ quoque vocitatæ. Id nos docuit Servius ad hæc Virgilii, e ſexto Æneidos, HI DOMINAM DITIS THALAMO DEDUCERE ADORTI. *Aut de Græco tractum eſt*, inquit, *quia uxorem* δέσποιναν *dicunt: aut* DITIS THALAMO, *ut Dominam Charon ad ſe retulerit.* Verum hæc ſunt alterius loci. Ad Romanos ut redeam, apud eos quælibet mulieres, non ſolum a maritis, ſed etiam

etiam a neceſſariis ſuis & affinibus, *Dominæ* vocitabantur. Caſſiodorus Var. lib. 3. epiſt. 2. *Dominam, ſororem noſtram.* Acta Martyrii Sanctarum Perpetuæ & Felicitatis: *Tunc dixit mihi frater meus, Domina ſoror.* Immo & ab omnibus ſic vocabantur Imperatorum conjuges, filiæ, ſorores: cujus rei plura exempla Inſcriptiones Gruterianæ tibi ſuppeditabunt; Immo & quælibet puellæ, poſt annum 14. Diſcimus ex Arriano: cujus hæc ſunt verba in Enchiridio Epicteti capite 62. (nam, ut Simplicius obſervavit, etiam Enchiridii auctor eſt Arrianus) *αἱ γυναῖκες εὐθὺς ἀπὸ τεσσαρεσκαίδεκα ἐτῶν ὑπὸ τῶν ἀνδρῶν κυρίαι καλοῦνται.* Quod de iis, qui ipſas puellas coram compellabant, accipiendum videtur. Ceterum in hanc rem minus ad rem Ritterhuſius; vir tamen doctus; hunç Oppiani verſum ex *Κυνηγετικῶν* primo, in Commentariis ad Oppianum adducebat,

Τὸν μεγάλη μεγάλῳ Φυτήσατο Δόμνα Σεβήρῳ.

Δόμνα enim hoc loco, non eſt *domina*, *δέσποινα*, ut vult quoque Scipio Gentilis libro 2. Parergorum Juris cap. 22. ſed nomen, ſive potius cognomen Juliæ Auguſtæ, Severi uxoris, Caracallæ (cui Oppianus Opus ſuum nuncupavit) matris: quod jampridem ex veteribus Nummis docuit Joſephus Scaliger in Animadverſionibus ad Euſebii Chronicon, & poſt eum Claudius Salmaſius in Notis ad Spartianum. Etiam quaslibet mulieres, non reſpe-

reſpectu maritorum, ſed per ſe, *Dominas* appellatas volebat magnus Cujacius Obſervat. lib. 3. cap. 18. quia apud toties memoratum Scævolam in lege *Pater* 38. §. 4. de Legatis tertio, ſcriptum eſt: *Julius Agrippa, Primipilaris, teſtamento ſuo cavit, ne ullo modo reliquias ejus, & prædium ſuburbanum, aut domum majorem heres ejus pigneraret, aut ullo modo alienaret. Filia ejus heres ſcripta, heredem reliquit filiam ſuam, neptem Primipilaris, quæ easdem res diu poſſedit, & decedens extraneos heredes inſtituit. Quæſitum eſt, an ea prædia extraneus heres haberet: an vero ad Juliam dominam, quæ habuit patruum majorem Julium Agrippam pertinerent.* Niſi dicamus, inquit idem vir magnus, τὸ *dominam* παρέλκειν: quia ſcilicet in l. *Lucius Titius* 93. quæ eſt ejusdem Scævolæ; & ubi eadem quæſtio, atque iisdem fere verbis proponitur; id verbi non reperitur. Verba dictæ legis operæ pretium eſt hic exſcribere: *Lucius Titius teſtamento ſuo cavit, ne ullo modo prædium ſuburbanum, aut domum heres alienaret. Filia ejus heres ſcripta, reliquit filiam ſuam, quæ easdem res diu poſſedit, & decedens, extraneos heredes inſtituit. Quæſitum eſt, an prædia pertinerent ad Juliam, quæ Lucium Titium teſtatorem patruum majorem habuit.* Cujacii ſententiæ neutra ex parte accedo: neque enim adduci poſſum ut credam, τὸ *dominam* in dicta lege *Pater* eſſe additamentum, ſive gloſſema, ut vocant: nam unde hoc additamentum in textum

tum irrepſiſſet? Præterea, nomen proprium eſſe puto, non appellativum. *Julia Domina* mulier illa dicta videtur, quemadmodum *Julia Domna* mater Caracallæ, de qua ſupra. *Dominus* & *Domina*, & per contractionem *Domnus* & *Domna*, nomina fuere cum apud Græcos, tum apud Latinos, Syros, & Ægyptios, Cervidii Scævolæ temporibus uſurpata; ut Salmaſius dicto loco obſervabat. Exempla ejus rei Græca & Latina profert Salmaſius: quibus addenda hæc vetus apud Gruterum Inſcriptio pag. 1050.

M. M.

AURELIÆ. PUM. VITALIÆ. MATRI.
PIISSIMÆ. QUÆ. VIXIT. ANNIS. XX.
JULIANÆ. CONJUGI. SANCTISSMÆ. QUÆ.
VIXIT. ANNIS. XX. ET. DOMINÆ.
SORORI. &c.

Nam ibi *τὸ* DOMINÆ nomen proprium eſt: atque ita exiſtimaſſe Scaligerum patet ex ejus Indice. Addenda & hæc legis 3. C. de Primipilo inſcriptio: *Impp. Dioclet. & Maxim. AA. Domnæ.* Notandum porro dictam legem 38. deſumptam eſſe ex Scævolæ libris Digeſtorum: legem vero 93. ex ejus Reſponſorum libris. In libris Reſponſorum, falſis ſub nominibus, ut fieri ſolet quando Juriſconſulti conſuluntur, Scævolæ ſpecies propoſita fuit: hoc eſt, ſub nominibus Lucii Titii & Juliæ. In libris vero Digeſtorum ipſe quæſtionem tractavit ſub veris nominibus, hoc eſt ſub nominibus Julii Agrippæ Primipilaris, & Juliæ Dominæ: itidem

itidem ut fieri ſolet a Juriſconſultis, quando ſententias ſuas rerum judicatarum auctoritate in propriis libris confirmant. Quod ideo obſervamus, ne quis cum Cujacio miretur, in eadem facti ſpecie eamdem mulierem modo *Juliam*, modo *Juliam Dominam* ab eodem Juriſconſulto appellari. Conſtat tamen; quod Cujacius obſervabat; quaslibet mulieres non reſpectu maritorum dumtaxat, ſed & per ſe *Dominas* nuncupatas. Certe Olympiadem δέσποιναν vocat Chryſoſtomus: κυρίας uxorem Arabii, ſorores Pergamii, Epiſcopi Sabiniani & Pentadiam Diaconiſſas, Adoliam, Aſyncritiam, Baſſianam, Euthaliam, Carteriam, Chalcidiam. Quemadmodum autem uxores a maritis *dominæ*, ita mariti ab uxoribus *domini* vocabantur. Inſcriptiones Gruterianæ, pag. 946. IX.

D. M.

HAVIA. FORTUNATA.

DOMIN. ET. CONJUGI.

BENEMERENTI. FECIT.

Sed hæc omnia poſterioribus temporibus: prioribus enim nemo *dominus* vocabatur. Narrat Suetonius, Auguſtum *domini* appellationem, ut maledictum & opprobrium, ſemper exhorruiſſe: & cum, ſpectante eo ludos, pronunciatum eſſet in Mimo, *o dominum æquum & bonum!* atque univerſi quaſi de ipſo dictum exſultantes, comprobaſſent; ſtatim manu, vultuque, indecoras adulationes repreſſiſſe; & inſequenti die gravisſimo

ſimo corripuiſſe Edicto; *dominumque* ſe poſthac appellari, ne a liberis quidem aut nepotibus ſuis, vel ſerio, vel joco, paſſum eſſe. Cujus rei meminit & Tertullianus in Apologetico, his verbis: *Auguſtus, Imperii formator, ne dominum quidem dici ſe volebat.* Adde locum Servii, ad hæc Virgilii Æneidos ſexto, DOMINORUM FALLERE DEXTRAS: *Fecit præterea injuriam Auguſto, vel Cæſari, ſi eos* Dominos *dixit: quod apud Majores invidioſum fuit. Nam Patres Patriæ dicebantur, non Domini.* Etiam de Tiberio refert Tacitus, acerbe increpuiſſe eos, qui ipſum *dominum* dixerant: quomodo tamen a Phædro libro 2. Fabularum appellatur. Utriusque modeſtiam imitatus eſt Julianus Imperator: quo nomine, quaſi arroganti modeſtia id feciſſet, ſe deriſum ab hominibus ipſe fatetur. At Domitianus, non *Dominum* ſolum, ſed & *Deum*, ſe nuncupari; & primus quidem; juſſit, ut eſt apud Eutropium: atque ita eum paſſim Martialis appellat. Etiam Trajanus *Dominus* dicitur a Plinio Juniore in Epiſtolis. Et Antoninus Pius, *κύριος*, ab Eudæmone, in lege *ἀξίωσις*, ſub titulo de lege Rhodia de jactu. Obiter hic obſervandum, rem ruſticam non fuiſſe apud Veteres; hodie apud nos rus merum eſſet; proprio nomine obvios ſalutare. Imo res fuit ſubruſtica, quibus occurrebas, proprio nomine non compellare. Hinc munus Nomenclatorum, ſive Ονοματολόγων, ut eos Plutarchus in Catone Uticenſi appellat.

lat. Exſtat in hanc rem locus inſignis in Epiſtola ad Damagetum, quæ ſub Hippocratis nomine circumfertur; quem hic non referre ſcelus crediderim: ὁ δὲ, (loquitur de Democrito) *μετὰ μικρὸν τῆς Φορῆς, λήξας τοῦ γραφίου, ἀνέβλεψέ τε εἰς ἐμὲ προσιόντα. καὶ Φησί· χαῖρε, ξένε· κἀγὼ, πολλὰ καὶ σὺ, Δημόκριτε, ἀνδρῶν σοφώτατε· ὁ δὲ αἰδεσθεὶς, (οἶμαι, ὅτι οὐκ ὀνομαστὶ προσεῖπέ με) σὲ δὲ, ἔφη, τί καλέομεν; ἄγνοια γὰρ τοῦ σοῦ ὀνόματος ἦν πρόφασις τῆς τοῦ ξένου προσηγορίας. At ille, non multo poſt, depoſito impetu, & ſtilo ſcriptorio, me accedentem adſpexit: &, Salve, inquit, Hoſpes. Et ego, Tu quoque plurimum, inquam, Democrite, hominum ſapientiſſime. Ille vero pudore ſuffuſus, (opinor, quod me nomine meo non compellaſſet) Te vero, inquit, quonam nomine vocavero? tui enim nominis ignoratio, occaſio fuit, cur te Hoſpitem appellarem.* Quin & proprio nomine ſalutare, non ſuperiorum modo fuit & æqualium, ſed etiam inferiorum. Ita Mercurius apud Plautum in Amphitruone, Soſiam ſervum ſimulans, Jovem qui Amphitruonem Sóſiæ herum ſimulabat, Amphitruonis nomine compellat. Tamen apud Græcos, non multo poſt Hippocratis tempora, dignitate inferiores, qui ſuperioribus adulari volebant, *τιμίους* eos in congreſſionibus appellabant, ſi fides Caſaubono: cujus hæc ſunt verba ad Theophraſti Characteres capite de Impudentia: Ε'Τ Ω-ΚΟΤ ΤΊΜΙΕ. Τίμιε, *hoc eſt*, Domine: *nam ut*

ut olim apud Romanos ſuperiores dignitate ab inferioribus Domini *in congreſſionibus ſalutabantur: ſic apud veteres Atticos* τίμιοι. *Declarat manifeſto Theophraſti hic locus: ſed & Euripides quoque Supplicibus:*

- - πρός τε γὰρ τοὺς δυςυχεῖς
ὃς εὐτυχήσει τίμιος γεραίρεται.

Et in Hecuba ait idem Poëta, plerosque homines inſoleſcere; alium propter opes; alium ἐν πολίταις τίμιον κεκλημένον. *Hoc eſt, quod* Dominus *vulgo ſalutetur. Poſtea Romanos imitati ſunt Græci, & ſeſe invicem ſalutarunt* δεσπότας καὶ κυρίους: *quæ vox deinde in* κύρος *degeneravit: nam ita citimæ ætatis Scriptores.* Sed ea de re amplius cogitandum. Certe Euripidis loci minus probare videntur quod vult Vir doctus. Ad Theophraſti verba quod attinet, quæ Caſauboni opinionem apertius adſtruunt, mendoſa ſunt: atque in his legendum, ἐνωχοῦ Τίβιε, ut veriſſime ad Solinum Salmaſius pagina 47. emendabat. Τίβιος autem nomen eſt ſervi, ut diſcimus ex Hermolao, Stephani Abbreviatore, in Τίβιον; ex Strabone libro VII. ex Luciano in Timone, & ex Scholiaſte Ariſtophanis ad Acharnenſes. Utut eſt apud Græcos, conſtat apud Romanos aliquamdiu poſt Tiberii principatum, non Proceres ſolum, ſed, ut ait Seneca epiſt. 3. obvios quosque, quando nomen eorum non ſuccurrebat, *dominos* fuiſſe a ſalutatoribus appellatos. Hinc jocus Martialis

Cum te non noſſem, dominum, regemque vocabam:
Cum bene te novi, jam mihi Priſcus eris.

Sed & Suetonius de Claudio ſcribit, hortando, rogandoque, ad hilaritatem homines provocantem, *dominos* identidem appellaſſe. Hinc factum paulatim, ut qui inferiores dignitate eſſent, ſuperiores, quibus placere ſtudebant, proprio nomine non compellarent. Atque hunc morem circa Martialis tempora cœpiſſe, colligi poteſt ex hoc epigrammate:

Mane ſalutavi vero te nomine caſu:
Nec dixi dominum, Cæciliane, meum.
Quanti libertas conſtet mihi tanta, requiris.
Centum quadrantes abſtulit illa mihi.

Item ex illo:

Cum voco te dominum, noli tibi, Cinna, placere,
Sæpe etiam ſervum ſic reſaluto meum.

Sed de his ſatis: immo nimis multa: quare Palladis Epigramma, quod in hanc rem exſtat in Anthologia, dedita opera prætermittimus.

CAPUT

CAPUT XXVI.

Tempore Quadrageſimæ veteres Chriſtiani reos non damnabant: immo nec litigabant.

QUadraginta diebus, qui auſpicio ceremoniarum Paſchale tempus anticipant, omnem cognitionem criminalium quæſtionum inhibendam reſcripſere Imperatores Valentinianus, Valens, & Gratianus, l. 6. C. de Feriis. Item Imperatores Gratianus, Valentinianus & Theodoſius, lege 5. Cod. Theodoſiano de Quæſtionibus: *Sacratis Quadrageſimæ diebus, nulla ſupplicia ſint corporis, quibus abſolutio expectatur animarum.* Atque ad hanc per id tempus reos non damnandi conſuetudinem reſpexiſſe volunt Viri docti doctiſſimum Syneſium epiſt. 14. ad Anyſium: ποῦ γὰρ ἱερέως εἰς ἰδίαν ὑπόθεσιν περιϊδεῖν ἀγώγιμον ἄνθρωπον ἐν νηστίμοις ἡμέραις; *Qui enim ſacerdotis eſt, judicatum, ac prehenſum hominem, præſertim ſua cauſa, pati jejunii tempore?* Utut eſt, eam hodie Turci, magni eorum Ramadzani tempore; ita ſuas eſuriales ferias ipſi appellant; religioſe obſervant. Id eos a ſupra memoratis Imperatoribus accepiſſe, dicere non auſim: quamquam Codicem Juſtinianeum in linguam Turcicam translatum non ſim neſcius. Id nos docuit Leunclavius in Præfatione ad libros Paratitlorum. *Hoc jamdudum*, in-

 quit,

quit, *Mundus univerſus clamitat, & barbaram Turcorum gentem beatam prædicat, quæ ſine fori ſtrepitu, deque ſimplici & plano, quod dici ſolet, ſuis jus reddat, & excluſis dilationum quibusvis effugiis, exequutionem mox adhibeat: licet illis ne Juſtinianeus quidem Codex in lingua ſua deſit. Quod ipſi, tam αὐτόπται regionum illarum, quam αὐτήκοοι rerum noſtris ignotarum hominibus, idonee teſtari poſſumus: quantumvis diverſum aliquid Vigelio, & aliis, ex opinione vulgari, temere perſuaſum ſit.* Etiam ex Iſmaële Bullialdo

Qui mores Hominum multorum vidit, & urbes,
ſæpius audivi, ſe Conſtantinopoli ex Viris rerum Turcicarum peritiſſimis ſæpius audiviſſe, Turcos pleraque ex Legibus Romanorum in ſuas transfudiſſe; & præcipue quæ ad materiam Servitutum ſpectant. Non ſolum autem veteres Chriſtiani tempore Quadrageſimæ reos non judicabant, ſed ne litigabant quidem: aut qui litigabant, ab Eccleſia damnabantur. Qui tunc temporis litigarent, ab Eccleſia damnatos teſtatur locus ille Theodulphi, Aurelianenſis Epiſcopi, in Capitulis ad Presbyteros parochiæ ſuæ cap. 42. *In his jejuniorum diebus nullæ lites, nullæ contentiones eſſe debent: ſed in Dei laudibus, & in opere neceſſario perſiſtendum: arguit enim eos qui contentiones & lites Quadrageſimæ tempore exercent, & qui debita a debitoribus exigunt, Dominus, per Prophetam dicens,* Ecce in die jejunii veſtri

veſtri inveniuntur voluntates veſtræ, & omnes debitores veſtros repetitis. Ecce ad lites & contentiones jejunatis, & percutitis pugno impie. Item locus iſte Sancti Maximi in Homilia 3. de Quadrageſima: *Quid enim prodeſt obſervatione 40. dierum jejunandi nos tempora cuſtodire, & legem non tenere jejunii? Quid prodeſt vobis vacare a conviviis, & diem litibus occupare?* Chriſtianos vero Quadrageſimæ tempore ne litigaſſe quidem, declarat Concilium Meldenſe, habitum ſub Carolo Calvo anno 845. *Ut Regia Majeſtas obſervare præcipiat omnibus Reipublicæ Miniſtris, quod a divina auctoritate, & Sanctorum Patrum conſtitutione cautum eſſe dignoſcitur: videlicet, ut nemo Comitum, aut quisquam ex Judiciaria poteſtate, poſt quartam feriam, quæ* Caput Jejunii *nominatur, in qua omnes Pœnitentes manus impoſitionem ad vacandum ſolummodo pœnitentiæ, & divinis officiis accipiunt, Placitum, aut Mallum, tenere præſumant.* Locus eſt in Canone 67. Sed & multo ante Caroli Calvi tempora a litibus ceſſari ſeptenis ante Paſcha & totidem poſt Paſcha diebus, præceperant Imperatores Valentinus, Theodoſius, & Arcadius. Conſtitutio, qua id præceperunt, eſt in lege 2. C. Theodoſ. de Feriis: *Sanctos quoque Paſchæ dies, qui ſepteno vel præcedunt numero, vel ſequuntur, in eadem* (feriarum) *obſervatione numeramus.* Et in lege 8. Cod. Juſtinianeo, ſub eodem titulo. *Actus omnes, ſive publici, ſive privati, diebus quindecim Paſchalibus*

libus conquieſcant. Quo reſpexit Auguſtinus in Sermone de Dominica in Albis, qui inter eos habetur, quos edidit Sirmondus: *Peracti ſunt,* inquit, *dies feriati. Succedent jam illi conventionum, litigiorum. Videte quomodo in his vivatis, Fratres mei. De vacatione dierum iſtorum manſuetudinem debetis concipere, non jurgiorum conſilia meditari. Sunt enim homines, qui propterea vacaverant per dies iſtos, ut cogitarent malitias, quas exercerent poſt dies feſtos. Petimus vos, ut ita vivatis, tamquam qui Deo rationem reddituros vos ſciatis de tota vita, non de ſolis iſtis quindecim diebus.* Huc ſpectat, quod de Præjecto, Epiſcopo Claromontano, ſcribit, qui ejus Vitam ſcripſit: eum ſcilicet anno 673. in judicio coram Childerico II. Auſtraſiæ Rege, ſiſtere noluiſſe feria ſanctæ Paſchæ. *Ipſe cœpit renuere, & rationem veram reddere juxta ſtatuta Canonum, vel lege quæ dicitur* Romana; *quia magnus Sabbati dies erat, quo vigiliæ ſanctæ Paſchæ celebrari ſolent; ſe nullo modo de hac cauſa reſpondere poſſe.* Quod & Concilio apud Erphersfurt habito in Decretum transtulit ſuum Gratianus, cauſa v. quæſtione 4. can. 2. *Placita ſæcularia dominicis diebus, vel aliis præcipue feſtis, in quibus legitima jejunia celebrantur, ſecundum Canonicam conſtitutionem minime fieri decernimus. Inſuper etiam ſancta ſynodus decernit, ut nulla judiciaria poteſtas licentiam habeat ſua auctoritate Chriſtianos ad placitum bannire in ſupra dictis diebus: id eſt, Domi-*

Domini, uſque in octavas Epiphaniæ, & a Quinquageſima uſque in octavas Paſchæ, & ſeptem dies ante nativitatem Sancti Johannis Baptiſtæ: quatenus adeundi Eccleſiam, orationibusque vacandi liberi res habeatur facultas. Cum autem diebus litigare non liceret, conſequens fuit, ut neque jusjurandum præſtare licuerit. Idem Gratianus ibidem canone 17. & Concilio apud Sanctum Medardum habito: *Decrevit ſancta Synodus, ut a Septuageſima uſque in Octavam Paſchæ, & ab Adventu Domini in octavam Epiphaniæ, nec non & in jejuniis quatuor temporum, & in Litaniis majoribus, & in diebus Dominicis, in diebus Rogationum (niſi de concordia & pacificatione) nullus ſupra ſacra Evangelia jurare præſumat.* Similiter hodie in Senatu Pariſienſi quatuor ante, & octo poſt Paſcha diebus cauſæ non orantur. Sed conſuetudinem illam alteram reos non damnandi, neque litigandi Quadrageſimali tempore, inſuper habeamus. Immo in Senatu Pariſienſi nullo alio tempore plures, cum civiles, tum criminales, expediuntur lites: tunc enim Judices ad horam usque undecimam matutinam litibus judicandis vacant, qui alio tempore hora decima matutina tribunali dimittuntur. Atque, ut hoc obiter dicam, hujus moris hanc cauſam eſſe accepi, quod Quadrageſimali tempore Concionem olim audiebant Judices in æde Sancti Bartholomæi ab octava matutina ad nonam. Unde una hora tardius tunc foro exibant. Verum hebdomada, quæ

Paſchatis feſtum anticipat, carceres Senatus adit, reos interrogat, & cuſtodia liberat, quos liberandos exiſtimat. Quod ipſum ab Imperatoribus Romanis conſtitutum olim fuerat, ut ſcribit Chryſoſtomus Homilia in Magnam Hebdomadam. Viri ſanctiſſimi juxta atque eloquentiſſimi verba ſubjiciam: οὐχ ἡμεῖς δὲ μόνον ταύτην τιμῶμεν τὸν ἑβδόμαδα, ἀλλὰ καὶ οἱ βασιλεῖς τῆς καθ᾽ ἡμᾶς οἰκουμένης, οὐχ ὡς ἔτυχεν, αὐτὴν τετιμήκασιν, ἐκεχειρίαν πᾶσι δόντες τοῖς τὰ κοινὰ τῶν πόλεων πράττουσι πράγματα, ἵνα τῆς ἐκεῖθεν ἀπολαύσαντες σχολῆς, τὰς ἡμέρας ταύτας ἁπάσας τῇ πνευματικῇ προσέχωσι θεραπείᾳ. διὰ τοῦτο καὶ τῶν δικαστηρίων τὰς θύρας ἀπέκλεισαν· ἀργείτω, φησὶ, πᾶσα ἀμφισβήτησις, καὶ μάχης εἶδος, καὶ τιμωρίας· ἀναπαυσάσθωσαν μικρὸν τῶν δημίων αἱ χεῖρες. *Non nos ſolum hanc hebdomadam veneramur: ſed & Imperatores noſtri orbis; neque id leviter & perfunctorie; vacationem civitatum Magiſtratibus concedunt, ut liberi iis curis, omnes iſtos dies in ſpirituali cultu abſumant. Ideo & Tribunalium januas occluſerunt. Ceſſet, inquiunt, omnis controverſia, & contentionis & pœnæ ſpecies: ferientur aliquantiſper carnificum manus.* Et poſtea: βασιλικὰ καταπέμπονται γράμματα, λέγοντα, τοὺς τὸ δεσμωτήριον οἰκοῦντας ἀφιέσθαι τῶν δεσμῶν, &c. *Imperatoriæ literæ emittuntur, quibus edicitur, ut incolæ carceris catenis exſolvantur.* Idem legas apud eumdem Homilia xxx. in Geneſim.

neſim. Id ipſum teſtificatur & Leo Magnus in Sermone 2. de Quadrageſima. *Quod & Romani orbis piiſſimi Imperatores ſancta antiquitus obſervatione cuſtodiunt, qui, in honorem Dominicæ Paſſionis, altitudinem ſuæ poteſtatis inclinant, & Conſtitutionum ſuarum ſeveritate mollita, multarum culparum reos præcipiunt relaxari: in diebus quibus Mundus ſalvatur miſeratione divina, etiam ipſorum ſupernæ bonitatis imitatrix ſit æmulanda clementia.* Imperatores autem, qui id conſtituerunt, fuere ſupra memorati, Valentinus, Theodoſius, & Arcadius, ut videre eſt in Appendice Codicis Theodoſiani titulis VII. & VIII. Sed reos excepere, quibus pro magnitudine ſcelerum non decet ſubveniri: quales ſunt, homicidæ, adulteri, venefici, magi, raptores Virginum, adulteratores monetæ, violatores ſepulcrorum, latrones, perduelles. Præter memoratos titulos dictæ Appendicis, videſis titulum IV. libri primi Collectionis Conſtitutionum Eccleſiaſticarum, quam Balſamoni debemus: & titulum 25. libri IX. Nomocanonis Photii: & Euſtathium, libro ſingulari de Præſcriptionibus, capite de Quadraginta diebus. Non omittendum hoc loco, quod ſupra omiſſum, cum tempore Quadrageſimæ criminalium quæſtionum cognitioni ſuperſeſſum fuiſſe obſervabam: Tribunos videlicet, & Centuriones, & Quinquagenarios, & Decanos, quos populi Iſraël Principes conſtituerat Moſes, judicaſſe plebem omni tempore, ut ſcriptum eſt in Exodo XVIII. 25.

Digitized by Google

Exceptis tamen Sabbatis, & aliis feſtis diebus, quibus ab omni civili negotio abſtinendum Judæi probant ex Levitico XXIII. 7. 8.

CAPUT XXVII.

Surdus exaudiens.

SUperius caput ſcripſi Theologis: hoc Medicorum filiis. Teſtatum reliquit Celſus Jurisconſultus, teſte Juſtiniano in lege 10. C. Qui teſtamenta facere poſſunt, nullum eſſe adeo ſurdum, qui non exaudiat, ſi quis ſupra cerebrum illius loquatur. Ipſa Juſtiniani verba, quia res fidem excedit, infra ponam: *Scimus quoſdam Juriſperitos, & hoc ſubtilius cogitaſſe, & nullum eſſe expoſuiſſe, qui penitus non exaudiat, ſi quis ſupra cerebrum illius loquatur, ſecundum quod Jubentio Celſo placuit.* Juventii Celſi (ſic enim potius ſcribendum, quam *Jubentii*) duo fuere: pater; & filius, qui *Celſus adoleſcens* dicitur Paulo l. 91. de Verborum obligationibus. Cujus ſit hoc Medicinæ effatum, incertum eſt. Ad patrem retulit Pancirolus, Bertrandus ad filium. Sed de auctore parum refert, modo de veritate conſtet. Id ego, qui Hiſtoriam Medicam ſcripſi, confidenter affirmare poſſum, veterum Medicorum neminem illius meminiſſe: ut vel eo nomine ſuſpectum videri merito poſſit. At novi Leonorium Labardium, Canonicum Eccleſiæ Pariſienſis; qui ſur-

ſurdaſter cum ſit, minus tarde audit, quando ei ſic loquuntur, qui cum eo colloquuntur. Immo & olim vidi non dubiæ fidei hominem, affirmantem, ſe ſurdum noſſe, qui penitus, niſi hoc ei modo loquerentur qui cum eo ſermonem habebant, non exaudiret: quod etiam de Claudio Lotharingo, Caproſiæ Duce, narratur. Et vel hominis illius *ἀξιοπίςυ* cauſa; ut Imperatorem maximum, Juriſconſultumque taceam celeberrimum; placet ea de re non prorſus dubitare: cum & mihi contuenti ſe perſuaſerit rerum natura, ut Plinii verbis utar, nihil incredibile exiſtimare de ea. De auditu res miras placet hic recenſere. Applicatis humo auribus, etiam leviſſimos ſtrepitus e longinquo audimus. Aure ad caput trabis, quamlibet prælongæ, admota, ictus; vel graphii; ab altero capite ſentitur; penetrante rectis meatibus ſono: unde deprehenditur, an torta ſit materies, nodisque conciſa. Si quis lanceæ caput dentibus teneat, cujus alterum caput lyram tangat, tunc, tamquam auditus ſit in dentibus, verba & voces procul audiet, quæ ſecus non audiret. Qui ſub aquis ſunt, non exaudiunt. Concluſus cubiculo, quod feneſtram unicam lamina vitrea probe obductam habeat, loquentem non audit qui prope extra eſt, neque ab eo, loquens, auditur. Sed earum rerum cauſſæ Philoſophos non latent. Qua de re Plinius libro XVI. capite 38. Scaliger in Exercitationibus, & Gaſſendus in Phyſicis. At omnino difficile eſt Celſi ſententiæ ratio-

tionem explicare. Cui ſententiæ etiam ipſius vocis natura adverſatur; cum enim vox ſit *ἀνωφερής*, ut quæ ex aëre conſtet; id recte Ariſtoteles, loco mox afferendo, obſervabat; facilius profecto ſurdus audire deberet, ſi quis infra cerebrum illius, quam ſi quis ſupra loqueretur. Sed fortaſſe in voce aliud præter naturam aëris ſpectandum eſt: nempe humor ex pulmonibus aut ore aëri permiſtus: qui humor, cum ſit gravis, vocem alioqui ſurſum exituram, deorſum premit: ut neceſſe ſit eam ab iis, qui inferius ſedent, facilius excipi. Poſſit etiam fieri, ut difficilius aër ſuperior a voce vincatur, quam inferior, utpote cumulatior. Id nos docuit ſupra memoratus Ariſtoteles XI. 45. Problematum, (ſi tamen hæc Problemata ſunt Ariſtotelis) ubi poſtquam hoc dubium propoſuit, Cur vox, cum apta ſua natura ſit in ſublime efferri, ut quæ aër quidem ſit, non inferius ſurſum, ſed ſuperius deorſum melius audiri poteſt, ita illud ſolvere conatur: *An quia vox, aër quidam eſt cum humido, quod deorſum fertur, & non ſurſum? Humidum enim natura ſua deorſum fertur. Itaque ab iis, qui infra ſunt, vox melius auditur. An hoc voci animalis ſolummodo accidit? hæc enim cum humido. Hoc vero accidit & aliis ſonis. Sicut enim viſus, ſi e loco ſuperiori prociderit, ſurſum verſus reflectitur; ex inferiori vero procidens, ſurſum reflectitur: eodem modo vox natura ſua ſurſum tendens, aëri occurrens, qui multus ſit & gravis, eum ſuperare*

non

non poteſt; reflexus autem aër in contrarium motus, deorſum fertur. Ideo ad ima fuſus, melius infra auditur. Similis quadam & Echo accidit vocis reflexio in contrarium. Dici quoque poſſit, ſonum, per ſuturarum parietalium meatus, ad cerebri partem, qua auditio fit, conjunctam, deferri: qui quidem, obſtructo aurium meatu, ad eam deferri minime poteſt. Quæ ratio potior videtur.

CAPUT XXVIII.

Judices habita ratione temporis, quo magiſtratum adepti ſunt, ſedere debent.

ELoquentiam fortuna non diſcerni, præclare Tiberius apud Tacitum pronunciavit, cum ei in funere Germanici clypeus auro & magnitudine ſuper ceteros inſignis inter Auctores Eloquentiæ deferretur. Id ipſum de Magiſtratibus in eodem dignitatis gradu conſtitutis dici poteſt, qui nulla habita ratione, aut generis, aut ætatis, aut doctrinæ, ſed ſolius temporis, quo magiſtratum adepti ſunt, ſedere debent. *Inter Duumvirales, antiquiſſimus quiſque, prioris,* inquit Ulpianus, l. 1. de Albo ſcribendo, *Principatum adipiſcatur, matricula decurrente,* inquit Conſtantinus ad Agentes in rebus, l. 1. C. de Officio Magiſtri Officiorum. Exſtat in hanc rem, in lege

lege 2. C. de Præfectis Prætorio, Gratiani, Valentis, & Theodoſii Reſcriptum, in hæc verba: *Sit ſedes prior ante provectis, locus conſpectior, decernendi, loquendique facultas antiquior, cui eſt ſplendor adepti magiſtratus vetuſtior.* Idem legere eſt in lege 1. C. de Conſulibus, quæ eſt Imperatorum Theodoſii & Valentiniani: *Quis enim,* inquiunt, *in uno eodemque genere dignitatis prior eſſe debuerat, niſi qui prior meruit dignitatem? cum poſterior, etiamſi ejusdem dignitatis prætendat auſpicia, cedere tamen illius temporis Conſuli debeat, quo ipſe non fuerit.* Similiter de Medicis Archiatris Imperatores Valentinianus & Valens, l. 10. C. de Profeſſoribus & Medicis: *Ita tamen, ut, quicumque fuerit admiſſus, non in priorum numerum ſtatim veniat, ſed eum ordinem conſequatur, qui ceteris ad priora ſubvectus ultimus poterit inveniri.* Qua de lege Symmachus epiſtola 40. Igitur valde notandum, quod de Paulo Foxio, in ejus Oratione Funebri, narrat Muretus: ei ſcilicet in Senatu Pariſienſi jus inter primos Senatores aſſidendi, dicendæque ſententiæ ſtatim a principio tributum eſſe, cum tamen in Senatu Pariſienſi plura ſint inter ſe diſtincta Auditoria, quorum ad ſupremum non niſi gradatim pervenitur. Nihil tale in Actis Senatus legitur: quare id omne, quod de Foxio retulit Muretus, falſi ſuſpectum eſt: immo falſum eſſe, ſæpe ex Petro Puteano, talium rerum non incurioſo, audivi. Et profecto ſi res ita ſe haberet, rem adeo inſolentem non tacuiſſet

cuiſſet Thuanus, qui Foxio in Italiam eunti adfuit, quique de eo multa, cum in libris de Vita ſua, tum in libris Hiſtoriarum retulit. Id ipſum tamen de Tiraquello narrat non uno loco Mornacius.

Tiraquellus orbem nomine implevit ſuo,
Libris ab ipſo, mole variata, editis.
Sed (quod virum beavit, atque ſæculum)
Lectus Senator eſt, legente Principe,
Qui antepoſuit malo aureo patrium decus.
Immo &, ſine exemplo priore quod fuit,
Hoc, ut præiret Junioribus, dedit.
Quæ clarior Seni umquam inempta gloria?

Ita ille in Feriis Forenſibus. Quod ipſum teſtatur & ad l. 2. C. de Officio Magiſtri Officiorum, his verbis: *Soli Andreæ Tiraquello indultum eſt ſingulari Franciſci I. beneficio, qui eum per famam nominis, cum doctiſſimos jam de Utroque Retractu libros edidiſſet, in Senatum Pariſienſem ex Fontenacenſi tribunali Pictonum allegerat, ut, quia provectæ jam ætatis erat Judex, anteiret, jure Matriculæ inſuper habito, natu minores Senatores ceteros. Confirmarunt iſtud mihi ſæpius ejus liberi circa annum 1579. & 1580. quibus annis in Foro Acroamaticus verſari cœpi.* Sed id falſum quoque exiſtimo: quia neque hujus rei mentio ulla exſtat in Actis Senatus Pariſienſis. Certum eſt tamen, Nicolaum de Baia, V. Cl. & quem honorifice Clemengius in Epiſtolis appellat, ejusdem Senatus ſub Carolo VI. primarium Scribam, cum

cum ætate provectior, in Senatorem electus eſſet, ſtatim ut electus eſt, in Magna Camera, quam vocant, ſediſſe, & ſententiam dixiſſe. Id teſtantur Acta Senatus Pariſienſis anni 1416. die 12. Novembris. Non igitur ſoli Andreæ Tiraquello id indultum: quod volebat Mornacius. Certum eſt quoque, Guillelmum Bekium, a Carolo VII. Senatorem Toloſanum factum, ante alios Senatores, juſſu Ludovici XI. ſediſſe. Id teſtantur Acta Senatus Toloſani anni 1462. die 24. Aprilis. Ipſa Actorum utriusque Senatus verba ſi quis requirat, ea ad calcem hujus Obſervationis reperiet. Sed cum id contra rationem Juris receptum ſit, non eſt producendum ad conſequentias. Et profecto ſi eximiæ dotes, tale privilegium mereri poſſent, cui potius, quæſo, quam Hieronymo Bignonio, Advocato Regio, indultum id fuiſſet? Hieronymo Bignonio, qui Τῆς Φύσεως μέγα θαῦμα, παλαιά τε, καινά τε εἰδώς, ut de eo nos olim in Poëmatibus noſtris Græcis. Hieronymo, inquam, Bignonio, de quo, dum viveret, hæc Plinii junioris de Ariſtone Juriſconſulto verba merito uſurpari poterant; & nos ſæpe uſurpavimus: *Nihil eſt illo gravius, ſanctius, doctius: ut mihi non unus homo, ſed Literæ ipſæ, omnesque bonæ Artes in uno homine ſummum periculum adire videantur. Quam peritus ille & privati Juris & publici! Quantum rerum, quantum exemplorum, quantum Antiquitatis tenet! Nihil eſt quod diſcere velis, quod ille docere non poſſit. Mi-*

Mihi certe quoties aliquid abditum quæro, ille theſaurus eſt. Jam quanta ſermonibus ejus fides! quanta auctoritas! quam preſſa & decora cunctatio! Quid eſt quod non ſtatim ſciat; Et tamen plerumque hæſitat, dubitat, diverſitate rationum, quas acri, magnoque judicio ab origine, cauſisque primis repetit, diſcernit, expendit. Ad hæc, quam parcus in victu! quam modicus in cultu! Soleo ipſum cubiculum illius, ipſumque lectum, ut imaginem quamdam priſcæ frugalitatis aſpicere. Ornat hæc magnitudo animi, quæ nihil ad oſtentationem, omnia ad conſcientiam refert, recteque facti, non ex populi ſermone mercedem, ſed ex facto petit. Eum tamen, poſtquam e ſupremo Regis Conſilio in Senatum Pariſienſem rediit, poſt Odomarum Talonium, Advocatum itidem Regium, & ſtantem & ſedentem vidimus, quem ante eum per plures annos; utpote antiquiorem Regis Advocatum; & ſtantem videramus, & ſedentem. ¶ Ceterum, de Ivone de Cæpellis, ſive Scepeauſſo, noſtrate, rem non tacendam narrat Renatus Chopinus; & ipſe noſtras; Commentario ad Leges Pariſienſes extremo, ubi de Senatus Pariſienſis Principibus: illum videlicet, qui Senatus Pariſienſis Princeps factus fuerat anno 1457. quarto poſt anno ſupremum hunc Curiæ magiſtratum Eliæ Toreto cedere juſſum a Ludovico XI. ac in ſecundis conſiſtere.

Acta Senatus Pariſienſis, quorum mentio in ſuperiori Obſervatione: quæ mecum communicavit Ludovicus Nublæus, Advocatus Pariſienſis, Vir plenus officii, & multis nominibus de me bene meritus.

DU VENDREDI XIX. DE NOVEMBRE M. CCCC.

CE jour a eſté faite élection, par voye de ſcrutin, d'un Greffier. Et eſt venu le ſort ſur moy, Nicolas de Baye, Sieur du Gyé.

PARLEMENT, COMMENCEANT AU MOIS DE NOVEMBRE M. CCCC. XVI.

Domino Deo præinvocato, qui conſilia diſſipat Impiorum. Incipit Regiſtrum Conſiliorum Curiæ Parlamenti, incœpti XII. die menſis Novembris anni Domini ejuſdem milleſimi quadringenteſimi decimi ſexti, & officii mei Nicolai de Baia, Cathalaunenſis diœceſis, Protonotarii, Regii Secretarii, & ejuſdem Curiæ Grapharii decimi ſeptimi.

DU XII. NOVEMBRE M. CCCC. XVI.

M. Henri de Marle, Chancelier, tenant le Parlement, &c.

Les Maiſtres des trois Chambres de Parlement, juſques au nombre de cinquante quatre, ou environ, &c.

Ce jour

Ce jour fut éleu Maiſtre Adam de Cambray, &c.

Et ce meſme jour je requis à Meſſeigneurs deſſus nommez, que comme par la grace de Dieu, du Roy, & de ſa Cour, euſſe ſervi céans, & exercé l' Office de Greffier par l eſpace de ſeiz' ans tous entiers & continuels, (Car par leſdits ſeize ans oncques n' y avois failly: exceptez huit jours; ores avoit onze ou douze ans; que j' avois eſté malade au lit, & tellement que je cuiday mourir;) & exercé mon dit Office le plus loyaument, & le plus diligemment que j' euſſe pû, ſelon ma fragilité; & plus loyaument, que ſagement ou gracieuſement, (Car en office ſi public qu eſt ledit Office, n' eſtoit pas bien poſſible faire à la grace d' un chacun, ſi comme mieux le ſavoient:) & il me deût ſuffire d' avoir ſervi audit Office ſi longuement: Car auſſi eſtois-je aucunement debilité de ma veuë; & ne pouvois-je pas bien enregiſtrer, ſans avoir lunettes; combien que je me ſentois encore ſain & entier, & n' eſtois ne rompu, ne froiſſié, mais ſeulement ployé. Si pouvois-je bien encore ſervir audit Office. Mais avant que pis me veinſt, & tandis que j' eſtois en ſanté, me ſembloit bon iſſir dudit office; & il vacaſt un lieu de Clerc en la Chambre des Enqueſtes: Il pluſt à la Cour moy décharger de l' honneur & charge dudit Office, & moy pourvoir dudit Office de Clerc; pourveu que iceluy Office exerceaſſe en la Grand' Chambre. Car

 attendu

attendu ledit temps que j'avois ſervi ledit Seigneur en ſa Cour en ladite Grand' Chambre, moins mal le devrois-je ſervir en icelle Chambre, qu'en ladite Chambre des Enqueſtes.

Ce fait, M. le Chancelier me fit retraire: & fait ſur ce Conſeil, fus appellé, & me fut répondu, que la Cour m'octroyoit marequeſte.

Ce jour 27. Janvier 1416. eſt venu en la Chambre M. le Chancelier pour elire Greffier, & aſſemblées les deux Chambres, a eſté éleu audit Office de Greffier, aprés que ledit M. Chancelier m'a demandé, ſe plus vouloie faire ledit Office, & que j'ay dit que non, Maiſtre Clement de Franquenberge, qui eſtoit Conſeiller du Roy noſtre Sire en la Chambre des Enqueſtes: & a fait le ſerment accouſtumé: & j'ay fait le ſerment de l'Office de Conſeiller, auquel j'avois eſté éleu le premier jour de ce préſent Parlement. Deo gratias, a quo principium & finis; quique omnium fuit & erit ſpes certa laborum. Detque facilem curſum feliciter, & annuat cœptis per me Clementem de Franquenberge, in utroque jure Licentiatum, Illuſtriſſimi Principis Regis Francorum Protonotarium, & Curiæ Parlamenti antedictum Grapharium; qui intermiſſo Jus dicentis officio, juxta illud Virgilii,

Malui & mutas agitare inglorius artes.

Acta

Acta Senatus Toloſani, quæ mecum communicavit Guillielmus Maſnavius, Senator Toloſanus, Vir omnibus virtutibus politus.

REGISTRE DU PARLEMENT DE TOULOUSE DU XXIV. AVRIL. M. CCCC. LXII.

VEues *par la Cour les Lettres du Roy, noſtre Sire, par lesquelles ledit Sire a ordonné le premier lieu de Conſeiller Clerc en icelle Cour, après les Préſidens, a Meſſire Guillaume Bêc. Ladite Cour a ordonné, que ledit Meſſire Guillaume Bêc ſera aprés Meſſire Gilles Laſſeur, Préſident des Enqueſtes: du conſentement dudit Béc.*

OUVERTURE DU PARLEMENT DE TOULOUSE DU VII. NOVEMBRE, CCCCLXII.

ADam *Couſinot, ſegond Préſident.*
Charles d' Armagnac, Comte de Feſens aguet.
L' Evesque de Baſas.

Conſeillers Lais.	Conſeillers Clercs.
Guibert Roux.	*Gilles Laſſeur, Préſident des Enqueſtes.*
Guillaume Dabus.	*Guillaume Bêc.*
Nicole Berthelot.	*Pierre de la Treille.*
Pierre Damian.	

Pierre de Bruiéres. *Pierre Benquet.*
Jan Roſſignol. *Louis Luillier.*
Guillaume Bardin.

EXCERPTA EX ADVERSARIIS GUILLELMI BARDINI, SENATORIS TOLOSANI.

Die *15. menſis Novembris, 1456. ſeclufis a Camera Dominis, Protonotario de Albreto, & Epiſcopis Mirapicenſi, & Sancti Papuli: per Curiam ordinatum fuit, quod dictus Dominus Protonotarius ſederet pro tribunali ante dictos Epiſcopos. Et hæc ſedes illi data fuit, quia vir erat magnæ nobilitatis, & altæ propaginis: ſed præcipue, quia olim Legatus fuerat Domini Papæ verſus Curiam.*

OUVERTURE DU PARLEMENT DE TOULOUSE DU XVI NOVEMBRE M. CCCCLVI.

Ægidius Laqueator, Præſidens Inqueſtarum, fit l'Ouverture.
Dominus Protonotarius de Albreto.
Epiſcopus Mirapicenſis.
Epiſcopus Sancti Papuli.
Johannes Gentian.
Barthol Artigalupa.
Guillelmus Bardini.
Antonius Mauron.

Gibertus

Gibertus Rubai.

Nicolaus Berthelot.

Jacobus Gentian.

Les Grands Préſidens, & les autres Conſeillers eſtoit abſens.

CAPUT XXIX.

Explicatur Lex XV. de Servitutibus.

Tollere *ædificium* apud Ulpianum l. 17. de Servitutibus prædiorum urbanorum, eſt *diruere*, non vero *extollere*, *erigere*. *Interdum dici poteſt*, inquit, *eum quoque qui tollit ædificium vel deprimit, luminibus officere, ſi forte κατὰ ἀνταναλλασιν, vel preſſura quadam, lumen in eas ædes devolvatur.* Eadem notione uſurpatur & l. 2. Ne quid in loco publico, & l. 27. §. ult. & l. 30. de Rei vindicatione. At contra, *viridia tollere* in his Pomponii verbis, l. 15. de Servitutibus, *Servitutum non ea natura eſt, ut aliquid faciat quis, (veluti viridia tollat, aut amœniorem proſpectum præſtet, aut in hoc, ut in ſuo pingat,) ſed ut aliquid patiatur, aut non faciat*, eſt *erigere, extollere*, ſi magnum illum Juris interpretem, Cujacium, audimus: qui & legendum putat in verbis Pomponii, *ut amœniorem proſpectum præſtet.* Eum vide ad Titulum de Servitutibus. Janus a Coſta, magnus & ipſe Juris Interpres, in

Prælectionibus ad dictum Titulum, quas manu ſcriptas mecum communicavit Germanus Nivartius, noſtras, Vir Juris & ſtudioſus & peritus, Cujacii interpretationem damnat, & emendationem. Scilicet, diſtinguendo inter liberum proſpectum & amœnum, *viridia tollere* accipit de eo, qui *viridia*, ſeu *viridaria*, (his vocibus promiſcue utuntur Auctores noſtri) hoc eſt, *ſilvas* aufert, ſive deponit: quæ quamvis amœnum aſpectum præſtent, poſſunt tamen obſtare proſpectui, ut eſt apud Javolenum lege 12. de Servitutibus prædiorum urbanorum. *Ædificia, quæ ſervitutem patiantur, ne quid altius tollatur, viridia ſuper altitudinem habere poſſunt; at, ſi de proſpectu eſt, eaque obſtatura ſunt, non poſſunt.* Et apud Senecam Controverſ. v. 5. *Arbor, quæ obſtabat proſpectui Divitis, amœnum proſpectum præſtabat Pauperi.* Hæc autem verba, *aut amœniorem proſpectum præſtet*, ſuperiori exemplo, quod eſt de libero proſpectu, opponi ipſe exiſtimat; & de poſitis viridariis, ſive plantata ſilva, quibus amœnior ſit proſpectus, interpretatur. Jani a Coſta ſententiæ favent Græci Interpretes, qui ſuperiora Pomponii verba reddidere; *ȣ̓ συνίςαται δȣλεία ἐπὶ τῷ ποιῆσαί τι· οἷον, ἵνα δένδρα ἐκκόψῃς, ἢ τόπον ἐπιτερπῆ ποιήσῃς· ἀλλὰ ἵνα μὴ ποιήσῃς τι, ἢ ἵνα ἀνάσχῃ γενέσθαι. Servitus in eo non conſiſtit, ut quis aliquid faciat: puta, ut arbores excidas, ut locum amœnum reddas: ſed ne facias quid, aut ut fieri patiaris.* Tamen

vere

vere ut dicam, potior videtur Cujaciana interpretatio. Si enim hæc verba, *veluti viridia tollat*, ita accipias, ut ſignificent, *viridia auferat, ſilvas deponat*, id non erit contra naturam Servitutum, ut acute Merillius Obſervationum lib. 1. cap. 34. animadvertit. Quod etiam in mentem veniſſe video Nicolao Catharinotto, Regio apud Bituriges Advocato, Viro docto, & magno patriæ ſuæ ornamento: qui videndus libro 2. Obſervationum. Et tamen id contra naturam Servitutum eſſe, Pomponius ajebat: *Servitutum non ea natura eſt, ut aliquid faciat quis, veluti viridia tollat, ſed ut aliquid patiatur, aut non faciat.* Ad Cujacii emendationem quod attinet, *ut amœniorem proſpectum*, pro *aut amœniorem* reponentis, quamquam & Merillio diſplicet, (nam in eo in Jani a Coſta ſententia eſt) mihi tamen recepta lectione potior quoque videbatur. Si enim legas *aut amœniorem proſpectum præſtet*, hoc exemplum diverſum non erit a primo, *veluti viridia tollat:* quocumque modo ea verba accipias: ſiquidem & ſublatis & poſitis viridariis proſpectus amœnior fieri poteſt. Nec diverſum erit a tertio: quod eſt, *ut in ſuo pingat:* poſitis enim picturis amœniorem proſpectum fieri quis neget? Sed quod ait Cujacius, hæc verba, *ut in ſuo pingat*, de eo intelligenda, cui hoc jus ceditur, cum pictori lumen ſit neceſſarium, fateor cum Jano a Coſta nugatorium eſſe: & miror tanto viro tantum errorem excidiſſe. Quis enim non videt

L 5 horum

horum verborum hunc eſſe ſenſum? cogi non poſſe quemquam in ſuo pingere: id eſt, in parietibus ædium ſuarum collocare picturas, ut amœnum proſpectum præſtet vicino. *Tectoria* eas picturas vocat lex 3. Uti poſſidetis; quæ vox reponenda apud Ulpianum in Fragmentis, titulo VI.

CAPUT XXX.

Ægyptii & Carthaginienſes magiſtratum gerere legibus prohibiti. Non licuit Ægyptiis alienæ civitatis civibus fieri.

HAs inter Juris Amœnitates locum habere meretur quod ſcribit Iſidorus Peluſiota, Auctor graviſſimus, Ægyptios & Carthaginienſes magiſtratum gerere prohibitos fuiſſe: & quidem Lege. De Carthaginienſibus verba ejus hæc ſunt, Epiſtolarum libro I. epiſtola 485. ad quemdam Iſidorum: Καρχηδονίους νόμος κωλύει διέπειν ἀρχὴν, ἥττονας κακούς· Καππάδοκας δὲ, τοὺς μεγάλους πονηροὺς, (teſtatur parœmia, Καππάδοκες, Κρῆτες, Κίλικες, τρία κάππα κάκιστα) οὐκ εἴργει νόμος ἀρχῆς. ἐπειδὴ τοίνυν καὶ βούλει πάντας εὐεργετεῖν, καὶ σύνδρομον ἔχεις τῇ βουλήσει τὴν δύναμιν, ἢ τὸν νόμον ἀντάλλαξον, μᾶλλον Καππάδοκας Καρχηδονίων κωλύων, ἢ σήναψον καὶ τούτους

τȣτȣς ἐκείνοις. *Carthaginienſes, homines minus malos, Lex magiſtratum gerere prohibet: Cappadoces autem, quorum ingens eſt improbitas, nulla lex a magiſtratu removet. Quoniam igitur & de omnibus bene mereri cupis, & voluntati parem potentiam habes; aut legem immuta; Cappadoces potius quam Charthaginienſes a gerendo magiſtratu arcens; aut cum his illos quoque copula.* De Ægyptiis locus eſt in Epiſtola ad Rufinum, Præfectum Prætorio, quæ eſt 489. ejusdem libri primi: Αἰγυπτίȣς μὲν δι' ἀπήνειαν νόμος εἴργει ἀρχῆς· Καππάδοκας δὲ, τȣ̀ς χείρȣς ἐκείνων, ȣ̓κ ἔτι. ἐπειδὴ τόινυν ἡμεῖς μὲν ἄρχοντι Καππαδόκῃ χρησάμενοι, πολλὴν πεῖραν τȣ̃ διαβόλȣ ἔθνȣς ἐσχήκαμεν· ὑμεῖς δὲ, τὴν βασιλέως γνώμην πρὸς ὃ βȣ́λεσθε, ἔχετε, ἑνώσατε Αἰγυπτίȣς καὶ τȣ́τȣς, μήποτε καὶ ἄλλης ἄρξῃ χώρας Καππαδόκης. *Ægyptios quidem ob morum immanitatem Lex ab imperio & præfectura arcet: Cappadoces autem, qui eos improbitate ſuperant, non item. Quoniam igitur nos Cappadocem Præfectum nacti, nationis, ad calumnias adſtruendas propenſæ, periculum frequenter fecimus; vos autem Imperatoris voluntatem, quibus in rebus vultis, habetis, hos quoque illis copulate: ut ne cuiquam alii regioni Cappadox præſit.* ¶ Sed neque Ægyptiis licuit alienæ civitatis civibus fieri. Auctor Joſephus libro de Antiquitate Judæorum ſecundo: ubi de perverſis moribus Ægyptiorum. Verba ejus Latine ſic ſonant: Græca enim deſiderantur:

tur: *Ægyptiis neque Regum quiſquam videtur jus civitatis fuiſſe largitus: neque nunc quilibet Imperatorum.* Ægyptii ſcilicet, vana gens, & novandis quam gerendis aptior rebus, ait Curtius. Sed & gens prava: unde *αἰγυπτιάζειν* pro *decipere. δεινοὶ πλέκειν τοὶ μηχανὰς Αἰγύπτιοι. Ad nectendum dolos idonei in primis Ægyptii:* inquit Æſchylus Et Theocritus:

- - *ὐδεὶς κακοεργὸς*

Δαλλεῖται τὸν ἰόντα, παρέρπων Αἰγυπτιστί.

Nemo maleficus lædit amplius viatorem; doloſe ſubiens more Ægyptio.

CAPUT XXXI.

De quibusdam nominibus propriis Pandectarum.

NOminum reſtituendorum inanis forſitan eſt labor, inquit Cujacius in Obſervatione 18. libri XII. Ut non immerito Galenus primo Commentario in tertium Epidemiorum Hippocratis, Medicos inanis operæ arguerit; qui anxie quærebant, an Silenus, de quo Hippocrates dicto loco, Platamone habitaret, vel Platanone. Sed quando & ipſe Cujacius, & Antonius Auguſtinus, & Jacobus Gothofredus, & Thomas Reineſius, aliique Viri magni, in nominibus reſtituendis operam poſuerunt ſuam, meam non male collocatam putabo, ſi nonnulla nomina, quæ in

in Digeſtorum libris aut corrupte leguntur, aut minus intelliguntur, hoc capite emendavero, aut illuſtravero.

MISSENIUS FRONTO.

Caput 52. Tituli De Manumiſſis teſtamento; quod deſumptum eſt ex libro XII. Quæſtionum Pauli; ita incipit: *Imperatores Miſſenio Frontoni: Teſtamento militis his verbis adſcripta libertate*, Stephanum, ſervum meum, liberum eſſe volo, *vel* jubeo, *adita hereditate libertas competit.* ¶ Johannes Bertrandus, in Vita Frontonis Jurisconſulti, *Emiſeno Frontoni* hoc loco emendabat. Emiſenus, ſive Emiſſenus Fronto, Rhetor fuit ſub Severo. Suidas: Φρόντων Ἐμισηνὸς, ῥήτωρ γεγονὼς ἐπὶ Σεβήρου τοῦ βασιλέως ἐν Ῥώμῃ· ἐν δὲ Ἀθήναις ἀντεπαίδευσε Φιλοστράτῳ τῷ πρώτῳ, καὶ Ἀψίνῃ τῷ Γαδάρει. ἐτελεύτησε ἐν Ἀθήναις περὶ ξ΄ ἔτη γεγονώς. καὶ ἀδελφῆς Φροντωνίδος παῖδα ὄντα Λογγῖνον, τὸν Κριτικὸν, κληρονόμον κατέλιπεν. Bertrandi emendationem nonnihil juvant Baſilica, in quibus lib. 48. tit. 38. βασιλεὺς, non βασιλεῖς, ſcriptum eſt: διαθεμένου στρατιώτου, οὕτως ἐγέγραπτο· Στέφανον, τὸν δοῦλόν μου, ἐλεύθερον εἶναι βούλομαι, ἤτοι κελεύω· καὶ ἀντέγραψεν ὁ βασιλεὺς Meſenio Frontoni ἅμα τῇ ἀδιτίονι τοῦ τελευτήσαντος ἁρμόζειν τὴν ἐλευθερίαν. Scilicet ex *Imperator*

Emis-

Emiſſeno, ſive *Emeſeno*, factum eſſe primum videtur *Imperatore Miſſeno*; quod poſtea mutaſſe videntur Librarii in *Imperatores Miſſenio*, ſive *Meſenio*. Emiſa, ſive Emiſſa, ſive Emeſſa, aut Emeſa, (namque omnibus his modis urbis hujus nomen a Scriptoribus effertur) Phœniciæ urbs fuit, de qua Ulpianus l. 1. de Cenſibus, & l. 8. Titulo eodem. Sed cum nomen patriæ nominibus propriis adjungi in epiſtolis non ſoleat, nihil mutandum exiſtimamus: aut ſi quid mutandum, legendum forte *Meſſieno Frontoni*. *Meſſienus* quidem *Zoilus* memoratur in Inſcriptionibus Gruterianis pag. 438.

SCAPULA TERTYLLUS.

Macer l. 14. de Officio Præſidis: *Divus Marcus, & Commodus, Scapulæ Tertyllo reſcripſerunt in hæc verba: Si tibi liquido compertum eſt, Ælium Priſcum in eo furore eſſe, ut continua mentis alienatione omni intellectu careat: nec ſubeſt ulla ſuſpicio, matrem ab eo ſimulatione dementiæ occiſam, potes de modo pœnæ ejus diſſimulare, cum ſatis furore ipſo puniatur.* ¶ Hoc Marci & Commodi Reſcriptum, nulla Scapulæ Tertylli facta mentione, tribuitur Divis Fratribus in l. 13. §. ult. eodem Tit. & in l. penultima ad Legem Pompejam de Parricidiis. Quare Petrus Pithœus in Notis ad Collationem Legum Moſaicarum tit. IV. Com-

Commodum hoc loci de Vero, Marci fratre, accipiebat: nam & Verus, inquit, Commodus dicebatur. Cujacius vero in Notis Solemnibus quas vocant, pro *Commodus*, legendum *Verus* exiſtimabat. Ego nihil mutandum cenſeo: & Commodum de Commodo, Marci filio, accipiendum contendo: nusquam enim Verum in Libris noſtris dictum Commodum reperire eſt: immo nec alibi. Quod autem Marcus cum fratre Vero reſcripſit, potuit & id ipſum cum filio Commodo reſcribere. Certe novum non eſt diverſos Imperatores eamdem rem diverſis perſonis reſcripſiſſe. Immo & idem diverſis Senatusconſultis ſtatutum legimus: qua de re videndus Merillius lib. IV. Obſervationum cap. 16. Quis autem Scapula ille Tertyllus, cui Marcus & Commodus reſcripſerunt, videamus. De quodam Scapula Tertyllo mentionem facit Ulpianus l. 1. de Reb. eorum, qui ſub tutela: his verbis: *Imperatoris Severi Oratione prohibiti ſunt Tutores & Curatores prædia ruſtica, vel ſuburbana, diſtrahere. Quæ Oratio in Senatu recitata eſt Tertyllo & Clemente Conſulibus, Idibus Juniis;* nam de Scapula Tertyllo Ulpianum intelligendum, perſpicuum eſt ex eo, quod in baſi marmorea Farneſiani Palatii Romæ legitur: DEDICATA III. ID. APRIL. SCAPULA TERTULLO ET TINEIO CLEMENTE COSS. Ubi obiter obſervamus *Tertullo* rectius ſcribi, quam in Pandectis Florentinis *Tertyllo*, & *Tertyllianum:* eſt enim *Ter-*

Tertullus nomen Latinum, ut & *Tertullianus:* qua de re ſupra capite 12. Ceterum his Conſulibus data eſt Conſtitutio prima de His qui accuſare non poſſunt, quæ poſita eſt libro LX. Baſil. Tit. 34. cap. 25. Scripſit Tertullianus ad Scapulam: qui forte non alius eſt a Conſule. Sed alium eſſe Conſulem ab eo, cui Marcus & Commodus reſcripſerunt, non dubitamus. Fuit ille forte Conſulis pater.

QUINTUS MUCIUS.

Pomponius l. 33. de Auro & argento legato: *Nam & Quintus Titius ait ſe ſcire quemdam Senatorem muliebribus cœnatoriis uti ſolitum, qui, ſi legaret muliebrem veſtem, non videretur de ea ſenſiſſe, qua ipſe, quaſi virili, utebatur.* ¶ Legendum procul dubio *Quintus Mucius:* quod vel ipſa legis inſcriptio manifeſto probat: *Pomponius libro 4. ad Quintum Mucium.* Id clare oſtendunt & hæc legis proxime ſequentis verba, quæ ſimiliter deſumpta eſt ex libris Pomponii ad Quintum Mucium: *Scribit Quintus Mucius, &c.* Et poſtea: *Item ſcribit Quintus Mucius.*

LARGIUS EURIPIANUS.

Scævola l. 21. de Annuis legatis: *Largius Euripianus conſuluit, &c.* ¶ Lartii Euripiani mentio

tio fit a Lampridio in Commodo: ſed ubi Codex Regius *Larcius* habet: quod non diſplicet. *Larcius* nomen fuit Romanum. Teſtis Vetus Inſcriptio, quam profert Cujacius Obſervationum X. 37. M. LARCIUS L. F. POMPTINA ARBITERIO LARCIÆ FORTUNATÆ UXORIS.

EPITYNCHANUS.

Ulpianus l. 41. §. 7. de Legatis 1. *Sed & Divorum Fratrum eſt Reſcriptum ad Libellum Procliani & Epitynchani.* ¶ Epitynchanus ille, videtur eſſe idem ac is de quo Marcus Antonius, τῶν εἰς ἑαυτὸν lib. VIII. Λέκιλλα Οὖηρον, εἶτα Λέκιλλα. Επιτύγχανος Διότιμον, εἶτα Επιτυγχανος Epitynchani cujusdam mentio fit in Inſcriptionibus Gruterianis pag. 681. 8. & alius Epitynchani, ſervi, pag. 951. 1. & L. Antonii Epitynchani, Lictoris Dec. Curiatiæ, in antiqua Inſcriptione, quam in Notis, ad Sidonium pag. 259. primæ editionis, profert Sirmondus.

PRIMITIVUS.

Servi cujusdam, nomine *Primitivi*, mentio fit in Epiſtola Divorum Fratrum ad Voconium Saxam, apud Ulpianum, l. 1. §. ult. de Quæſtionibus. Servi, cui idem nomen, meminit & Doſi-

theus in libro, qui Hadriani Imperatoris ſententias & epiſtolas complectitur. Doſithei verba hæc ſunt: Οὐρβικȣ̃ λέγοντος Πριμιτιβὸν ἐλευθερῶσαι θέλοντα δȣ̃λον ἴδιον, κεκωλυσμένον εἶναι ἀπὸ Ῥεςȣ́της, (corrige Ῥεςιτȣ́της) μητρὸς ὀρφανῆς· (εἰς ἀδικίαν γὰρ τῆς ὀρφανῆς τȣ̃το γίνεσθαι· εἶναι γὰρ ἀυτὸν πραγματατὴν ἀυτῆς, καὶ δι᾽ ἀυτὸν τὰ πράγματα τῆς ὀρφανῆς διοικȣ́μενα) Ἀδριανὸς ἐζήτησεν ποίας ἡλικίας ἡ ὀρφανὴ εἴη· λέγοντος τȣ̃ συνηγόρȣ δέκα εἶναι ἐτῶν, Ἀδριανὸς εἶπεν, πεῖσον τȣ̀ς κριτὰς, μὴ ὀφείλειν τȣ̃τον περὶ ταύτην προσηγορίαν ἐλευθερȣ̃σθαι. *Urbico dicente, Primitivum, ſervum ſuum, manumittere volentem, vetitum eſſe a Reſtituta, matre pupillæ: in fraudem enim pupillæ hoc fieri: eſſe enim eum actorem ejus, & per eum res omnes pupillæ adminiſtratas. Hadrianus inquiſivit cujus ætatis pupilla eſſet; dicente advocato, decem eſſe annorum, Hadrianus dixit, Suade Judices, non debere eum circa hanc appellationem manumitti.* Occurrunt in Inſcriptionibus Gruterianis, pagina 85. Primitivi duo, temporibus Marci Imperatoris. Meminit cujusdam, nomine Primitivi, & Ammianus Marcellinus libro XXV.

SACCUS THYLACUS.

Modeſtinus l. 44. D. de Manumiſſis teſtam. *Mævia decedens, ſervis ſuis nomine Sacco, & Eytychia*

tychiæ, *&* *Hirene*, *ſub conditione libertatem reliquit*, *his verbis:* Saccys, ſervus meus, &c. *Cum adſiduo monumento Mæviæ*, *Saccus*, *&* *Eytychia*, *&* *Hirene non adſint.* ¶ *Saccus*, & *Thylacus*, quod idem eſt, nomen fuit ſervi apud Veteres. Donatus in Andriam Act. 1. Sc. 3 *Nomina Comicorum ſervorum aut a nationibus ſunt indita*, *ut* Myſis, Syrus: *aut ex accidentibus*, *ut* Lesbia, *velut* ebrioſa: *a Lesbo inſula*, *quæ eſt ferax ſuaviſſimi*, *candidiſſimique vini:* *aut a moribus & vernilitate*, *ut* Pſeudolus: *aut ex negotio*, *ut* Chryſalus: *aut ex qualitate corporis*, *ut* Thylacus: *aut ex ſpecie formæ*, *ut* Pinacium. *Thylaci* autem & *Sacci* nomine, ventrioſi, & *doliares*, ut loquitur Plautus, potiſſimum vocabantur. Σάκχυς vitioſe ſcriptum eſt in Baſilicis: ut & *Saccys* in dicta lege 44. in Pandectis Florentinis.

EROS.

Paulus l. 32. §. 2. D. de Teſtamentaria tutela: *Lucius Titius heredes inſtituit filios ſuos pupillaris ætatis*, *eiſque tutores his verbis dedit:* Filiis meis tutores ſunto Gajus Mævius, & Lucius Eros. *Cui Eroti libertatem non dedit: fuit autem* Ἔρως *intra viginti quinque annos ætatis.* ¶ *Eros*, nomen ſervi apud Veteres. Adde legem XI. de Optione vel electione legata: *Si Eros Sejo legatus ſit*, *&* *Eroti fundus*, *deinde optio ſervi Mævio data*

 fuerit,

fuerit, iisque Erotem optaverit. Et legem XII. de Liberatione legata: *Lucius Titius, cum Erotem actorem haberet, codicillis ita cavit:* Erotem liberum eſſe volo, &c. Item legem 5. de Rei vindicatione: *Si plures ſint ejuſdem nominis ſervi, puta plures Erotes.* Mentio fit Erotis, ut ſervi, & in lege 9. Qui potiores in pignore: & in 38. & 41. de Legatis tertio: & in 14. & 56. de Fideicommiſſariis libertatibus. Memoratur & Aurelius Eros, unctor, & plures alii ſervi, hoc nomine, apud Gruterum in Inſcriptionibus. Etiam Cicero ſervum habuit nomine Erotem, cujus meminit ipſe in Epiſtolis ad Atticum. Meminit & Plutarchus in Apophthegmatibus: ubi narrat Ciceronem tanto in metu agendæ cujusdam cauſæ tempus exſpectaſſe, ut ſervum ſuum Erotem libertate donarit, quod cauſam, quam acturus erat, in poſterum diem dilatam nunciaſſet. Idem Plutarchus in Antonio Erotem memorat, Cleopatræ ſervum. Vitioſe igitur *Herotem* ſcriptum eſt in lege 13. de Adimendis vel transferendis legatis: *Stichum, & Damam, & Herotem, &c.* Item in lege 122. de Verborum obligationibus. *Et cum ante Idus ſupraſcriptas ſecundum conventionem mercibus in navem impoſitis, cum Herote, conſervo Stichi, quaſi in provinciam Suriam perventurus enavigavit: quæſitum eſt, nave ſubmerſa, cum ſecundum cautionem Callimachus merces debito perferendas* (Antonius Auguſtinus, pro *debito*, recte *Beryto* emendabat) *in navem miſiſſet,* (Et ita recte Cuja-

Cujacius Obſervat. lib. 2. cap. XI.) *eo tempore, quo jam pecuniam Brenteſio reddere Romæ perferendam deberet; an nihil proſit Herotis conſenſus, qui cum eo miſſus erat.* Idem error in codices Horatianos videtur irrepſiſſe: ubi ſcriptum eſt,

Intererit multum, Davusne loquatur, an Heros.

Lambino enim, omnium, qui in Horatium ſcripſerunt, κριτικωτάτῳ, aſſentior, reſcribenti *Davusne loquatur, Erosne.* Cujus emendationis meminit & Antonius Auguſtinus. Cum ita ſcripſiſſet Venuſinus, ſcripſere poſtea Librarii *Davusne loquatur, Herosne:* plurima enim vocabula contra etymologiam Latini aſpirarunt: ut *Herodotus, Herodicus.* Quæ lectio, cum eam προσῳδία non admitteret, mutata fuiſſe videtur in vulgatam. Davus, ſervi verſuti, & fallacis nomen: Eros, fidelis, ac frugi.

ONESIPHORUS.

Scævola lege 59. de Manumiſſis teſtamento: *Oneſiphorus, niſi diligenter rationem excuſſeris, liber ne eſto.* ¶ *Oneſiphorus* quoque, hoc eſt, *qui utilitatem adfert*, ὠφέλειαν φέρων, ſervile nomen: quod exſtat in Epiſtola ſecunda ad Timotheum. Similiter *Oneſimus,* hoc eſt, *Dominis utilis*, nomen eſt ſervi, apud Suetonium in Galba: ſed ex emendatione Mureti, quem vide Variarum

 Lectio-

Lectionum libro xv. capite undecimo. Nomen *Utilius*; quod idem ac *Oneſiphorus*, & *Oneſimus*; occurrit apud Capitolinum in Marco. Vide ſupra pag. 74. Ita Χρηςὴ, & Χρησίμη, nomina ancillarum. Theocritus in epigrammate de Clita, Medei nutrice: *ἔτιμαν ἔτι χρησίμα καλεῖται*. Id eſt, *Præterquam quod* Κλεῖτα *nomine dicta erat, adhuc χρησίμα*; id eſt, *Utilis*; *vocatur*. Hæc autem nomina, ominis cauſa, ſervis imponebant.

FABIUS CILO.

Ulpianus libro ſingulari de Officio Præfecti Urbi, l. 1. de Officio Præfecti Urbi: *Omnia omnino crimina Præfectura Urbis ſibi vindicavit: nec tantum ea, quæ intra Urbem admittuntur, verum ea quoque, quæ extra Urbem, intra Italiam, Epiſtola Divi Severi ad Favium Cilonem Præfectum miſſa declaratur.* Et libro eodem l. ult. de Officio Præfecti Vigilum: *Imperatores Severus & Antoninus Junio Rufino, Præfecto Vigilum, ita reſcripſerunt: Inſularios, & eos qui negligenter ignes apud ſe habuerint, potes fuſtibus vel flagellis cædi jubere: eos autem qui dolo feciſſe incendium convincentur, ad FaVium Cilonem, Præfectum Urbi, amicum noſtrum, remittes; fugitivos conquirere, eoſque dominis reddere.* Et libro IX. de Officio Proconſulis, lege 8. §. de Pœnis: *Præfecto plane Urbi ſpecialiter*

liter competere jus in metallum damnandi, ex Epiſtola Divi Severi ad FaVium Cilonem exprimitur. Ita recte in Pandectis Florentinis ſcriptum eſt: minus recte *Chilonem* in quibusdam aliis exemplaribus. Græci quoque Κίλωνα reddiderunt. Sed & vetus Inſcriptio apud Gruterum, p. 406. 10. quæ Romæ exſtat in atrio domus Cæſianæ:

Λ. Φ Α Β Ι Ο Ν
ΚΕΙΛΩΝΑ
ΤΟΝ. ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΟΝ
ΕΠΑΡΧΟΝ ΡΩΜΗΣ
ΥΠΑΤΟΝ. ΤΟ. Β.
Η. ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΣ
ΤΗϹ. ΓΑΛΑΤΙΑΣ
ΑΝΚΥΡΑ
ΤΟΝ. ΕΑΥΤΗΣ
ΠΡΟϹΤΑΤΗΝ.

Alia vetus Inſcriptio apud eumdem Gruterum pag. 407. I. L. FABIO. M. F. GAL. CILONI, &c. Et pag. eadem, 2. L. FABIO, M. F. GAL. CILONI SEPTIMIO, &c. *Cilo*, ſine aſpiratione, dicitur, cui frons eſt eminentior: *Chilo* vero, cum aſpiratione, cui magna labia; ut recte Pompejus in libro de Verborum ſignificatione. Videndus Cujacius libro x. Obſervationum cap. 26. ubi in variis Imperatorum, quæ in Codice Juſtinianeo leguntur, Conſtitutionibus, etiam *Favium Chilo-*

M 4 *nem,*

nem, pro *Favium Cilonem*, vitioſe ſcriptum fuiſſe obſervabat. Vitioſe quoque apud Spartianum in Antonino Caracalla: *Innitensque Papiniano & Chiloni*, pro *Ciloni.*

ERYCIUS CLARUS.

Paulus libro ſingulari de Officio Præfecti Vigilum, l. 3. de Officio Præfecti Vigilum: *Effracturæ ſiunt plerumque in inſulis, in horreisque, ubi homines pretioſiſſimam partem fortunarum ſuarum reponunt, cum vel cella effringitur, vel armarium, vel arca, & cuſtodes plerumque puniuntur, & Divus Antoninus Erycio Claro reſcripſit, &c.* ¶ Non dubito illum eſſe Erycium Clarum, quo iterum & Severo Coſſ. natum eſſe Severum; quemque occiſum a Commodo narrat Spartianus in Severo. Igitur hic per Divum Antoninum Antoninus Pius intelligendus. Meminit ejus & Dion libro 73. ſed a Commodo interfectum non dicit: verum id tantum: ſtatuiſſe Commodum, illum interficere. De eodem Erycio Claro accipiendus videtur Gellius libro & capite ſexto: ubi ait: *Adoleſcens ego Romæ, tum, cum etiam ad Grammaticos itarem, audivi Apollinarem Sulpicium; quem in primis ſectabar; cum de jure Augurio quæreretur, & mentio præpetum avium facta eſſet, Erucio Claro, Præfecto Urbi dicere*, &c. *Erucius* & *Erycius*, idem. Sextus quidam Erucius memora-

moratur Plinio epiſtolarum libro primo & ſecundo.

CINCTI HORATII

Paulus l. 3. Si pars hereditatis petatur: *Sed & tergeminos Senatores cinctos vidimus Horatios.* ¶ Locus corruptiſſimus, quem emendare nemo Interpretum non tentavit. Omiſſis aliorum emendationibus, quas omnes recitat Fabrotus noſter in Tractatu illo erudito de Numero Puerperii, quem mihi nuncupavit; accedo ſententiæ præſtantiſſimi Cujacii, qui τὸ *Horatios* additamentum eſſe exiſtimat; (non enim tergeminos Horatios Paulus videre potuit) & τὸ *cinctos* depravatum putat; pro quo *Cincios* reponit. Ego *Cinctos* ſcriptum fuiſſe conjiciebam olim, pro *Quinctos*; quod poſtea in *cinctos* abiiſſet. Poſt literam Q, literam U omiſſam fuiſſe, notius eſt quam ut probari debeat: *Quinctus* autem, & *Quinctius*, & *Quinctilis*, & *Quinctilianus*, Veteres ſcripſerunt: ut teſtantur, præter veteres denarios, Faſti Capitolini. Literis C & Q indiſcrete Librarii uſi ſunt, cum ſimiliter pronunciarentur: quod indicat jocus Ciceronis ad Candidatum, qui filius Coqui habebatur: *Ego quoque tibi jure favebo. Tu quoque aderas huic cauſæ.* Ita paſſim in libris veteribus *cum*, pro *quum*; *ecus*, pro *equus*; *cotidianus*, pro *quotidianus*. Et inde errores

non pauci apud Scriptores occurrunt. Unum hic adnotare non pigebit, quia Virgilium, principem Poëtarum, inquinavit. Locus eſt in VII. Æneidos.

Quam multi Libyco volvuntur marmore fluctus,
Sævus ubi Orion hibernis conditur undis:
Vel cum Sole novo denſæ torrentur ariſtæ,
Aut Hermi campo, aut Lyciæ flaventibus arvis.

Legendum, *Vel quam Sole novo*, &c. ſunt enim duæ comparationes. Ita Æneidos VI.

Quam multa in ſilvis autumni frigore primo
Lapſa cadunt folia: aut ad terram gurgite ab alto
Quam multæ glomerantur aves, &c.

Et IX.

Quantus ab Occaſu veniens pluvialibus Hædis
Verberat imber humum: quam multa grandine nimbi
In vada præcipitant.

Et alibi paſſim. Scripſerat Scriptor Librarius *Vel cuam Sole novo:* quod poſtea in τὸ *Vel cum Sole novo* depravatum eſt. Potuit ſcripſiſſe & *quam:* quod in *quum* primum, deinde in *cum* abierit.

CÆCI-

CÆCIDIANUS.

Ulpianus l. 7. §. 10. D. de Dolo malo: *Idem Pomponius refert, Cæcidianum Prætorem, &c.* ¶ A *cæcus*, ſive *cæceo*, eſt *Cæcidus: à Cæcidus, Cæcidianus.* Nihil igitur mutandum in eo nomine: quod etiam legitur apud Martialem libro x. epigram. 32.

Hæc mihi quæ colitur violis pictura, roſisque,
Quos referat vultus, Cæcidiane, rogas.

Ita recte editio Juniana. Legi tamen poſſet & *Cecidiane*: a Κηκίδιος. Sic vocabatur Poëta quidam Dithyrambicus: de quo Suidas. Κηκίδιος. διθυράμβων ποιητής· πάνυ ἀρχαῖος. Μέμνηται αὐτοῦ Κρατῖνος καὶ Ἀριστοφάνης, &c. Ita recte Codex Regius. Vulgati perperam, Κηκείδιος.

REGIO NIPHANA.

Scævola l. 35. §. 2. de Legatis tertio: *Libertis quos nominaverat, ita legavit:* (patronus) *Fundum Trebatianum, qui eſt in regione Atellata: item fundum Satrianum, qui eſt in regione Niphana, cum taberna dari volo. Quæſitum eſt, cum inter fundos quos ſupra legavit, ſit quidem fundus, vocabulo Satrianus, in regione tamen Niphana non ſit, an ex cauſa fideicommiſſi libertis debeatur. Reſpondit: Si nullus eſſet Satrianus in regione Niphana, & de eo ſenſiſſe teſtatorem, certum ſit,*

ſit, qui alibi eſſet; non idcirco minus deberi, quia in regione deſignanda lapſus eſſet. ¶ Pro *Niphana;* quod regionis nomen alibi non occurrit; legendum puto *Aliphana*, *Alipha*, aut *Aliphæ*, locus eſt vicinus Atellæ. Qui locus, dictus & *Allifa.* Vetus Lapis apud Aldum in Orthographia: FABIO MAXIMO, V. C. CONDITORI MOENIUM: PUBLICORUM VINDICI OMNIUM PECCATORUM: ORDO ET POPULUS ALLIFANORUM, PATRONO.

PHILARGYRUS.

Paulus l. 28. de Conditionibus & demonſtrationibus: *Attia, uxor mea, Optato Philargyrum puerum, Agatheam ancillam, qui mei erunt, cum moriar.* ¶ *Phylargyrum*, hoc eſt, argenti cuſtodem, malebat Antonius Auguſtinus, libro de Propriis nominibus Pandectarum. Cave quid mutes, *παρὰ τὸ φυλάττειν τὸ ἀργύριον, Phylargyrus* formari non poteſt, dicendum eſſet, *ἀργυροφύλαξ.* Ut vere forſan ſcripſerit Antonius Auguſtinus libro ſingulari ad Modeſtinum, ſe civilibus ſtudiis impeditum, in Lingua Græca non magnos progreſſus feciſſe.

QUINTILII.

Ulpianus l. 16. §. 4. de Bonis libertorum: *Si patroni*

patroni filius ſit, vel exheredatus, vel ſi in ſervitutem libertum paternum petiit, vel capitis accuſaverit libertum, non nocet hoc liberis ejus qui in poteſtate non ſunt. Et hoc Divi fratres Quintilii reſcripſerunt. ¶ Hi ſunt Quintilii, par Fratrum nobiliſſimorum, Condianus & Maximus: de quibus ſic Dio in Commodo: ἐφόνευσε καὶ τοὺς Κυϊντιλίους, τόν τε Κονδιανὸν, καὶ τὸν Μάξιμον· μεγάλην γὰρ εἶχον δόξαν ἐπὶ παιδείᾳ, καὶ στρατηγίᾳ, καὶ ὁμοφροσύνῃ, καὶ πλούτῳ. Ita enim legendum videtur apud Dionem, ex Caſauboni emendatione, non Καρδιανόν. Id eſt, *Inſuper occidi juſſit Condianum, & Maximum, Quintilios, qui & doctrina, & ſcientia rei militaris, concordiaque, & opibus percelebres erant.* ¶ *Fuerunt Quintilii, & provinciæ, vel fortaſſe provinciarum Præſides: ſed ſimul ambo:* verba ſunt Caſauboni ad Lampridium in Marco; ubi & Lampridius horum fratrum meminit. Pergit Caſaubonus: *Auctor Dio in Vita Marci: ubi fortitudinem ipſorum prædicat. Ac Xiphilini quidem ex verbis, Pannoniæ eos præfuiſſe conjiciebamus: collocat enim in provincia, quam undique barbari conarentur invadere. Philoſtratus tamen ait Achaiæ* τῷ ἀνδρὶ τούτῳ ἄμφω τῆς Ἑλλάδος ἠρχέτην. *Eruditio quam Dio tribuit Quintiliis, utcumque apparet hodieque in fragmentis librorum de Re Ruſtica, quos ſub Quintiliorum nomine toties laudatos videmus in Eclogis Rei Ruſticæ, ſive Geoponicorum libro. Multa enim in id corpus relata e libris*

bris Quintiliorum Fratrum. De his accipienda verba Athenæi libro XIV. οἱ τὰ γεωργικὰ συγγράψαντες ἀδελφῶ, ἐν τῷ τούτῳ γράφουσιν οὕτως. *Opes vero hujus domus magnas fuiſſe, etiam illa hiſtoria docet, quam narrat Dio de illo plano, qui Pertinace imperante, in Sexti Condiani nomen invaſit, fortunis inhians, quæ illius fuerant. At concordia horum Fratrum, quam ait Dio, plane æterna laude digniſſima. Putes unum fuiſſe, non duos: ita ſemper conjunctim Quintilii nominantur a Veteribus: immo, ita conjuncti ſemper illi vixerunt. Conſulâtum ſimul geſſerunt: provincias ſimul rexerunt: libros ſimul ſcripſerunt: ſimul ediderunt: ad Marcum Imperatorem ſimul literas dederunt: Marcus quoque ambobus ſimul reſcripſit, ut eſt in lege 16. de Bonis libertorum. Poſtremo, qui ita conjuncti longam egerant vitam, una ſimul juſſu latronis hujus perierunt.*

CAPUT XXXII.

Fugitivi pedum amputatione multati.

FUgitivos pedum amputatione coërcendos reſcripſit Conſtantinus Imperator in l. 3. C. de Servis Fugitivis. *Si Fugitivi,* inquit, *deprehendantur ad Barbaros tranſeuntes, aut pede amputato debilitentur, aut metallo dentur, aut qualibet alia pœna afficiantur.* Solebant ſcilicet qua

parte

parte peccaſſent malefici, eadem puniri. Hinc jocus Martialis:

Quis tibi perſuaſit nares abſcindere mœcho?
Non hac peccatum eſt parte, marite, tibi.

Plura in hanc rem congeſſit diligentiſſimus Cujacius Obſervationum lib. VII. cap. 13. quibus addo Diodori jocum eximium ex libro Hiſtoriæ primo, ubi de Ægyptiorum legibus: Καὶ τῶν μὲν τὰ ἀπόῤῥητα τοῖς πολεμίοις ἀπαγγειλάντων ἐπέταττεν ὁ νόμος ἐκτέμνεσθαι τὴν γλῶτταν· τῶν δὲ νόμισμα παρακοπτόντων, ἢ ἕτερα καινὰ ςαθμὰ παραποιούντων, ἢ τῶν παραγλυφόντων τὰς σφραγίδας, ἔτι δὲ τῶν γραμματέων, τῶν ψευδεῖς χρηματισμοὺς γραφόντων, ἢ ἀφαιρούντων τι τῶν ἐγγεγραμμένων, καὶ τῶν τὰς ψευδεῖς συγγραφὰς ἐπιφερόντων, ἀμφοτέρας ἐκέλευσεν ἀποκόπτεσθαι τὰς χεῖρας· ὅπως ἕκαςος οἷς μέρεσι τοῦ σώματος παρηνόμησεν, εἰς ταῦτα κολαζόμενος, αὐτὸς μὲν μέχρι τελευτῆς ἀνίατον ἔχῃ τὴν συμφοράν, τοὺς δ' ἄλλους διὰ τῆς ἰδίας τιμωρίας νουθετῶν, ἀποτρέπῃ τῶν ὁμοίων τι πράττειν. Πικροὶ δὲ καὶ περὶ τῶν γυναικῶν νόμοι παρ' αὐτοῖς ὑπῆρχον· τοῦ μὲν γὰρ βιαζομένου γυναῖκα ἐλευθέραν προσέταξαν ἀποκόπτεσθαι τὰ αἰδοῖα· νομίσαντες τὸν τοιοῦτον μιᾷ πράξει παρανόμῳ τρία τὰ μέγιςα τῶν κακῶν ἐνηνοχέναι, τὴν ὕβριν, καὶ τὴν φθοράν, καὶ τὴν τῶν τέκνων σύγχυσιν. εἰ δέ τις πείσας μοιχεύσαι, τὸν μὲν ἄνδρα, ῥάβδοις χιλίας πληγὰς λαμβάνειν ἐκέλευον, τῆς δὲ γυναικὸς, τὴν ῥῖνα κολοβοῦσθαι· ὑπολαμβάνοντες δεῖν τῆς πρὸς

ἀσυγ-

ἀσυγχώρητον ἀκρασίαν καλλωπιζομένης ἀφαιρεθῆναι τὰ μάλιστα κοσμοῦντα τὴν εὐπρέπειαν. *Qui hoſtibus ſecreta enuntiarent, his linguam exſecari Lex mandabat. Illis qui monetam adulterarent, aut nova ſubſtituerent pondera, aut ſigilla tranſculperent: Scribis etiam qui tabulas falſas concinnarent, vel de relatis in tabulas publicas quidpiam demerent, aut ſyngraphas ementitas obtruderent, Lex utramque manum præcidi juſſit: ut qua quisque corporis parte in Legem peccaſſet, hac ad finem usque irreparabili cum damno, & ipſe culpam lueret, & alios pœna hac ſua commonefactos ab eo genere facinoris deterreret. De ſexu muliebri acerbas habebant leges: nam qui vim ingenuæ attuliſſet, huic genitalia præcidi jubebant: unius enim facinoris enormitate tria maxima flagitia, injuriam, corruptelam, liberorum confuſionem, perpetrari judicabant. Si perſuaſu adulterium eſſet commiſſum, viro mille plagæ fuſtium, mulieri narium detruncatio irrogabatur: nam mulieri ad vetitas libidines ſeſe exornanti, præcipua venuſtatis lenocinia adimenda cenſebant.* Sed & fures pedum diciſione: ποδῶν διατομῇ; punitos ſcripſit Agathias lib. IV. Puto, quia qui ſunt fugitivi, plerumque ſunt & fures: & ut recte Martialis,

A pedibus didicere manus peccare protervæ.
Non miror furem, qui fugitivus erat.

Inde *fugitivus* & *fur* ſæpius conjunguntur: ut apud Horatium lib. I. Epiſt. 16.

Nec

Nec furtum feci, nec fugi, ſi mihi dicat
Servus, &c.

CAPUT XXXIII.

Σφάλματα *quædam ejus, qui, quæ in Pandeđis Græce leguntur, Latina fecit.*

QUis Latine vertit, quæ in Pandectis Græce leguntur, non ſatis conſtat. Sunt qui interpretationes illas adſcribunt Burgundioni, ſive Burgundio, Judici & civi Piſano, qui fato functus eſt anno 1194. Hos inter, Odofredus ad Legem XI. D. de Legibus, Pancirolus in vita Bulgari, & Pignorius Symbolarum Epiſtolicarum epiſtola 39. Alii; quos inter Accurſius, Antonius Auguſtinus, Contius, Cujacius; earum auctorem faciunt Bulgarum, Irnerii diſcipulum: quem tamen Græcarum literarum expertem omnino fuiſſe Pancirolus vult dicto loco. Fuit vero Burgundio Græcis literis apprime eruditus: quod teſtatur *Liber Vindemiarum*, ab eo ex Geoponicis excerptus. Id ipſum teſtantur quæ ex Sancto Gregorio Nysſeno Latine vertit: quæ ex Sancto Johanne Chryſoſtomo in Geneſin: quæ ex eodem in Evangelium Sancti Johannis. Exſtat Burgundionis poſtremus ille liber manuſcriptus in Bibliotheca Vaticana, cum hac præfatione: *PROLOGUS. Omnibus in Chriſto fidelibus Fratribus Burgundio Judex Salutem. Cum Conſtantinopoli pro negotiis*

tiis publicis patriæ meæ a civibus meis ad Imperatorem Manuelem miſſus, Legati munere fungerer, & quendam filium meum, Hugolinum, *nomine, quem mecum adduxi, morbo arreptum amiſerim; pro redemptione animæ ejus, Explanationem Sancti Johannis Evangeliſtæ Evangelii, a Beato Johanne Chryſoſtomo, Conſtantinopoleos Patriarcha, mirabile editam, de Græco in Latinum ſtatui vertere ſermonem.* Vertit autem anno 1178. quod notavit ſcriptor librarius in fine ipſius Verſionis. Exſtant in XIII. Volumine Spicilegii Dacheriani, Anſelmi, Havelbergenſis Epiſcopi, dialogi tres, in quorum altero mentio fit Sermonis, habiti Conſtantinopoli de proceſſione Spiritus Sancti, ipſum inter Anſelmum & Viros aliquot eruditos, natione Græcos, coram Burgundione illo noſtro. Verba Anſelmi infra ponam: *Cum eſſem conſtitutus in urbe regia, & crebro varias a Græcis quæſtiones ſuſciperem, & itidem alias illis proponerem, placuit Imperatori Calo-Johanni: placuit etiam Patriarchæ civitatis, Viro religioſo, ut publicus conventus fieret: & ſtatuta eſt dies: ut in audientia omnium ea ſonarent, quæ hinc & inde dicerentur. Convenientibus itaque quamplurimis ſapientibus, in vico qui dicitur* Piſanorum, *juxta eccleſiam Agiæ Irenæ, quæ lingua Latina* Sanctæ Pacis *nuncupatur menſe Aprili, poſitisque Silentiariis, qui omnia quæ hinc inde dicerent, fideliter exciperent, & ſcripto mandarent: univerſa multitudo quæ ad audiendum avida convenerat, conticuit. Aderant quo-*

que non pauci Latini. Inter quos fuerunt tres viri ſapientes, in utraque lingua periti, & literarum doctiſſimi. Jacobus *nomine, Veneticus natione:* Burgundio *nomine, Piſanus natione: tertius inter alios præcipuus, Græcarum & Latinarum literarum doctrina apud utramque gentem clariſſimus,* Moyſes *nomine, Italus natione: ex civitate Bergamo. Iſte ab univerſis electus eſt, ut utrimque fidus Interpres eſſet.* De Burgundione plura qui volet, adeat Pignorium dicto loco. Quisquis vero tandem ille fuit, qui Latine vertit, quæ in Pandectis Græca habentur, certum eſt pleraque ſecus fuiſſe interpretatum: quod locorum aliquot recenſione faciam hic manifeſtum.

ΑΚΡΙΒΟΛΟΓΕΙΝ.

Modeſtinus l. 6. §. 7. de Excuſationibus Tutorum: ubi de Philoſophis: εἰ δὲ ἀκριβολογῶντο περὶ τῆς ὐσίας, αὐτόθεν ἤδη φανεροὶ γενήσονται μὴ φιλοσοφοῦντες. Vertit vetus Interpres: *Si autem proprie loquantur de ſubſtantia, inde jam manifeſti fient non philoſophantes.* Quid eſſet ἀκριβολογεῖσθαι περὶ τῆς ὐσίας non intellexit. Eſt autem *avare de re familiari contendere:* ut jam pridem monuit Antonius Auguſtinus: ἀκριβὴς, eſt *parcus, ſordidus, avarus.* Heſychius; μικρολόγος, ἀκριβὴς, φειδωλὸς, φειδωλοφίλος. Nam & μικρολόγος, *parcum* ſignificat, *ſordidum, avarum.*

avarum. Gloſſæ Veteres: *μικρολογία*, *parſimonia.* Theophraſtus in Characteribus, capite *περὶ μικρολογίας: ἡ δὲ μικρολογία, ἐςὶ φειδωλία τȣ̃ διαφόρȣ ὑπὲρ τὸν καιρόν.* *Sordida parſimonia, eſt ſtudium parcendi ſumtibus ultra modum.* Lucianus in Nigrino: *ἢ διαβάλλοντες τὸ δεῖπνον, ἢ ὕβριν, ἢ μικρολογίαν ἐγκαλȣ̃ντες.* *Vel cœnam criminantes, vel contumeliam, & ſorditiem accuſantes.* Laërtius noſter in Bione: *πρὸς τὸν πλȣ́σιον μικρολόγον. Οὐχ ȣ̃τος, ἔφη, τὴν ȣ̓σίαν κέκτηται, ἀλλ' ἡ ȣ̓σία τȣ̃τον.* *Diviti ſordido: Non iſte, inquit, rem habet, ſed habetur a re.* Et deinde: *ἔλεγε, τȣ̀ς μικρολόγȣς, τῶν μὲν ὑπαρχόντων, ὡς ἰδίων ἐπιμελεῖσθαι· ὡς δὲ ἀλλοτρίων, μηδὲν ὠφελεῖσθαι.* *Ajebat, ſordidos bona quidem ſua, tanquam propria curare: ex iis vero, velut alienis, nullam utilitatem percipere.* Ariſtophanis Scholiaſtes ad Pacem: *ὅτι δὲ αἰσχροκερδεῖς καὶ σμικρολόγοι οἱ Λάκωνες, δῆλον ἐκ τȣ̃ χρησμȣ̃.*

Α φιλοχρηματία Σπάρταν ὀλεῖ, ἄλλο δὲ ȣ̓δέν. Julianus Imperator in Cæſaribus, ubi de Antonino Pio: *βαβαὶ τῆς μικρολογίας· εἷς εἶναί μοι δοκεῖ τῶν διαπριόντων τὸ κύμινον ὁ πρεσβύτης ȣ̃τος.* Quæ verba non cepit quoque, Juliani Interpres, Cunæus; vir alioqui doctiſſimus; qui ea ſic eſt interpretatus: *quanta minutiarum rimatio! hunc ego ſenem, unum eſſe de iſtis puto, qui cuminum ſecant; μικρολογίαν,* hoc loci, parſimoniam nimiam ſignificare, vel quod ſequitur, *διαπριόν-*

πριόντων τὸ κύμινον, manifeſto evincit: ſunt enim κυμινοπρισταὶ, ut recte Heſychius, Φειδωλοὶ ὁμοίως καὶ καρδαμογλύφοι. Sed ad Modeſtinum ut redeam: hoc voluit; pecuniæ avidos Philoſophos, non revera eſſe Philoſophos, quorum eſt pecuniam ſpernere. Quæ ſententia & aliis in locis librorum Juris occurrit. Papinianus l. 8. §. 4. D. de Vacationibus & excuſationibus munerum. *Philoſophis, qui ſe frequentes atque utiles per eamdem ſtudiorum ſectam contendentibus præbent, tutelas, item munera ſordida corporalia remitti placuit: non ea quæ ſumptibus expediuntur, etenim vere philoſophantes pecuniam contemnunt: cujus retinendæ cupidine fictam adſeverationem detegunt.* Imperatores Diocletianus & Maximianus, l. 6. C. de Muneribus patrimoniorum: *Profeſſio & deſiderium tuum inter ſe diſcrepant: nam cum Philoſophum te eſſe proponas, vinceris avaritia, rapacitate: & onera, quæ patrimonio tuo injunguntur, ſolus recuſare conaris.* Imperatores Valentinianus & Valens, l. 8. C. de Profeſſoribus: *Reddatur unusquisque patriæ ſuæ, qui habitum Philoſophiæ indebite & inſolenter uſurpare cognoſcitur: exceptis his, qui a probatiſſimis approbati, ab hac debent colluvione ſecerni: turpe enim eſt, ut patriæ functiones ferre non poſſit, qui etiam fortunæ vim ſe ferre profitetur.* Eadem legere eſt apud Senecam in libro II. de Beneficiis, cap. 17. *Res eſt intolerabilis, poſcere nummos, & contemnere, indixiſti pecuniæ odium, hoc profeſſus es,*

hanc perſonam induiſti: agenda eſt, &c. Atque hinc eſt, quod Crates Cynicus apud quemdam Menſarium pecuniam depoſuiſſe traditur, hoc pacto, ut eam filiis, ſi idiotæ evaſiſſent, redderet; ſi Philoſophi, populo diſtribueret; nihil enim ipſis opus fore philoſophantibus, auctor Laërtius.

ἈΚΡΌΔΡΥΑ.

Gajus l. 236. de Verborum ſignificatione. *Glandis appellatione omnis fructus continetur, ut Javolenus ait: exemplo Græci ſermonis, apud quos omnes arborum ſpecies* (melius *fructuum*) *ἀκρόδρυα appellantur.* ἀκρόδρυα hoc loco, ſunt fructus ipſi, poma, nuces, glandes, e ramo pendentes. Xenophon in Oeconomico: ἦ καὶ συκῆν, (ἔφην ἐγὼ) οὕτω δεῖ φυτεύειν; οἶμαι δ' (ἔφη ὁ Ἰσχόμαχος) καὶ τ' ἄλλα ἀκρόδρυα πάντα. Epiphanius libro 3. extremo: ἤδη δὲ καὶ ἄλλοι ἄρτου ἀπέχονται· ἕτεροι δὲ, καὶ ἀκροδρύων, καὶ ἑψημάτων. Heſychius: ἀκρόδρυα. ἀρχὴ καρπῶν. καρποί. Suidas: ἀκρόδρυα. καρποὶ δενδρικοὶ πάντες οἱ τῶν δένδρων καρποί. Proprie tamen ἀκρόδρυα fructus dicuntur, qui foris τὸ ξυλῶδες, hoc eſt, lignum, habent; quique aliter κάρυα appellantur. Athenæus lib. 2. οἱ Ἀττικοὶ, καὶ οἱ ἄλλοι συγγραφεῖς, κοινῶς πάντα τὰ ἀκρόδρυα ΚΑΡΥΑ λέγουσι. *Extremitates arborum* in dicta lege 236. peſſimé vetus interpres reddidit: quod

quod tamen hæc vox ſignificat aliquando. Gloſſæ Veteres: *ἀκρόδρυον, cacumen rami.* Eas porro frondium ſummitates *ἀκρίδας* ſimpliciter dici in Evangelio, ubi de Johannis Baptiſtæ auſteriori vita agitur, exiſtimavit Iſidorus Peluſiota. Verba ejus ſunt in lib. I. epiſt. 132. *αἱ ἀκρίδες, ἃς Ἰωάννης ἐτρέφετο, ὐ ζῶά εἰσιν, ὥς τινες οἴονται ἀμαθῶς, κανθάροις ἀπεοικότα μὴ γένοιτο· ἀλλ' ἀκρεμόνες βοτανῶν, ἢ φυτῶν. Illæ* acrides, *quibus veſcebatur Johannes, non ſunt animalia ſcarabæis ſimilia, ut imperite quidam exiſtimant, abſit: ſed extremitates herbarum, aut plantarum.* Sed qui alios graviter falli putat, gravius ipſe fallitur. Qua de re videndus Caſaubonus in Exercitatione XIII. ad Annales Eccleſiaſticos Baronii, & Radulfus Fornerius Rerum Quotidian. lib. V. cap. 27.

ΑἹΜΑΣΙΑ΄.

Solon apud Gajum lege ultima D. Finium Regundorum: *Ἐάν τις αἱμασιὰν παρ' ἀλλοτρίῳ χωρίῳ ὀρύγῃ, τὸν ὅρον μὴ παραβαίνειν· ἐὰν τειχίον, πόδα ἀπολιπεῖν.* Vertit vetus Interpres: *Si quis ſepem ad alienum prædium fixerit, infoderitque, terminum ne excedito: ſi maceriam, pedem relinquito.* Scilicet *αἱμασιᾶς* vocabulo Solonem *ſepem* intellexiſſe exiſtimavit. Qua in ſententia video eſſe & ceteros Juris Interpretes: Leunclavium

in Baſilicorum Synopſi, pag. 490. Labbæum ad dictum Gaii locum; Gothofredum ad Harmenopulum; Petitum ad Leges Atticas; Heraldum Obſervationum & Emendationum Juris capite 41. & in Animadverſionibus in Salmaſii Obſervationes ad Jus Atticum & Romanum lib. v. cap. 41. Omnes a vero aberrarunt. *αἱμασιὰ* hoc loco, eſt maceria, ſive murus ex ſicco lapide, & temere collecto, compoſitus: de quo Siculus Flaccus de Conditionibus agrorum: *Maceriæ quoque, & quæ ex congeſtione lapidum fiunt, & quæ manu inſtruuntur, non ſemper, aut terrarum excipiendarum cauſa, aut repurgandi agri, aut finem præſtandi, fiunt: aliquando etiam per magnum ſpatium, aut vinaria, aut pomaria, aut vineas, aut oliveta, aut arbuſta, maceriis ſupra dictis includunt, & ab incurſionibus beſtiarum defendunt.* Id veriſſime Salmaſius Obſervationum ad Jus Atticum & Romanum cap. 13. obſervabat. Ea notione verbum *αἱμασιὰ* a Veteribus perpetuo accipitur. At pro *ſepe*, niſi apud recentiores Grammaticos, nusquam reperias. Homerus Odyſſ. Σ. 358.

Αἱμασιάς τε λέγων, καὶ δένδρεα μακρὰ φυτεύων. Ad quem verſum vetus Scholiaſtes, qui ſub Didymi nomine editus eſt: ΑΙΜΑΣΙΑΣ. *τὰς περιβόλους τῶν τοίχων. τὰς χάλικας.* ΛΕ΄ΓΩΝ. *οἰκοδομῶν ἐκ συλλέκτων λίθων.* Herodotus lib. I. *αἱμασιὴ πλινθέων ὀπτέων.* Quem Herodoti locum reſpexit Suidas, cum ait, *αἱμασιά. τὸ ἐκ χαλίκων ᾠκοδομημένον τειχίον ἄνευ πηλοῦ παρ'*

Ἡροδό-

ɔδότῳ. ἥν τινες ἄρπεζον. Ita legendum, non ταζον. Demoſthenes Oratione contra Calli-m: διὸ δὴ ταῦθ' ὁ πατὴρ ὁρῶν, τὴν αἱμασιὰν ριωκοδόμησε ταύτην. Et poſtea: καὶ γὰρ τὰ δρα πεφύτευται πρότερον, ἢ τὸν πατέρα περιοι-δομῆσαι τὴν αἱμασιάν. Quibus in locis De-ɔſthenis, male quoque *ſepem* reddidit Interpres eronymus Wolfius. Etiam Nicander eam cem ea notione uſurpavit, teſte Etymologo, in ιασιά: τὰς σωροὺς τῶν λίθων, ὡς παρὰ Νικάν-ῳ, Τροχοὶ μάλα θ' αἱμασιά τε, καὶ ἰλύος ἐρέον-;. Legendum apud Etymologum, ex Nicandro o in Theriacis, verſu 142.

Τρόχμαλα θ', αἱμασιάς τε, καὶ εἰλυοὺς ἐρέοντες. holiaſtes ad hunc locum: Τρόχμαλα· οἱ αχεῖς τόποι, καὶ πετρώδεις, ἢ αἱ τρίβοι, καὶ ἴχνη, ἢ τὰ εἰκαῖα τῶν ἀγρῶν τειχεῖα. Atque ıc ſpectat, quod ait Euſtathius ad Iliados x. pag. 59. 33. λέγονται δὲ αἱ τοιαῦται χειαὶ τῶν ὄφεων, ἡ εἰλυοί, καὶ τρόχμαλοι, καὶ αἱμασιαί. Et ıod Heſychius: Τρόχμαλον. τὸ πλῆθος τῶν θων, καὶ τὸν σωρόν. His veterum Auctorum ſtimoniis addenda Lexicographorum veterum ſtimonia. Heſychius: αἱμασιά. τὸ ἐκ πόλ-ων λίθων λογάδων ἄθροισμα. Et deinde: Ierodoti ſupra memoratum locum, ut puto, ſpiciens) αἱμασιαί. ὡς φραγμοὶ πλατεῖς, ἀπὸ λίνθου θριγκώδεις. Etiam Vetus Lexicon . Stephani: Τρόχμαλος. ἡ ἐκ στρογγύλων λί-ων αἱμασιά, ἡ περιῳκοδομημένη τοῖς χωρίοις.

Ex ſuperioribus abunde, ni fallor, vocem *αἱμασιὰ* pro maceria veteres accepiſſe probavimus. Nunc eam pro ſepe nusquam eos accepiſſe nobis oſtendendum. Qui ejus vocis eo in ſignificatu meminerit, præter Orionem, Suidam, Theocriti Scholiaſten, & Euſtathium, (Scriptores recentiores) neminem reperio. Orionis verba habes apud Etymologum: *αἱμασιά. τὸ ἐκ χαλίκων* (ita legendum, non *χαλήκων*) *ᾠκοδομημένον τειχίον, ἤγουν φραγμός. ἀπὸ τοῦ αἱμάττεσθαι τοὺς ὑπερβαίνοντας ὑπὸ τῶν κειμένων ἀκανθῶν.* Suidæ, hæc ſunt: *αἱμασιαῖς. τοῖς φραγμοῖς, κυρίως τοῖς ἠκανθωμένοις.* Scholiaſtæ Theocriti locus ſic ſe habet, ad hunc verſum, ex Idyllio I.

Τὰν ὀλίγος τις κῶρος ἐφ' αἱμασιαῖσι φυλάσσει. παρ' ὅσον. inquit, *πλήρεις αἵματος γίνονται, οἱ εἰσερχόμενοι ἐπ' αὐταῖς, διὰ τὸ ἀκανθώδεις αὐτὰς εἶναι.* Ad Euſtathium quod attinet, ita ille ad Iliados λ. pag. 883. 50. *Σημείωσαι δὲ, ὅτι ὥσπερ τὸ αὐλῆς χόρτος ἐκ τῆς παλαιᾶς χρήσεως ἐλαλήθη οὕτω, καὶ αἱμασιὰ πάλαι μὲν δοκεῖ ἐξ ἀκανθῶν εἶναι. δι' ὧν αἱμάσσεται χεὶρ· ὕστερον δὲ, καὶ τὸ ἁπλῶς ἐκ χαλίκων τειχίον, αἱμασιὰ ἐλέγετο.* Dicit *αἱμασιὰς* ex ſpinis olim fuiſſe conſtructas, poſtea vero ex lapidibus: ſed dubitanter id dicit: *πάλαι μὲν δοκεῖ ἐξ ἀκανθῶν εἶναι.* Immo vero, ex lapidibus *αἱμασιαὶ* primum fuere, deinde ex ſpinis: ſi tamen ex ſpinis umquam fuere: de quo ſane valde dubito. *αἱμασιὰς* ex lapidibus fuiſſe, pluribus a nobis proba-

tum

tum eſt. Sed jam id ipſum ipſius Euſtathii, qui id negat, teſtimonio probabimus. Sequitur apud eumdem: *Φασὶ γοῦν οἱ παλαιοὶ, ὅτι αἱμασιὰ ἐκ χαλίκων οἰκοδόμημα, τειχίον, θριγκὸς, καὶ ἕτερα τοιαῦτα.* Idem ad Odyſſ. ω. pag. 1959. verſu 40. *αἱμασιὰ δὲ, κατὰ τὴν Ποιητοῦ ἑρμηνείαν. ἀλωῆς ἕρκος. ἴσως μὲν, ὡς προσδηλώθη* (nota & hic verba dubitantis) *ἐξ ἀκανθῶν οὖσά ποτε. ὧν εἶδος καὶ αἱ βάτοι, ἃς ὁ γέρων διαχειρίζεται· καὶ κληθεῖσα παρὰ τὸ αἱμάσσειν τοὺς κατεπιχειροῦντας· οἱ μέν τοι παλαιοὶ, αἱμασιάς φασι τὰ ἐκ λεπτῶν λίθων ἐκτισμένα τειχίδια.* Et ad Odyſſ. Σ. pag. 1851. verſu 13. *αἱμασιὰ δὲ, κατὰ τοὺς παλαιοὺς, τειχίον ἐκ χαλίκων, ὅμοιον φραγμοῦ καὶ ἄλλως δὲ κατὰ τοὺς αὐτοὺς, ἐκ χαλίκων οἰκοδομὴ, τειχίον, θριγκός. Αἴλιος δὲ Διονύσιος εἰπὼν καὶ αὐτὸς, ὅτι αἱμασιὰ τὸ ἀπὸ χαλίκων τειχίον ἐπάγει· ἣν τινες καὶ ἍΡΠΕΖΟΝ, ὡς καὶ Ἴωνες. δηλοῖ δὲ, φησὶ, τοῦτο καὶ Ηρόδοτος. ἀλλαχοῦ δὲ φέρεται, καὶ ὅτι αἱμασιὰν Ἀττικοὶ καὶ Ἴωνες τὸ τειχίον φασί· τὸ δὲ ἔδαφος αὐτὸ Δωριέας οἶμαι καλεῖν. καὶ ὅτι ΑἹΜΟΥΣ, τοὺς ΔΡΌΜΟΥΣ Αἰσχύλος λέγει. ἴσως φασὶν ἀπὸ τοῦ αὐτοῦ, ἀφ' οὗ ἡ αἱμασιὰ κέκληται, χρῆσις δὲ τῆς λέξεως καὶ παρ' Ηροδότῳ, ἐν τῷ; Αἱμασιὰν περιέβαλλον κυκλοτερῆ, ὕψος ἀνήκουσαν ἀνδρὶ ἐς ὀμφαλόν· ἣν δὲ περιῳκοδομημένη. ὁ δὲ Θρᾳκικὸς Παραφραστὴς λίθους ἡρμήνευσε τὰς αἱμασιὰς, εἰπὼν, φυτεύων, καὶ τοὺς λίθους ἐκλέγων. ἰστέον δὲ, καὶ ὅτι δοκεῖ* (etiam dubitanter hoc dicit) *ἐξ ἀκανθῶν ποτε ἡ αἱμασιὰ*

οὖσα

ὄσα, ἐκεῖθεν χεῖν τοὔνομα, παρὰ τὸ αἱμάσσειν. καὶ παρέμεινεν ἡ κλῆσις ἐκείνη καὶ ὕστερον τοῖς ἐκ χαλίκων κτίσμασι καθὰ στὴν ἄλλαις πολλαῖς ὁμοιότησι καὶ τοῖς βιβλίοις ὁ πύξος ἐνέμεινε, διὰ τὸ πάλαι ποτὲ πυξία κυρίως αὐτὰ εἶναι· καὶ τῇ τοῦ τόξου δὲ νευρᾷ, διὰ τὴν ἐκ νεύρων πάλαι ποτὲ χρῆσιν ἡ κλῆσις ἔνεστιν. ἔτι ἰστέον, καὶ ὅτι ἐν τῷ, περιθέει αἱμασιὰ ἐγγεγλυμμένη τύποις, οὐ μόνον οὐκ ἐξ ἀκανθῶν ὕστερον ἡ αἱμασιὰ, ἀλλ᾽ οὐδὲ ἀπὸ χαλίκων· λογάδων δέ τινων ὡς εἰκὸς λίθων ποιούντων γλύφεσθαι. Euſtathio impoſuit falſa Orionis & Scholiaſtæ Theocriti ſententia: qui cum *αἱμασιὰν* dictam eſſe ab *αἷμα αἵματος*, quæ vox *ſanguinem* notat, exiſtimarent; exiſtimarunt & de ſepe accipi poſſe: quia ſcilicet digitos aculeis pungens, eos ſanguine perfundat. Sed ut recte vidit Salmaſius loco laudato, falſa eſt hæc etymologia. Non verior, quam profert Heſychius, *ἀπὸ τοῦ οἷον ἀβασία, ἐφ᾽ ἣν οὐκ ἔστιν ἐμβῆναι*; nec ea, quæ in Scaligeranis prioribus Scaligero tribuitur, ut ſit *αἱμασιὰ* vox Ebræa. Dictam eſſe *αἱμασιὰν* ab *αἷμος*, quod, teſte Salmaſio, (nam fides ſit penes eum) veteri lingua Græca *via* eſt, vel *curſus*; quia ad viam poſitis agris ſepimentum præſtet, eosque a viantibus defendat, ipſe Salmaſius exiſtimabat. Ego ab *αἷμα*, inuſitato, idem ſignificante ac *ἅμα*, hoc eſt, *ſimul*, unde *αἷμος*, quod veteri lingua Græca videtur ſignificaſſe *denſum*. Nam pro ſaltu, fruticibus denſo, apud Æſchylum, teſte Heſychio, poſitum

tum fuit. Heſychii verba ſunt: *αἱμοί. δρυμοί. Αἰσχύλος Αἰτναίαις.* Ita legendum, non *αἱμοί-δρυμοι.* Obiter emendabimus & Euſtathium, loco memorato: *καὶ ὅτι* ΑἽΜΟΤΣ τοὺς ΔΡΌΜΟΤΣ *Αἰσχύλος λέγει.* Scripſerat Euſtathius *τοὺς δρυμοὺς*: & eumdem, ac Heſychius; Æſchyli locum reſpexerat. Inde & *Hæmus*, mons: a denſis fruticibus videlicet: & *αἱμὸς*, *collum*, (hujus ſignificationis meminit Heſychius) a denſitate pilorum; *αἷμος* autem pro *loco fruticibus denſo*, & *ἀπὸ τοῦ ἅμα*; quod eſt *ſimul*; factum videtur: pro pro *ἅιμα* dictum olim fuiſſe veroſimile eſt: quemadmodum *αἰεὶ* pro *ἀεὶ*, & *αἰετὸς* pro *ἀετὸς*, etiamnum dicitur. Similiter *θάμνος*; quod etiam *locum fruticibus denſum*, aut *denſitatem minutarum arborum* ſignificat; eſt ab *ἅμα*, *ἅμα*, *θάμα*, *θαμινὸς*, ΘΆΜΝΟΣ. Præponitur theta, propter aſpirationem: ut in *θάλασσα*, ab *ἅλς*, *ἅλς*, *ἁλὸς*, *ἅλα*, *ἅλασσα*, ΘΆΛΑΣΣΑ. Ab eodem *ἅμα*, eſt *ἀμνὸς*, *agnus*, *ἅμα*, *ἅμα*, *ἀμινὸς*, *ἀμνός*. Et *ψάμμος*, *arena*; *ἅμα*, *ἅμος*, & Æolice *ἅμμος*, ΨΆΜΜΟΣ. Iſaacius Tzetzes ad Lycophronis Alexandram, p. 160. *ψάμος καὶ ἅμος δι' ἑνὸς Μ γραπτέον. Αἰολικῶς δὲ, διὰ δυό.* Porro vox *αἱμασιὰ* ita formata videtur: *ἅμα*, *αἷμα*, *αἷμος*, *αἷμα*, *αἵμασος*, *αἱμάσιος*, ΑἹΜΑΣΙΆ. Hæc ſcripſeram, cum mihi in mentem venit, ex recitatis Euſtathii verbis, *καὶ ὅτι* ΑἽΜΟΤΣ τοὺς ΔΡΌΜΟΤΣ *Αἰσχύλος λέγει*, exiſtimaſſe Salmaſium, *αἷμον* veteri lingua Græca *viam*

viam eſſe, vel *curſum.* Sed in Euſtathii verbis legendum, ut dixi, ὀρυμὸς, docet Heſychii locus allatus.

CAPUT XXXIV.

Rei in Judicio ad latus ſiniſtrum apud Colchos: ad dextrum apud Græcos.

FAvorabiliores Rei potius quam Actores habentur, l. 125. de Regulis Juris. In eorum gratiam pœnæ molliuntur, l. 42. de Pœnis. In pœnalibus cauſis benignius interpretandum eſt, lege 155. de Regulis Juris. Duæ horæ Accuſatori, tres Reo dabantur, ut eſt apud Aſconium Pedianum in Argumento Orationis pro Milone. Si videbatur Judicibus bona cauſa, ſtatim abſolvebatur Reus: ſi mala, non ſtatim damnabatur: quod *ampliare* vocabant. Teſtatur idem Aſconius in Orationem in Verrem de Præfectura Urbis. Id quod etiam ex Oratione Ciceronis pro Cæcina intelligitur. Cum pares eſſent calculi, Reus abſolvebatur, ut præter alios teſtificatur ſectione 29. Auctor Problematum, quæ Ariſtoteli tribuuntur: ubi & ejus conſuetudinis plures rationes adducit. Atque id primum; hoc ut obiter dicam; in cauſa Oreſtis ſtatutum apud Athenienſes fuiſſe, diſcimus ex Euripide in Iphigenia Taurica, & in Electra: & ex Ariſtide in Oratione in Minervam: & ex Juliano Imperatore in Panegyrico poſteriori. Quin & apud nos, in pleriſque Galliæ Tribunalibus, Reus abſolvitur, etiamſi calculi qui damnant, calculos

qui

qui abſolvunt, uno excedant. Dixi, in plerisque Galliæ Tribunalibus: nam in Senatu Gratianopolitano, tunc etiam damnatur Reus. In Toloſano, nec damnatur, nec abſolvitur: tunc enim ſententiæ pares fuiſſe exiſtimantur. Hæc cum ita ſint, mirum profecto videri poſſit, cur Reis, in Judicio, latus ſiniſtrum, quod minus honorificum, concederetur. Hoc enim latus Reis in Judicio conceſſum docet Agathias, Hiſtoriæ Juſtiniani libro IV. non longe ab initio. Ejus hæc ſunt verba, de Ruſtico & Johanne, de cæde Gubazæ, Lazorum Regis, apud Athanaſium, Romanum Judicem, a Colchorum gente in Colchide accuſatis. τότε δὲ Ῥούστικός τε, καὶ Ιωάννης, ἐκ τοῦ δεσμωτηρίου ἠγμένοι, ἀνὰ τὸ λαιὸν μέρος ἑστήκατον, οἷα δὴ φεύγοντε. ἐπὶ θάτερα δὲ παρῆσαν κατηγορησείοντες. *Tum vero Ruſticus & Johannes e carcere producti, ad ſiniſtram partem ſunt conſtituti: utpote Rei. Ex adverſo ſtabant Actores, qui eos criminaturi erant.* Sed cur Accuſatoribus delatus hic honos? An quia prior locus dandus iis in Judicio, qui priores dicunt in Judicio? Unde in majori Senatus Pariſienſis Tribunali, quod *Magnam Cameram* vocant, qui priores dicunt, ſtant a dextra Judicum: nam quod ab ea parte ſtent ſemper, qui pro Paribus Franciæ dicunt, id Paribus Franciæ peculiari quodam privilegio conceſſum eſt. An quia Accuſator inferenti ictus ſimilis eſt, qui dextra inferri ſolent? Reus vero ictus depellentis vices agit, qui ſiniſtra fere depelluntur. Unde Marcus Tullius, refe-

referente Quintiliano lib. VI. Inſtitutionum Oratoriarum cap. 3. Marcum Cœlium, melius objicientem crimina quam defendentem, bonam dextram, malam ſiniſtram habere dicebat. Sed fruſtra in hunc Colchorum, nationis barbaræ & imperitæ, morem: hoc enim ex fori Colchici conſuetudine factum videtur. Fruſtra, inquam, in hunc nationis barbaræ & imperitæ morem, tanquam in regulam, anxie & ſollicite inquirimus: cum apud Græcos; gentem humaniſſimam & ſapientiſſimam; contrarium fieri conſueverit. Scilicet in Græcis Tribunalibus dextrum latus Reis dari ſolere teſtificatur clare Auctor Problematum, dicta ſectione XXIX. ubi & ejus rei rationem reddere conatur. Verba ejus hæc ſunt: *Διὰ τί ποτε τῷ Φεύγοντι ἐν τῷ δικαστηρίῳ τὴν δεξιὰν στάσιν διδόασιν; Ἤ, διότι ἐπανισοῦν βούλονται; πλεονεκτοῦντος οὖν τοῦ διώκοντος, τὴν στάσιν τῷ Φεύγοντι διδόασιν. εἶθ' ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ οἱ Φεύγοντες παραφυλάττονται. ἐπὶ δεξιὰ δὲ ἡ Φυλακὴ γίνεται, ἐὰν ὁ Φεύγων ἔχῃ τὴν ἐν δεξιᾷ στάσιν. Quam ob cauſam Reo dexter apud Judicem locus datur? An ut ratio compenſandi habeatur? Cum igitur res faciat Accuſatorem ſuperiorem Reo, ſtatus conceditur melior, ut ſe poſſit adverſario æquare. Tum etiam Reus magna ex parte cavere conſuevit: quod melius facere ita poſſit, ſi dextrum locum obtineat.* Suſpicari tamen quis poſſit, ſiniſtrum locum apud Colchos honorificentiorem fuiſſe. Nam etiam apud Romanos hono-

honorificentiorem nonnunquam fuiſſe, probat Bellarminus libro I. de Summo Pontifice cap. 27. & Baronius ad annum 213. & 325.

CAPUT XXXV.

Qui ſint Medici & Presbyteri Περιοδευταί. *De Medicorum immunitatibus. De Medicis quædam non vulgaria.*

MEdicos a tutela, & ceteris muneribus civilibus excuſari, ſcripſit Modeſtinus in lege 6. de Excuſationibus Tutorum: ſed eos ſolum qui Περιοδευταὶ vocantur. Ita Magnum (nomen eſt Medici) cognominatum legimus apud Galenum libro v. de Compoſitione Medicamentorum ſecundum locos, ubi de variis medicamentorum generibus: Λευκὴ, ΥΔΑΤΊΝΗ λεγομένη. ταύτῃ Μάγνος ὁ Περιοδευτὴς ἐχρήσατο, μετὰ τὴν τῶν λειχήνων ἐκδωρὰν. Quæritur, qui ſint illi Περιοδευταὶ Medici. *Circuitores* vertit vetus Modeſtini Interpres: quo nomine *barbarus* ab Antonio Auguſtino, Juriſconſulto ſane terſo atque eleganti, ad locum Modeſtini memoratum, appellatur. Hanc interpretationem ſequitur tamen Cujacius ad eundem locum: eamque laudat Savaro ad Apollinarem Sidonium libro I. epiſtola 8. Quin & eos reprehendit Cujacius, qui Περιοδευτὰς, *Circumſomneos* ibi interpretantur:

Antonium Auguſtinum innuens, qui hanc vocem dicto loco ſic verterat: Quod rectum eſſet, inquit, ſi ſcriptum fuiſſet Περιαγοραῖοι. Addit vir præſtantiſſimus, *Circumforaneorum* appellationem vilitatem ſapere. Tamen Antonius Auguſtinus ſuam illam interpretationem hoc Ciceronis in Cluentiana teſtimonio tuebatur: *Tum repente Anconitanum quemdam L. Clodium, Pharmacopolam circumforaneum, qui caſu tum Larinum veniſſet, aggreditur, &c. L. Clodius; qui properaret: cui fora multa reſtarent.* Sed & eam tueri poſſumus hoc Lucii Primigenii, Medici Περιοδευτῦ, Epitaphio, quod ad epiſtolam 12. libri 2. Epiſtolarum Apollinaris Sidonii protulit Sirmondus: quodque Iguvii apud Umbros, biennio ante quam in Sidonium ipſe ſcriberet, effoſſam fuiſſe dicit:

Ortus ab Iguvio Medicus, fora multa ſequutus,
Arte feror nota, nobiliore fide.

Sed & Sirmondus, Scriptor accuratiſſimus, Περιοδευτὴν, *Circumforaneum*, ad dictam Apollinaris epiſtolam, interpretatur. Nec magis *circumforaneus*, quam *circuitor* vilitatem ſapit: quod volebat Cujacius. Teſtantur Veteres Gloſſæ, in quibus *Circuitores*, ἀγύρται exponuntur. Igitur Περιοδευτὰς, *Circumforaneos* Latine non incommode appellaveris. Et *Circuitores*; a circum eundo. Gloſſæ Veteres: *Circuitus.* Περίοδος. *Circuitio.* Περίοδος. Sed & recte *Circitores* eos

eos dixeris: quo modo Περιοδευτὰς in loco Modeſtini exponendos præcipit Burdelotus ad Petronii Satyricon, pagina 226. Gloſſarium Vetus: *Circitor.* Περιοδευτής. Quod de Medico dici poſſe, docent Excerpta ex Veteri Lexico Græco-Latino: in quibus, capite de Medicina, *Circitura* περιοδία exponitur. Similiter περιϊόντες dicuntur Medici Xenophonti: hoc eſt, *circumeuntes.* Locus eſt in Oeconomico: ὅμοιος ἂν μοι δοκῶ εἶναι τῷ περιϊόντι ἰατρῷ, καὶ ἐπισκοποῦντι τοὺς κάμνοντας. *Similis mihi videor eſſe Medico circumeunti, qui ægros inviſit.* Hæc poſtrema verba, καὶ ἐπισκοποῦντι τοὺς κάμνοντας, admonent me, ut hic obiter obſervem, Salmaſium, quod *ægri* ἐπισκοπὴν de Medici ad ægrum itione dixiſſet, male ab Heraldo capite 20. libri quinti Animadverſionum in Salmaſium, reprehendi. Pergamus. περιτρέχειν; quod idem ac περιοδεύειν, & περιιέναι, de Medicis uſurpavit quoque Galenus Commentario in ſextum Epidemiorum Hippocratis ſecundo. οἱ ὁσημέραι, inquit, περιτρέχουσι ἐν ταῖς πόλεσι, ἀλόγῳ τριβῇ μόνῃ χρώμενοι. *Qui quotidie circumcurſant in urbibus, tritura ſola irrationali utentes. Perambulare ægros*, dixit Seneca libro de Beneficiis ſecundo, capite decimo ſexto. *Itaque Medico, qui nihil amplius quam manum tangit, & me inter eos quos perambulat, ſine ullo affectu; facienda, vitandave præcipiens; nihil amplius debeo.* Ita Judæi περιερχόμενοι in Actibus Apoſtolorum cap. XIX. 13. ἐπεχείρησαν δέ τινες καὶ

ἀπὸ τῶν περιερχομένων Ἰουδαίων ἐξορκιςῶν, ὀνομάζειν ἐπὶ τοὺς ἔχοντας τὰ πνεύματα τὰ πονηρὰ, τὸ ὄνομα τοῦ κυρίου Ἰησοῦ. Tentaverunt autem quidam & de circumeuntibus Judæis Exorciſtis, invocare ſuper eos, qui habebant ſpiritus malos, nomen Domini Jeſu. Similiter Presbyteri περιοδευταὶ in lege 42. quæ eſt Juſtiniani, §. 9. Cod. de Epiſcopis & Clericis. *Θεσπίζομεν, κατὰ τοῖς θείοις διώριςαι κανόσι, μήτε Ἐπίσκοπον, μήτε Περιοδευτὴν, μήτε Πρεσβύτερον, μήτε ἄλλον οἱασδήποτε ἀξίας Κληρικὸν, ἐπιδόσει χειροτονεῖσθαι. Preterea ſancimus, quemadmodum & divinis Canonibus definitum eſt, ne quis Epiſcopus, aut Chorepiſcopus, aut Periodeuta, aut Presbyter, aut alius cujuscumque dignitatis Clericus, per largitionem ordinetur.* Et deinde: *εἰ δὴ* Οἰκονόμος, Ἐκκλησιέκδικος, *ἢ* Χωρεπίσκοπος, *ἢ* Περιοδευτὴς, *ἢ* Ξενοδόχος, *ἢ* Νοσοκόμος, &c. *Si vero Oeconomus; Defenſor Eccleſiæ; vel Chorepiſcopus; vel Periodevta; vel Xenodochus; vel Noſocomus.* Et in Concilio Laodiceno, canone 57. *ὅτι, οὐ δεῖ ἐν ταῖς κώμαις, καὶ ἐν ταῖς χώραις, καθίςασθαι Ἐπισκόπους, ἀλλὰ περιοδευτάς. Viſitatores* vertit vetus Interpres. *Quod non oportet in vicis & regionibus Epiſcopos conſtitui, ſed Viſitatores.* Qua voce uſum & Gregorium Primum libro 3. Epiſtolarum, epiſtola 2. ad Maximianum, Syracuſanum Epiſcopum, & Johannem Secundum, epiſtola 3. ad Epiſcopos Galliæ, Chriſtophorus Juſtellus in Notis ad Codicem Canonum obſervabat. *Circitores*, aut *Luſtrato-*

ſtratores, verti poſſe dicit Petavius ad Epiphanium. Etiam Meurſius in Gloſſario. Περιοδευτής, inquit, *Luſtrator*, *Circitor*. *Ita vocabatur, cujus munus eſſet circumire per omnes univerſæ regionis Eccleſias*, & *inquirere de illarum ſtatu*. Qua in ſententia video fuiſſe & Cujacium ad ſupra memoratam legem Modeſtini. Verba ejus ſunt: Περιοδευτὴς *autem certo loco deputatus non eſt, ſed hac illac circumit, & ubique implet abſentis Epiſcopi vicem.* Similia habet & in Paratitlo ad Titulum Codicis Juſtinianei de Epiſcopis & Clericis; *Fit & mentio eorum qui* Περιοδευταὶ *dicuntur;* ἐκ τοῦ περιέρχεσθαι, καὶ καταρτίζειν τὰς πιστούς, *ut Zonaras ait. Qui & in locum Epiſcoporum ad tempus remotorum, ſubſtitui ſolent. Johannes in Epiſtola ad Epiſcopos Galliæ, de Contumelioſo, Epiſcopo:* Ne ejus Eccleſia deſtituta videatur, in ejus locum Viſitatorem dari decernimus: qui a ſe noverit omnia exhibenda; ut nihil de ordinibus Clericorum; nihil de Eccleſiaſtica facultate præſumat: ſed ea quæ ad ſacroſancta myſteria pertineant, exequatur. *Et ad Clerum Eccleſiæ, in qua fuit Contumelioſus, Epiſcopus:* In ejus Eccleſia Viſitatorem dari noſtra decrevit auctoritas, ut Eccleſia privata Præſule, Summi nequeat Pontificis ſolatiis indigere: cui vos in omnibus parere decernimus, ad ea tantummodo quæ ſacris ſunt gerenda myſteriis. Tamen, Dionyſius Gothofredus ad dictam Juſtiniani Conſtitutionem Græcam, hæc ſcripſit: *Idem fuiſſe videtur*

tur Χωρεπίσκοπος & Περιοδευτής. Immo & ſummus vir Petrus de Marca, Archiepiſcopus Pariſienſis, libro 2. de Concordia Sacerdotii & Imperii cap. 13. Chorepiſcopos & Periodeutas eosdem eſſe conſtanter aſſerebat. *Conſtanter*, inquit, *aſſerere audeo, eumdem eſſe Chorepiſcopum & Περιοδευτήν. Uterque in agris inſtituitur, ut ruſticanas parœcias viſitet: unde* Περιοδευτȣ̃ *nomen. Ne quis ſcilicet exiſtimaret vico alicui ſic addictum, ut in alias curas aſſurgere non posſet. Quo ſenſu accipiendus eſt Zonaras, cum adnotat Circuitores iſtos & Luſtratores hac & illac circumcurſare ad Fidelium ſalutem:* καθέδραν οἰκείαν μὴ ἔχοντας. *id eſt, nulli ſedi adſcriptos: quia ſcilicet ex ſe Chorepiſcopi munus nulli vico ſpecialiter addicit, cum in generali aliquo miniſterio verſetur. Niſi aliter viſum fuerit Epiſcopo, qui Periodeutam alicui Eccleſiæ vicanæ adſcribere poteſt, collato & adjuncto munere ceteras viſitandi. Quæ videtur mens fuiſſe Synodi Laodicenæ: cum ante, Chorepiſcopi miniſterium Clero civitatis adſcriptum potius videretur, quam vicanæ alicui Eccleſiæ affixum. Nova appellatio Periodeutarum a Synodo Laodicena profecta, quæ Chorepiſcopi nomen ad comprimendos miniſtros illos averſata videtur, in Oriente obtinuit. Unde Act. 4. Concilii Chalcedonenſis ſit mentio Alexandri Presbyteri & Periodeutæ. Et Act. 10. Valentini, qui Presbyter erat, & Periodeutæ.* In eadem ſententia fuit & magnus ille Salmaſius, in libro de Pri-

Primatu Papæ. Verba ejus ipſa ponemus: maxime, cum in his de Medicis noſtris Periodeutis mentio fiat. Χωρεπίσκοποι, inquit, *dicti fuere non regionum, aut parœciarum Epiſcopi; (ut vulgo ſibi perſuadent)* τῆς χώρας Ἐπίσκοποι: *ſed* τῶν χωρῶν, *villarum, vel vicorum, ut recte interpretatur Dionyſius Exiguus in Canone 10. Antiocheno: qui in vicis vel poſſeſſionibus Chorepiſcopi nominantur. Ex quibus conſtat eum legiſſe in Græcis,* τὺς ἐν ταῖς χώραις, ἢ κώμαις, καλȣμένȣς Χωρεπισκόπȣς. *Nam* χώρα *etiam pro villa accipitur Græcis. Poſtea, ne vileſceret honor & dignitas, nomenque Epiſcopi in iſtis Vicanis Presbyteris, ſtatutum eſt, ne vocarentur* Ἐπίσκοποι χωρῶν, *vel* Χωρεπίσκοποι, *ſed* Περιοδευταὶ: *id eſt,* Curatores. *Ita enim ſanxit Canon 57. Concilii Laodiceni:* Ὅτι, ȣ̓ δεῖ ἐν ταῖς κώμαις, ἢ ἐν ταῖς χώραις καθίςαϑαι Ἐπισκόπȣς, ἀλλὰ Περιοδευτάς. *Verbum* περιοδεύειν *illo ævo proprium fuit Medicorum, qui morbos curabant. Nam quacumque ratione aut methodo morbus aliquis curaretur, dicebatur* περιοδεύεϑαι. *Hinc* περιοδευτὴς *eſt* Curator. *Hoc nomen usque hodie apud nos retinent, dum* Curati *vocantur. Nam hæc vocabula ſic formata, in ultima Latinitate eam habuere ſignificationem: ut* Explorati, *pro* Exploratoribus; Speculati, pro Speculatoribus: *& alia, quæ alibi adnotavimus. Ergo &* Curati *ſunt* Curatores; οἱ Περιοδευταὶ: *qui olim Chorepiſcopi. Nam &* ἐπισκοπεῖν *etiam Medici ægros ſuos olim dicebantur, dum eos viſitabant*

bant ac curabant. Nec male iſtos Περιοδευ]ὰς *Dionyſius Exiguus vertit* Viſitatores. *Non autem ſic appellati, quod de loco in locum tranſirent, & omnem regionem perambularent: ſed unius vici Præpoſiti; cui & erant affixi, haud minus quam Epiſcopus urbi cui præſidebat; ita appellati ſunt, ut pluribus in libro de Ordine Eccleſiaſtico docuimus.* Falſa eſt omnino hæc Presbyteri τοῦ Περιοδευτοῦ originatio. Ita dictum conſtat a circumeundo. Zonaras ad memoratum Canonem Concilii Laodiceni: Περιοδευταὶ λέγονται, διὰ τὸ περιέρχεσθαι, καὶ καταρτίζειν τοὺς πιστοὺς, μὴ ἔχοντες καθέδραν οἰκείαν. PERIODEUTÆ *dicuntur, quod circumeant; & inſtruant Fideles; nec habeant propriam Cathedram.* Balſamo ibidem: Περιοδευ]αὶ δέ εἰσιν, οἱ σήμερον προβαλλόμενοι παρὰ τῶν Ἐπισκόπων ἔξαρχοι. οὗτοι γὰρ περιοδεύουσι, καὶ ἐπιτηροῦσι τὰ ψυχικὰ σφάλματα, καὶ καταρτίζουσι τοὺς πιστούς. *Periodeutæ ſunt, qui hodie ab Epiſcopis promoventur, Exarchi. Hi enim circumcurſant; & delicta animæ obſervant, & Fideles inſtruunt.* Epitomator libri de Hæreſibus, cap. 2. ubi de Appellitarum hæreſi: *Hos Origenes ita perfecte ſuperavit, ut eorum cauſſa Periodeutes fieret, & per ſingulas quaſque urbes, per Orientem eundo, prædicaret.* Codinus de Officiis Conſtantinopolitanis, capite I. Ὁ ΠΕΡΙΟΔΕΥΤΗΣ. περιπατῶν, καὶ παιδευόμενος τοὺς θέλοντας βαπτισθῆναι τῇ ὀρθοδόξῳ πίστει. CIRCITOR. *Qui circumambulat, & in orthodoxa Fide*

Fide baptizari cupientes inſtruit. Sed & diverſos fuiſſe Chorepiſcopos a Periodeutis, contra quam quod exiſtimarunt Gothofredus, de Marca & Salmaſius, nulla dubitatio eſt: ut patet ex dicta Conſtitutione Græca Juſtiniani, & ex dicto Canone Concilii Laodiceni: in quibus locis a Periodeutis Chorepiſcopi manifeſte diſtinguuntur: μήτε Ἐπίσκοπον, μήτε Χωρεπίσκοπον, μήτε Περιοδευτὴν, &c. ἢ Χωρεπίσκοπος, ἢ Περιοδευτής, ἢ Νοσοκόμος, &c. Οὐ δεῖ ἐν ταῖς κώμαις καθίςαϑαι τοὺς Ἐπισκόπους, ἀλλὰ Περιοδευτάς. Adde locum Gennadii in Encyclio, laudatum a Meurſio: ἴσϑι τοίνυν τὰ πάντα θεοσεβέςατε, πάντα τὸν ὄντινα οὖν ἁλισκόμενον ἐπὶ τοιούτῳ τινὶ Ἐπίσκοπον, ἢ Χωρεπίσκοπον, ἢ Περιοδευτὴν, ἢ Πρεσβύτερον, ἢ Διάκονον. Adde & quæ contra Salmaſii ſententiam docte diſputant, doctiſſimi viri, Johannes Dartiſius in Notis & Obſervationibus ad librum Salmaſii de Primatu Papæ, & Carolus Fabrotus in Enarratione ad Paratitlum Cujacii de Epiſcopis & Clericis. Videntur tamen; vere ut dicam; Presbyteri illi Περιοδευταὶ; quorum munus fuit ruſticanas parœcias luſtrare, atque inviſere: locum quemdam certum cum aliqua jurisdictione habuiſſe, in quem, poſt ſuas περιόδους, ſe reciperent. Id ſuadent hæc Theodoriti, Religioſæ Hiſtoriæ cap. 26. πείθει τὸν θαυμάσιον Βάσσον, ὃς τηνικαῦτα πολλὰς περιώδευσε κώμας, τοῖς κατὰ κώμην ἱερεῦσιν ἐπιςατῶν &c. ὑπεραγαϑεὶς τοίνυν ὁ μέγας ἐκεῖνος Βάσσος, τὴν οἰκείαν ἀγέλην κατέλαβε, τὸ

μέγα τοῦτο διηγούμενος θαῦμα· πλείοσι γὰρ ἢ διακοσίοις θιασώταις ἐχρῆτο. Suadet itaque admirando Baſſo, qui tunc multos vicos circumibat, vicanis Præpoſitus Sacerdotibus, &c. Obſtupefactus magnus Baſſus, ad gregem ſuum rediit, magnum hoc narrans miraculum: Thiaſotas enim, ſive ſodales, habebat ſupra ducentos. Niſi dicamus, Baſſum illum Chorepiſcopum fuiſſe, certo cuidam loco addictum, & Periodeutam ad tempus abs ſuo factum Epiſcopo: conſtat enim ex loco Zonaræ recitato, Periodeutas propriam Cathedram non habuiſſe.

Atque hæc de Medici περιοδευτοῦ appellatione. Nunc de re videamus: utrum ſcilicet eos intellexerit Modeſtinus, qui per urbes varias, Medicinæ faciendæ cauſſa, hac illac, Circulatorum more, vagantur: an vero eos, qui in urbe aliqua certa, ut ægros inviſant, vicatim diſcurrunt. Magna utrobique ratio: tam enim qui per urbem aliquam, quam qui per urbes varias, ſanitatis hominibus reddendæ cauſſa, circumcurſant, rebus pupillaribus, ceteriſque civilibus muneribus, vacare non poſſunt: tametſi major ratio in iis qui per varias diſcurrunt urbes. Priori ſententiæ favere videtur, quod ait Hippocrates in Lege: *οὕτως ἀνὰ τὰς πόλιας φοιτοῦντας, μὴ λόγῳ μοῦνον, ἀλλὰ καὶ ἔργῳ ἰητροὺς νομίζεσθαι. Tandem per urbes ambulando, non ſermone, ſed & opere, Medicos haberi convenit.* Quin & ipſe Hippocrates, Cous, diſcendæ & faciendæ Medicinæ gratia, De-

lum

lum, Libyam, atque Scythiam peragravit, ut in libro de Aëre, Aquis & Locis, & in Prognoſticis ipſe teſtatur. Idem in libris Epidemiorum varias urbes commemorat, quas adierat Medicinæ faciendæ cauſſa. Galenus quoque, Pergamenus, Romæ, eadem de cauſſa, & in Ægypto fuit. Sed & Περιοδονῖκαι; quæ vox occurrit in Inſcriptione veteri apud Gruterum, & in Athleticis Inſcriptionibus, quas non ita pridem publici juris fecit doctiſſimus Octavius Falconierius; ſimiliter dicebantur, qui Pythia, Iſthmia, Nemea, Olympia, vicerant: a circuitu eorum ſpectaculorum: qua de re Feſtus in *periodos*. Sed tamen verius eſt, ut Περιοδευτὰς Medicos accipiamus, apud Modeſtinum, de Medicis, qui circumibant vicos certæ urbis. Immo de his accipiendi omnino. Nam diſerte ſcriptum eſt in inſtitutionibus Juſtinianeis, Titulo de Excuſationibus Tutorum vel Curatorum, Medicos ſolos, qui Romæ, aut in patria ſua, Medicinam faciunt, & intra numerum ſunt, a tutela & cura habere vacationem. Unde conſtat, Medicos qui per varias urbes diſcurrebant, immunitatem illam non habuiſſe. Similiter Profeſſores, qui in aliis civitatibus docebant, quam quæ erant ad Legalis ſcientiæ diſciplinam conſtitutæ, immunitatem non habebant. Obſervabis obiter, obſervare Cujacium Beryti docentes immunitatem non habuiſſe. Sed & vox περιόδȣ de Medicorum circuitione in certa aliqua urbe a Luciano in Nigrino uſurpatur. καὶ μεθ' ἡμέραν οἱ πλεῖο-

οἱ πλείονες αὐτῶν κατακλιθέντες, ἰατρεῖς παρέχουσι ἀφορμὰς περιόδων. *Et plerique ipſorum multum diem decumbentes, circumeundi occaſionem Medicis præbent.* Loquitur de divitibus, qui lautius cœnitant. Et ſic quoque hanc vocem apud Modeſtinum accepit Cujacius: ad differentiam Medicorum ſedentariorum, quos vocant, qui in domeſtico & umbratili otio, Medicinæ potius ſtudent, quam Medicinam faciunt: qui verbis tenus, & factis procul; ἄνευ τοῦ πράττειν. μέχρι τοῦ λέγειν. Medici ſunt: qui ἰατροὶ μὲν τῷ λόγῳ, ἄπειροι δὲ τῷ πράγματι; quod de Magno dixit Eunapius: & qui, ut diceret Hippocrates, λόγῳ, οὐκ ἔργῳ, ἰητροί. Hi ſunt, quos Galenus Commentario primo extremo in tertium Epidemiorum Hippocratis, λογιάτρους appellat: quos a λογικοῖς ἰατροῖς diverſos facit Henricus Stephanus. Λογίατρος, inquit ille in Theſauro Linguæ Græcæ, *verbis tenus Medicus: verbis tenus artem Medicinæ profitens. At λογικοὶ ἰατροὶ Medici, qui ratione & methodo propria morborum remedia inveſtigabant.* Quod poſtremum habuit ex Gorræi Definitionibus. Galenus tamen λογικοὺς ἰατροὺς de verbis tenus Medicis accepit, in Commentario tertio ad librum Hippocratis κατ᾽ ἰητρεῖον, ſive de Officina Medici: ubi de Interpretibus Hippocratis. ἔνιοι δὲ τῶν ἐξηγητῶν, οὐδ᾽ ἂν ἐθελήσωσι, τυχεῖν αὐτοῦ δύνανται. τῶν μὲν ἔργων τῆς τέχνης ἀπείρως ἔχοντες· ἐπὶ δὲ τὸ σοφιστικὸν εἶδος ἐκτρεπόμενοι, καὶ γεννηθέντες οἱ καλούμενοι

μενοι ΛΟΓΙΚΟῚ ἸΑΤΡΟΊ. *Aliqui vero ejus Interpretum, neque etiam ſi velint, aſſequi poſſunt eum ſcopum: utpote, qui nullam operum artis experientiam habent; ad morem Sophiſtarum abrepti, & facti verbis tenus Medici, ut vocant.* Igitur Medicis ſoliis, qui in patria ſua; & Romæ (quæ & habetur & eſt communis patria, ut ſcriptum eſt in lege 6. titulo de Excuſationibus) Medicinam exercent, immunitas conceditur. Sed neque iis conceditur, niſi intra numerum ſint: ut loquitur Juſtinianus dicto loco. Nam ex Epiſtola, ſive Oratione Antonini Pii, quæ habetur in dicta lege Modeſtini, quot in quaque civitate eſſe deberent Medici, conſtitutum erat. Scilicet in maximis; hoc eſt, matribus provinciarum; decem; in majoribus, ſeptem; in minoribus, quinque. *Medicorum autem intra numerum præfinitum conſtituendorum arbitrium, non Præſidi provinciæ commiſſum, ſed Ordini, & poſſeſſoribus cujusque civitatis: ut certi de probitate morum & peritia artis, eligant ipſi, quibus ſe liberosque ſuos, in ægritudine corporum committant*, inquit Ulpianus l. 1. de Decretis ab Ordine faciendis. At Romæ & Conſtantinopoli; quod belle Cujacius obſervabat; certus Medicorum numerus definitus non fuit: cum ex Conſtitutione Imperatorum Honorii & Theodoſii, l. 6. Cod. Theodoſiano de Profeſſoribus & Medicis, ſtatutum ſit, *univerſos qui in Sacro Palatio inter Archiatros militarunt, cum comitivam primi ordinis, vel ſecundi, adepti fuerint,*

aut

aut majoris gradum aſcenderint, nulla Senatoria vel glebali, collatione; nulla municipali, nulla Curialium conventione vexandos: ſeu adempta adminiſtratione, ſeu accepta, teſtimonialem meruerint miſſionem. Etiam Caſaubonus ad Lampridium in Alexandro Severo, loco infra memorando, Palatinorum Archiatrorum definitum aliquem fuiſſe numerum, ſe non inveniſſe ait. Sunt autem Archiatri, qui in comitatu Principis Medicinam faciunt: ut præter recitatam Honorii & Theodoſii Conſtitutionem, colligere eſt ex lege ſecunda Cod. Quibus non objicitur longi temporis præſcriptio. IMPERATORES DIOCLETIANUS ET MAXIMIANUS AA. ET CC. AURELIO ARCHIATRO. *Cum per abſentiam tuam eos de quibus quereris, in res juris tui irruiſſe adſeveres, teque ob medendi curam a comitatu noſtro diſcedere non poſſe, palam ſit, &c.* Non quidem ita dicti, quod eſſent ἀρχόντων ἰατροὶ; *Medici Principum;* ut vult Mercurialis Variarum Lectionum libro 4. cap. 1. & Caſaubonus ad Strabonem: hanc enim vocis formationem analogia non admittit: ſed quod ceteris præpoſiti. Quo ſenſu dicuntur *Architectus, Archigerontes, Archipirata, Archiſynagogus,* ἀρχιεραβδοῦχος; *princeps Lictorum; Archigubernus, Archiepiſcopus, Archipresbyter, Archidiaconus.* Erant olim in urbibus Scholæ Medicorum; quorum *Archiater* dictus, qui ceteris præſidebat. De his Scholis mentio in veteri Inſcriptione, Romæ reper-

reperta, quam profert Mercurialis loco memorato.

M. LIVIO. CELSO TABULARIO.
SCHOLÆ MEDICORUM.
M. LIVIUS EUTICHUS.
ARCHIATROS OLL. D. II.
INF. PED. IIII.

Cum vero Medici illi, qui ceteris præerant, ceteris præſtantiores haberentur; Medicorum præſtantiſſimi dicti ſunt *archiatri.* Eo in ſignificatu occurrit vox ἀρχίητρος apud Aretæum libro I. de Cauſis & ſignis acutorum morborum, cap. 5. ἐπεὶ καὶ τὸ θνήσκειν τοῖς μὲν ὧδε πνέουσι εὐδαιμονίη· τῷ ἀρχιήτρῳ δὲ, οὐ θέμις. *Quoniam mori his qui ita vivunt, felicitas: Archiatro vero, occidere, nefas.* Quod ideo obſervamus, quia Mercurialis eam vocem ea notione apud quempiam Scriptorem, ſe numquam vidiſſe ait. At ſi verum eſt, quod ſcripſit Gerardus Voſſius in libro de Philoſophia, ante tempora Cæſarum floruiſſe Aretæum, vox illa ἀρχίατρος temporibus Imperatorum Tiberii & Claudii, antiquior eſſet: quod negat Mercurialis. Aretæum autem floruiſſe ante tempora Cæſarum, ex eo colligebat Voſſius, quod Ionice ſcripſiſſet. Exiſtimabat ſcilicet vir undecumque doctiſſimus, Ioniſmum & Doriſmum diu ante tempora Cæſarum in ſcriptis deſiiſſe: quod omnino falſum eſt. Cephalio quidam, ſive Cephalo, qui ſub Hadriano fuit, ἰάδι διαλέκτῳ ſcripſerat

pſerat libros, *Muſas* inſcriptos. Id nos docuit Suidas. Scripſerat & τὰ Περσικὰ eadem dialecto, eodem Suida teſte, Dionyſius quidam Mileſius, Philoſtrati æqualis. Scripſit quoque τὰ Ἰνδικὰ Ionice Arrianus; qui liber exſtat. Sed Ioniſmus & Doriſmus ante tempora Cæſarum ut deſierint, Ionice & Dorice ſcribere potuerunt, qui Linguam Ionicam, aut Doricam, Atticæ præferendam exiſtimabant. Ita Hippocratem, genitum in Inſula Coo; quæ urbibus Doricis annumerabatur; Democriti ſuaſionibus inductum fuiſſe, ut Ionice ſcriberet, teſtatur Ælianus in Varia Hiſtoria. Sed & nos hodie; Lingua Græca deſita; Ionice & Dorice verſus ſcribimus. At vero poſt Galenum vixiſſe Aretæum, aſſerere non dubitamus: cum eum Galenus ne nominaverit quidem, qui Scriptores innumeros, Aretæo fama & doctrina inferiores, in teſtimonium adducit. Sed ad rem. Cum Archiatri e primis medentium & eſſent & haberentur, ex iis Imperatores Medicos ſibi ſumpſerunt: unde poſtea translata vox *Archiater* ad Imperatoris Medicum. Qua notione uſurpatam volunt, ab Erotiano in Præfatione Lexici ſui ad Andromachum. τὴν Ἱπποκράτους πραγματείαν, ἀρχίατρε Ἀνδρόμαχε, &c. erat enim Andromachus Neronis Medicus, ut teſtatur Galenus libro I. de Antidotis. Sed & omnes Medici qui in aula Imperatorum, inque eorum comitatu, Medicinam faciebant, *Archiatri* poſtea appellati. *Archiatros noſtri Pallatii, nec non urbis Romanæ, & Ma-*

& Magiſtros literarum pro neceſſariis artibus, vel liberalibus diſciplinis, nec non Picturæ Profeſſores; ſi modo ingenui ſunt; hoſpitali modeſtia, quoad vivent, liberari præcipimus. Verba ſunt Theodoſii & Valentis in l. 8. Cod de Metatis. Dicti & Palatini, a Palatio Principis. Lampridius in Alexandro Severo: *Medicus ſub eo unus Palatinus ſalarium accepit, ceteri omnes; qui usque ad ſex fuerunt; annonas binas, aut ternas, accipiebant.* Et tandem Archiatrorum primarius *Archiatrorum Comes* dictus fuit, ut diſcimus ex Caſſiodoro, in Formula Comitis Archiatrorum, libro ſexto Variarum.

Obiter hic obſervandum, etiam ab ipſis civitatibus conductos fuiſſe Archiatros. Imperatores Valentinianus, Valens, & Gratianus, lege 9. Cod. de Profeſſoribus & Medicis: *Archiatri, ſcientes annonaria ſibi commoda a populi commodis miniſtrari, honeſte obſequi tenuioribus malint, quam turpiter ſervire divitibus: quos tantum ea patimur accipere, quæ ſani offerunt pro obſequiis, non ea quæ periclitantes pro ſalute promittunt.* Quod ipſum de Medicis Maſſilienſibus ſcripſit Strabo. Σοφιςὰς γὰρ ὑποδέχονται, τὰς μὲν ἰδίᾳ, τὰς δὲ αἱ πόλεις κοινῇ μισθέμεναι, καθάπερ καὶ ἰατρές. *Nam & privatim & publice a civitatibus, ut Medici, ita etiam Sophiſtæ, conducuntur.* Sed iterum ad rem. Ut Medicis immunitas competeret, requirebatur præterea, ut decreto Ordinis probati eſſent: quod nos docuit dicta lex 6.

 Dige-

Digeſtis de Excuſationibus, & lex 5. Codice de Profeſſoribus & Medicis. Decreto autem probati, & immunes facti, contrario decreto, ſi bene & ſedulo munere non fungerentur, improbari poterant. *Reprobari poſſe Medicum a Republica, quamvis ſemel probatus ſit, Divus Magnus Antoninus cum patre reſcripſit.* Verba ſunt Modeſtini in lege XI. de Muneribus & honoribus. Quod & ipſum de Grammaticis atque Oratoribus ſtatuit Gordianus Imperator in lege 2. dicto titulo de Profeſſoribus & Medicis.

Præter illos autem quos dixi Medicos, etiam Militum Medici, quamdiu Reipublicæ cauſſa abſunt, immunitatem habent, l. 1. titulo eodem. Et merito: eſt enim Medicus; quod de Machaone Neſtor pronunciavit: multis aliis in bello anteponendus. Medicos autem Militum accipere debemus, etiam eos quos Χειρουργοὺς vocant; ſive, ut loquendum præcipit Julius Pollux, Χειρουργικούς, hoc eſt, eos qui manu medentur: qui fractas partes jungunt, & luxatas in locum reponunt. Immo eorum in bello utilior longe induſtria quam Medicorum διαιτητικῶν & Φαρμακευτικῶν. Quare Podalirium & Machaonem, Æſculapii filios, bello Trojano ducem Agamemnonem ſecutos, Homerus, non in peſtilentia, neque in variis generibus morborum aliquid attuliſſe auxilii, ſed vulneribus tantummodo ferro & medicamentis mederi ſolitos eſſe, propoſuit. Ex quo apparet, has partes Medicinæ ſolas ab his eſſe tentatas,

tatas, easque eſſe vetuſtiſſimas, inquit Cornelius Celſus in Præfatione librorum de Re Medica. Atque inde, ab eximendis telis, Medicina Græcis dicta ἰατρικὴ, ſi Sextum Empiricum audimus: cujus hæc ſunt verba libro I. cap. 2. adverſus Mathematicos: ἰατρικὴ εἴρηται τὸ παλαιὸν, ἀπὸ τῆς τῶν ἰῶν ἐξαιρέσεως: ſed quæ peſſime, Sexti Interpres, Gentianus Hervetus ita reddidit, *a venenoſis ſuccis, qui* ἰοὶ *dicuntur, eximendis*. Poſtremis temporibus partem illam Medicinæ, quæ manu mederetur, ab aliis duabus διαιτητικῇ & Φαρμακευτικῇ, homines ſejunxerunt. Quando factum hoc disſidium, dixerit alius, non ego. Certe poſt Antoninos. Ulpianus, Alexandri Severi æqualis, l. 7. ſub titulo ad Legem Aquiliam: *Proculus ait, ſi Medicus ſervum imperite ſecuerit, vel ex locato, vel ex lege Aquilia, competere actionem.* Immo & poſt Juſtinianum: cum nihil ille de Chirurgis in Codice, in Inſtitutionibus, in Novellis. Videntur autem a Medicis diviſi fuiſſe Chirurgi & Pharmacarii, tum quia magni illi Medici, περὶ ἄνθρωπον Φιλόσοφοι, ut eos appellat Strabo, ignobile exiſtimarent manibus ſuis venas incidere, medicamenta præparare, clyſteres præbere, & collyria admovere: tum quia etiam tot Medicinæ partibus ſufficere unus vix poterat. Atque inde λιθοτόμοι, Vulnerarii, Ophtalmici, Auricularii: de quibus in lege I. de Extraordinariis cognitionibus. *Medicos fortaſſis quis accipiet*, inquit ibi Ulpianus, *etiam eos, qui alicujus partis corporis,*

 vel

vel certi doloris ſanitatem pollicentur. Ut puta, ſi auricularius; ſi fiſtulæ, vel dentium. Non tamen ſi incantavit; ſi imprecatus eſt: ſi, ut vulgari verbo Impoſtorum utar, exorcizavit. Non ſunt iſta Medicinæ genera: tametſi ſint, qui hos ſibi profuiſſe cum prædicatione adſirment.

His Medicorum immunitatibus addendum; de eorum mercede; quæ & ipſa, ut merces Advocatorum, *ſalarium* & *honorarium* appellatur; extra ordinem jus dictum. *Præſes Provinciæ de mercedibus jus dicere ſolet: ſed Præceptoribus tantum ſtudiorum liberalium. Liberalia autem ſtudia accipimus, quæ Græci ἐλευθέρια appellant. Rhetores continebuntur, Grammatici, Geometræ. Medicorum quoque eadem cauſſa eſt, quæ Profeſſorum. Niſi quod juſtior: cum hi ſalutis hominum, illi ſtudiorum curam agant. Et ideo his quoque extra ordinem jus dici debet.* Addendum; & eis, ne hoſpitem reciperent, indultum fuiſſe, lege ultima, §. ultimo de Muneribus & honoribus. Addenda & Juliani τοῦ παραβάτου Sanctio Græca, quam legere eſt inter ejus Epiſtolas, & quæ Latine exſtat in lege 4. Cod. Theodoſ. ſub titulo de Profeſſoribus & Medicis, edita Mamertino & Nevita Conſulibus, hoc eſt, anno Chriſtianorum 360. τὴν ἰατρικὴν, ἐπιστήμην σωτηριώδη τοῖς ἀνθρώποις τυγχάνειν, τὸ ἐναργὲς τῆς χρείας μαρτυρεῖ. διὸ καὶ ταύτην ἐξ οὐρανοῦ πεφοιτηκέναι δικαίως φιλοσόφων παῖδες κηρύττουσι. τὸ γὰρ ἀσθενὲς τῆς ἡμετέρας φύσεως, καὶ τὰ τῶν ἐπι-

ἐπισυμβαινόντων ἀῤῥωστημάτων ἐπανορθοῦται διὰ ταύτης. καὶ γὰρ κατὰ τὸν δικαίου λογισμὸν, συνῳδὰ τοῖς ἄνωθεν βασιλεῦσι θεσπίζοντες, ἡμετέρᾳ φιλανθρωπίᾳ κελεύομεν τῶν βουλευτικῶν λειτουργημάτων ἀνενοχλήτους ὑμᾶς τοὺς λοιποὺς χρόνους διάγειν. *Artem Medicam hominibus ſalutarem eſſe, uſus ipſe demonſtrat. Quare eam e cœlo delapſam, non immerito Philoſophi prædicant. Etenim naturæ noſtræ infirmitas, & valetudinis offenſiones, quæ quotidie incidunt, per hanc corriguntur. Quamobrem, ſicut æquitatis ratio poſtulat, nos ſuperiorum Imperatorum auctoritatem & vocem ſequuti, pro noſtra humanitate, jubemus vos Senatoriis muneribus liberos in poſterum vivere.*

Atque hæc de Medicorum immunitatibus. Accedo autem Barnabæ Briſſonio, Senatus Pariſienſis Præſidi, qui Selectarum ex Jure Civili Antiquitatum libro 2. cap. 3. originem inde habuiſſe conceſſas Medicis immunitates putat, quod Auguſtus, ut eſt apud Dionem, cum opera Antonii, ſive Artorii, Muſæ, liberti, gravi ac periculoſo morbo afflictam valetudinem recuperaſſet, in beneficii præmium, laborisque mercedem, ipſi Muſæ, Medico ſuo, præter magnam pecuniarum vim, & aureorum annulorum jus dedit: univerſo vero Medicorum Ordini a muneribus civilibus immunitatem conceſſit. Quos & civitate donaverat Julius Cæſar, ut eſt apud Suetonium: diu etenim Romæ Medicina ad ſervos ablegata. *So-*

lam hanc artium Græcarum nondum exercet Romana gravitas in tanto fructu: pauciſſimi Quiritium attigere: & ipſi ſtatim ad Græcos transfugæ, inquit Plinius. Atque inde eſſe exiſtimo, quod Medicis, qui Imperatores vitæ necisque dicuntur eidem Plinio; quique Imperatoribus, ut vulgo dici ſolet, imperant, ægri tamen imperare dicantur in lege 26. de Operis libertorum: *Medicus libertus, quod putaret, ſi liberti ſui Medicinam non facerent, multo plures imperantes ſibi habiturum.* Et apud Senecam libro 3. de Beneficiis: *Corfinium Cæſar obſidebat. Tenebatur incluſus Domitius. Imperavit Medico, eidemque ſervo ſuo, ut ſibi venenum daret.* Aliter apud Arabes: apud quos principes viri Medicinam faciebant. Sed & apud Scotos, viri nobiles. Rem narrat, & rei cauſſam aperit Georgius Buchananus in Joſina, Rege Scotorum nono. *Joſina, rerum gubernaculo admotus, nihil in ullam partem geſſiſſe memorabile fertur: niſi quod Medicos in honore ſummo habuit: quod cum exularet in Hibernia cum patre, eis maxime familiariter fuiſſet uſus. Brevi, reliqua nobilitate in Regis mores eunte, factum eſt, ut multis ſæculis nemo eſſet in Scotia illuſtriore loco natus, qui vulnerum curationem non teneret. Reliquarum enim partium Medicinæ rarus erat tum uſus apud homines, in ſumma parſimonia educatos, & magnis laboribus exercitatos.*

CAPUT

CAPUT XXXVI.

De Itineris, Actus, & Viæ diſcrimine. Juſtinianeæ Inſtitutiones notantur.

QUam ad Carolum Annibalem Fabrotum, Anteceſſorem Aqui-Sextienſem, de Viæ, Actus, atque Itineris diſcrimine ſcripſi olim Epiſtolam, placet hoc loco inſerere.

Illuſeras heri inter deambulandum quod dixeram, Tribonianum in Inſtitutionibus Juſtiniani, ubi de Itineris, Actus, & Viæ differentia agit, non ſatis ſibi conſtare. Domum reverſus, locum, ſicut præceperas, diligenter inſpexi: tum vero, magis etiam quam putaram, ſibimet adverſari Tribonianus mihi viſus eſt. Quare maneo in ſententia: eam tamen mutare paratus, ſi ipſe in contraria, poſtquam hæc legeris, perſeveras: ut qui plus auctoritati tuæ, quam judicio tribuam meo. Verba Triboniani hæc ſunt, libro ſecundo, ſub titulo de Servitutibus: *Iter, eſt jus eundi, ambulandi hominis, non etiam jumentum agendi vel vehiculum. Actus, eſt jus agendi, vel jumentum, vel vehiculum. Ita qui habet Iter, Actum non habet: qui Actum habet, & Iter habet; eoque uti poteſt etiam ſine jumento. Via, eſt jus*

eundi, & agendi, & ambulandi: nam & Iter & Actum Via in ſe continet. Quæ Theophilus tuus παραφραστικῶς ita reddidit: Καὶ τί ἐστιν Iter; οἷον, εἶχον ἀγρὸν ἐγὼ, εἶχες δὲ καὶ σὺ πλησίον ἀγρόν· βουλόμενος ἐγὼ ἐπὶ τὸν ἐμὸν ἀγρὸν ἀπιέναι, ἐδεόμην πολλοῦ κύκλου· ᾔτησά σε, ἵνα παραχωρήσῃς μοι Iter: τουτέστιν, ὥστε ἐξεῖναί μοι βαδίζειν διὰ τοῦ σοῦ ἀγροῦ. (σύντομος γὰρ ἦν αὕτη ἐπὶ τὸν ἐμὸν ἀγρὸν φέρουσα ὁδός) παρεχώρησάς μοι τὸ Iter, ὥστε με παριέναι, οὐ μετὰ ὑποζυγίου, οὐδὲ μετὰ ὀχήματος. Actus δὲ τί ἐστιν; Actus ἐστὶν, ὅτε αἰτήσω σε, ὥστε ἐξεῖναί μοι διὰ τοῦ σοῦ βαδίζειν ἀγροῦ μετὰ ὑποζυγίου ἢ ὀχήματος. ὥστε οὖν ὁ ἔχων τὸ Iter, οὐκ ἔχει τὸ Ἄκτους· μετὰ γὰρ ὑποζυγίου ἢ ὀχήματος παριέναι οὐ δύναται. ὁ δὲ ἔχων τὸ ἄκτους, ἔχει καὶ τὸ Iter: δύναται γὰρ καὶ μόνος, καὶ μετὰ ὑποζυγίων (melius ὑποζυγίου) παριέναι. Βία, ἐστι δίκαιον τοῦ ἐμὲ πορεύεσθαι, καὶ ἔχειν καὶ ὑποζύγιον· ὥστε οὖν ἡ Via ταῦτα ἔχει ἃ καὶ τὸ ἄκτους. Διαφοραὶ δέ εἰσιν ἐν ἑτέροις, ἃς μαθησόμεθα ἐν τοῖς Διγέστοις. Ea autem pæne ad verbum deſcripſit Tribonianus ex Ulpiano, qui Iter, Actum & Viam ita definivit in lege 1. D. de Servitutibus prædiorum ruſticorum: *Iter, eſt jus eundi ambulandi homini, non etiam jumentum agendi. Actus, eſt jus agendi, vel jumentum, vel vehiculum. Itaque qui iter habet, Actum non habet: qui Actum habet, & Iter habet; etiam ſine jumento. Via, eſt jus eundi & agendi & ambulandi. Nam, & Iter, & Actum, & ſe*

(Le-

(Legendum *in ſe*, quo modo legitur in Inſtitutionibus) *Via continet.* Ulpiani verba Baſilicorum Interpretes, itidem tui, ita reddiderunt: *μονοπάτιόν*, ἐςι, τὸ παριέναι, καὶ διακινεῖν, χωρὶς ὑποζυγίου. Πάροδός, ἐςι, τὸ ἐλαύνειν θρέμμα ἢ ὑποζύγιον. ὁ ἔχων οὖν τὴν πάροδον, ἔχει καὶ τὸ μονοπάτιον. Πλατεῖα ὁδός, ἐςι, τὸ παριέναι, καὶ διακινεῖν, καὶ ἐλαύνειν. Via a Triboniano, ut vides, definitur *jus eundi*, *& agendi*, *& ambulandi*. *Ire*, aliud quidem eſt quam *ambulare:* eſt enim pedibus iter tranſire, & prædii utilitatem reſpicit. *Ambulare*, eſt ire & redire; hoc eſt, in ſua veſtigia reflectere; & ſpatiari valetudinis aut voluptatis cauſa: quanquam ut ſpatiari ſolum ac per ſe liceat, ſervitus imponi non poteſt, *Ut pomum decerpere liceat*, *& ut ſpatiari*, *& ut cœnare in alieno poſſimus*, *ſervitus imponi non poteſt*, inquit Paulus l. 8. de Servit. Sed receptum fuit, ut cui ire permittitur, prædii utilitatis cauſa, & ei ambulare permittatur. Ad ſpatium quod attinet, idem eſt *ire* ac *ambulare*. Atque eo factum eſſe exiſtimo, ut Theophilus verbum *ambulandi* omiſerit; certe Tribonianus a verbo *eundi* ſeparaſſe non debuit, nec τὸ *agendi* inter utrumque collocaſſe. Et fruſtra eſt Janus a Coſta, qui hanc verborum collocationem laudat. *Valde notandum cenſeo*, inquit ille ad Inſtitutiones Juſtinianeas, *quod hoc loco*, *& in lege 1. D. de Servitutibus præd. ruſt. ſcriptum eſt*, *Viam eſſe jus eundi*, *& agendi*, *& ambulandi: ut*, *quod ultimo loco*

 ait,

ait, & ambulandi, *certiſſimam differentiam conſtituat inter Actum & Viam. Quamvis enim qui Actum habet, habeat tacite jus eundi; quod reſpicit nominatim utilitatem prædii; non videtur tamen habere jus ambulandi: quod cum pertineat ad voluptatem & ſanitatem hominis, ei tantum conceſſum videtur, qui Iter principaliter & nominatim habet, non ei qui per conſequentias.* Quanto melius Baſilicorum Interpretes! *παριέναι, καὶ διακινεῖν, καὶ ἐλάυνειν. Ire, & ambulare, & agere. Agere*, eſt pecudes, jumenta, armenta ducere. Servius ad illud Virgilii,

> - - - *en ipſe capellas*
> *Protenus æger ago, hanc etiam vix Tityre duco:*

Ago *autem, proprie: nam* agi *dicuntur pecora.* Sed præter jus eundi & ambulandi & agendi, quod habet Via, habet & jus vehendi. Paulus, lege 23. de Servitutibus prædiorum ruſticorum: *Via conſtitui vel latior octo pedibus vel anguſtior poteſt: ut tamen eam latitudinem habeat, qua vehiculum ire poteſt: alioquin Iter erit, non Via.* Unde Viam *a vehendo* appellatam volunt, & prius *Veham* dictam fuiſſe. Varro libro I. de Re Ruſtica capite 2. *Villicus agri colendi cauſſa conſtitutus, atque appellatus a Villa, quod ab eo in eam convehuntur fructus, & evehuntur cum veneunt. A quo Ruſtici etiam nunc quoque Viam* Veham *appellant, propter vecturas.* Et libro IV. de Lingua Latina: *Via quidem Iter, quod ea vehendo teritur.*

teritur. Et poſtea: *Ut qua agebant*, ACTUS: *ſic qua vehebant*, VIÆ *dictæ: quo fructus convehebant*, VILLÆ: *qua ibant, ab itu*, ITER *appellarunt: qua anguſte*, SEMITA, *ut* ſemi iter, *dictum.* Iſidorus Originum libro XV. capite 16. VIA *eſt, qua poteſt ire vehiculum, &* Via *dicta a vehiculorum incurſu. Nam duos Actus capit, propter euntium & venientium vehiculorum incurſum.* Quamquam autem falſa ſit hæc originatio, & *Via* a Græco οἴα, id eſt, *vicus, pagus*, ſit appellata, ut ad Varronem, ex his Apollonii Argonautic. libro II.

- - πέρθοντο γὰρ ἡ μὲν ἀλωαὶ,
Ἠδ' οἶαι,

Joſephus Scaliger obſervavit: aut potius a Græco ἴω, *eo, vado*, ut placuit Julio Scaligero ad Ariſtotelem de Hiſtoria animalium: inde tamen manifeſto patet, Viam jus vehendi habuiſſe. Quare Hugo Grotius, in Sparſione Florum ad Jus Juſtinianeum, legendum putabat in Inſtitutionibus Juſtinianeis: VIA, *eſt jus vehendi & agendi & ambulandi.* Quæ emendatio obſervata prius Connano, Commentariorum libro IV. capite XI. *Pro* EUNDI, *Connanus, ait legendum* VEHENDI: *alioquin ſupervacue hic iterum paulo poſt ſubjici*, AMBULANDI, inquit Contius in Notis ad titulum Inſtitutionum de Servitutibus. *Vehendi* ſcripſerat Connanus, quod propius ad τὸ *eundi* accedit. At vero, cum illic a Triboniano Via & Iter & Actum in ſe continere dicatur; continens

tinens autem latius ſit contento; cumque aliunde conſtet, Viam Actu eſſe latiorem: Actus vero ab eodem Triboniano definiatur, *jus agendi, vel jumentum, vel vehiculum*, licet in definitione Viæ pro *eundi* legeretur *vehendi*, nihil tamen plus haberet Via quam Actus. Hoc cum vidiſſet Theophilus, Viam in ſe Iter & Actum continere non dixit, quemadmodum Tribonianus, ſed tantum eadem habere quæ Actus: *ὥςε ἔν ἡ* Via *ταῦτα ἔχει, ἃ καὶ τὸ ἄκτυς.* Addidit autem de ſuo, Actum & Viam in aliis quibusdam rebus differre, quæ ex Digeſtorum libris petendæ eſſent: *διαφοραὶ δέ εἰσιν ἐν ἑτέροις, ἃς μαθησόμεθα ἐν τοῖς Διγέςοις.* Quare Franciſcus Hotomanus, Vir juris privati & publici peritiſſimus; quamquam illum Cujacius inter quatuor illos Franciſcos recenſebat, quos Jurisprudentiam male excepiſſe dicebat; ceteri ſunt, Duarenus, Connanus, Balduinus: Quare, inquam, Hotomanus, lib. 2. Obſervationum capite 21. Ulpiani verba; quæ, ut diximus, in Inſtitutiones ſuas pæne ad verbum transtulit Tribonianus; ita legenda exiſtimabat: ITER, *eſt jus eundi ambulandi hominis; non etiam jumentum agendi.* ACTUS, *eſt jus agendi jumentum; non etiam vehiculum. Itaque qui Iter habet, Actum non habet: qui Actum habet, & Iter habet; etiam ſine jumento.* VIA, *eſt jus eundi & agendi & avehendi.* Firmabat vero emendationem illam ſuam præcipue auctoritate Pomponii in lege 13. de Servitutibus: *Si tam anguſti*

guſti loci demonſtratione facta, Via conceſſa fuerit, ut neque vehiculum neque jumentum ea inire poſſit, Iter magis quam Via, aut Actus, adquiſitus videbitur. Sed ſi jumentum ea duci poterit, non etiam vehiculum, Actus videbitur adquiſitus. Quibus verbis liquido conſtare putabat, Pomponium in ea fuiſſe opinione, ut exiſtimaret, Actum jus agendi jumentum habere, non etiam vehiculum. Addebat vocabulorum originationem. Actum enim & Varro & Iſidorus dictis locis ab *agendo* deducunt. *Agere* autem, proprie, eſt pecudes agere; ut jam monuimus. Et ſane, Actus latitudo vehiculum agi vix pati poteſt, niſi chiramaxium ſit: modicum plauſtrum ſic appellabant, quo homo tantum geſtari poterat, & quod a ſervis, non a mannis, veheretur; unde nomen: qualia hodie conſpiciuntur Luteciæ. Nam Actus latitudo quatuor pedum dumtaxat fuit, ut diſcimus ex Varrone. *Actus*, inquit, *finis minimus conſtitutus in latitudinem pedes quatuor, quod ea quadrupes agitur.* Itemque ex Feſto; cujus hæc ſunt verba: ACTUS, *Iter inter vicinos quatuor pedum latum.* Nihil enim ea de re apud Juris Auctores: qui Viæ latitudinem, cum de ea non dictum eſt, ex Lege Duodecim Tabularum, in porrectum, octo pedes, in anfractum; id eſt, ubi flexum eſt; ſedecim habuere ſtatuerunt; Actus vero eſſe arbitrariam pronunciarunt, l. 8. & l. 13. de Servitutibus prædiorum ruſticorum. Latitudo, inquam, quatuor pedum, vehiculum agi vix

vix patitur. Pes enim Romanus antiquus minor fuit pede noſtro Regio ſive Pariſienſi circiter pollice: diviſo namque pede Regio in mille particulas, pes Romanus antiquus nongentas & ſex ex illis continet, ut in Vita Peireſci ſui Gaſſendus noſter obſervabat. Quare Conſvetudines Bononienſes; quæ omnium optime hujuſcemodi Servitutes definierunt; ſemitæ, qua pecora aguntur, non etiam vehicula, quinque pedes tribuerunt: *Un chemin ſentier, appellé* ſente, *ſe peut clorre & ouvrir d' une herſe: & doit contenir cinq pieds: ſur lequel on peut ſeulement aller à cheval & à pied, & mener & ramener ſes beſtes ſans amende.* Firmare poterat emendationem ſuam Hotomanus & Theodoſiani Codicis doctiſſimi Interpretis, quisquis tandem ille ſit, auctoritate; qui ad Titulum XVII. libri I. Sententiarum Pauli Actum eſſe definit, *qua pecora minare* (hoc eſt, *ducere*) *conſvevimus.* Item Baſilicorum Interpretum teſtimonio, (ſi modo eorum interpretationem viderat) qui Actui tribuunt jus agendi oves & pecudes, non etiam vehiculum: *πάροδός ἐςι, τὸ ἐλαύνειν θρέμμα ἢ ὑποζύγιον. Actus eſt jus agendi ovem, vel jumentum.* Poterat eam firmare & his Triboniani, ſive Ulpiani, verbis: *qui Actum habet, & Iter habet: eoque uti poteſt, etiam ſine jumento.* Nam ſi Actus jus quoque vehendi haberet, poſtulabat ratio, ut adderetur, *& ſine vehiculo.* Quare Theophilus cum dixiſſet, eum qui Actum haberet, cum jumento vel vehiculo tranſi-

tranſire poſſe, addit. Qui Iter habet, Actum non habere, nec poſſe cum jumento aut vehiculo tranſire. Quod enim ait Cujacius Obſervationum lib. XXII. capite 35. in dicta lege I. de Servitutibus prædiorum ruſticorum aperte & ſine vitio ſcriptum *ſine jumento, vel vehiculo*, fallitur; memoria lapſus. Scriptum dumtaxat exhibent Pandectæ Florentinæ *ſine jumento:* quæ verba e margine in textum irrepſiſſe, Antonius Faber Conject. lib. I. cap. ultimo exiſtimabat. Sed neque etiam τὸ *ſine vehiculo* agnovit Theophilus. Adduci tamen minime poſſum, ut credam, locum Ulpiani a Librariis corruptum fuiſſe eo quo dicit Hotomanus modo. Nam præterquam quod ejus emendatio a recepta lectione nimium diſtat; propius ad illam accederet, ſi legeretur, *Actus, eſt jus agendi, ſed jumentum, non vehiculum;* occurrit eadem lectio in Inſtitutionibus Juſtiniani: eamque agnovit Theophilus: quem ante Baſilium, Baſilicorum auctorem, vixiſſe certo ſcimus. Vertit enim: Actus ἐστὶν, ὅτε αἰτήσω σε ὥστε ἐξεῖναί μοι διὰ τοῦ σοῦ βαδίζειν ἀγροῦ μετὰ ὑποζυγίου ἢ ὀχήματος. ὥστε οὖν ὁ ἔχων τὸ Iter, οὐκ ἔχει τὸ ἄκτους· μετὰ γὰρ ὑποζυγίου ἢ ὀχήματος παριέναι οὐ δύναται. ὁ δὲ ἔχων τὸ ἄκτους, ἔχει καὶ τὸ Iter. δύναται γὰρ καὶ μόνος καὶ μετὰ ὑποζυγίου παριέναι. Βία ἐστὶ δίκαιον τοῦ ἐμὲ πορεύεσθαι, καὶ ἔχειν, καὶ ὑποζύγιον. Iſtud poſtremum καὶ, vocem aliquam excidiſſe, indicio eſt. Scriptum fuiſſe videtur, καὶ ἐλαύνειν ὄχημα,

μα, καὶ ὑποζύγιον: vel, *καὶ ἄγειν ὄχημα, καὶ ὑποζύγιον*, aut quid ſimile. Certe vocem, quæ jus vehendi ſignificet, hoc loco apud Theophilum excidiſſe, quæ ſequuntur verba, *ὥϛε ἔχει ἡ* Via *ταῦτα ἔχει. ἃ καὶ τὸ ἄκτυς*, manifeſte oſtendunt. Niſi enim in Viæ definitione mentio fiat juris vehendi, non ſolum non eadem habebit Via quæ Actus, ut vult Theophilus, ſed minus habebit: quando Actum habere dixit jus ducendi, non modo jumentum, verum etiam vehiculum. Ad Baſilica quod attinet, in iis ſcriptum fuiſſe *πάροδός, ἐϛι, τὸ ἐλαύνειν ὄχημα, ἢ ὑποζύγιον*, non vero, ut edendum curaſti, *Θρέμμα, ἢ ὑποζύγιον*, lubens quoque crediderim. Ulpianum tamen aliquid ſimile Grotianæ, aut potius Hotomanianæ emendationi, ſcripſiſſe veroſimile eſt: ſcilicet, quod Iter, hominis eſſet: Actus, hominis & jumenti: Via, hominis, jumenti, & vehiculi. Ut enim nunc Ulpiani verba leguntur, inepta ſunt. Ea vero ſic immutaſſe Tribonianum exiſtimo, quod ceteri Juriſconſulti Actui jus quoque ducendi vehiculum tribuerent. Paulus l. 7. de Servitutibus prædiorum ruſticorum: *Qui Actum habet, & ploſtrum ducere, & jumenta agere poteſt.* Modeſtinus l. 12. tit. eodem: *Inter Actum & Iter nonnulla eſt differentia. Iter eſt enim, qua quis pedes vel eques commeare poteſt. Actus vero, ubi & armenta trajicere, & vehiculum ducere liceat.* Marcellus lege XI. Quemadmodum Servit. amitt. *Is cui Via vel Actus debebatur,*

tur, ut vehiculi certo genere uteretur, alio genere fuerat uſus: Videamus ne amiſerit ſervitutem. Græci etiam Interpretes ἁμαξικὴν ὁδὸν Actum vocaverunt. Nec adverſatur Pomponius in dicta lege 13. de Servitutibus. Ibi enim, ut recte vidit amicus noſter Ludovicus Nublæus; Vir ſingulari integritate, ſapientia, judicio, eruditione; non definit Pomponius veram naturam, ſolennesque Itineris, Actus, & Viæ, proprie dictæ, differentias: ſed inquirit in duas Viæ ſpecies, quæ a vera, germana, & propria Itineris, Actus & Viæ natura nonnihil aberrant atque deflectunt: & docet ad cujusnam trium harum ſervitutum naturam altera atque altera illarum magis accedere cenſenda ſit. Viam proprie dictam, & Viæ ſpecies cum ſcribo, ne quid novi audeam, non vereor: nam ex lege 22. de Servitutibus prædiorum ruſticorum, & ex lege 2. §. 22. & 23. Ne quid in loco publico: immo & ex dicta lege 13, patet, Viam eſſe genus, ſpecies autem Iter, Actum, & Viam. *Si tam anguſti loci demonſtratione facta*, inquit Pomponius, *Via conceſſa fuerit, ut neque vehiculum, neque jumentum ea inire poſſit, Iter magis quam Via, aut Actus, adquiſitum videbitur. Sed ſi jumentum ea duci poterit, non etiam vehiculum, Actus videbitur adquiſitus.* His enim verbis nihil aliud innuere voluit Pomponius, niſi ejusmodi Viam ad definitionem Actus eſſe revocandam. Ciebat forſan dubium: quod Actus, ut plurimum, continet jus

agendi, non modo jumentum, ſed etiam ploſtrum, ſeu vehiculum. Verum perſpexit, Viam, quæ ita conſtituta erat, ut non etiam vehiculum, aut jumentum tantum ea ducere agere ſtipulanti liceret, quamque ad certam Viæ ſpeciem referri conducebat, propius nimirum abeſſe ab Actus, quam ab Itineris, aut Viæ proprie dictæ natura. Uno verbo, eſſe Actum, non plenum quidem, ſed anguſtum & imminutum. Sane, vel ipſum verbum *videbitur*, quo Pomponius animi ſui ſenſum hoc loco explicat, improprietatem quamdam arguit: & particula *vel;* quæ in allata definitione Actus non tam vehiculum jumento connectit, quam alterum ab altero disjungit; non levi argumento eſt, ita utrumque agendi jus concurrere poſſe in definitione Actus, ut tamen alterutrum adeſſe ſufficiat. Quemadmodum autem Ulpianus, cum Actum jus agendi vehiculum non habere exiſtimavit, verborum proprietatem ſequutus eſt; ita Paulus, Modeſtinus, atque Marcellus cum contrarium pronunciarunt, loquendi conſuetudinem reſpexerunt. Qua in ſententia video eſſe & doctiſſimum Johannem Gerhardum Voſſium. Ita enim ille in Etymologo, voce VIA: *Si proprietatem vocis ſpectaſſet Ulpianus, ſcribere debuiſſet,* Actus, eſt jus agendi jumentum, non etiam vehiculum. *Sed popularem loquendi conſuetudinem, non nativam vocabuli vim ſpectavit: uti & Paullus, cum l. 7. titulo de Servit. præd. ruſt. ait.* Qui actum habet, & plau-

plauſtrum ducere, & jumenta agere poteſt. *Item Modeſtinus, l. 12.* Actus vero, ubi & armenta trajicere, & vehiculum ducere liceat. Addit vir doctiſſimus: quod Tribonianum quoque arguit verba JCti immutaſſe: *Qua ratione nihil inter Viam, Actumque intereſſet: quia utrumque, tum agendi pecoris, tum vehiculi ducendi jus contineret. Agere* enim de ploſtris, ſeu vehiculis, etiam uſurpatur: unde *Agitatores* dicti, qui currus agerent. Itaque uſitata ſtipulationum formula *ut ire agere liceat*, & Actum & Viam complectitur. Celſus lege 6. D. Quemadmodum Servitutes amittuntur: *Si conſtitutum eſt jus Viæ, ut per quamlibet partem fundi ire agere liceat, &c.* Ita ſumitur ἐν πλάτει & in lege 8 de Servitutibus prædiorum ruſticorum: *Qui ſella aut lectica vehitur, ire, non agere dicitur.* Τὸ *non agere* enim hoc loco, eſt, *non agere vehiculum.* In dubium quippe revocari non poterat, eum qui ſella aut lectica vehitur, jumentum agere non videri. Quamquam aliter Janus a Coſta. Legitur ibidem: *Qui viam habent, eundi agendique jus habent.* Quo loco quidam codices pro *eundi*, ſcriptum exhibent *vehendi:* & ita Cujacius legendum contendit. Sed nihil mutandum, *Agendi jus habent:* id eſt, jus habent agendi jumentum, vel vehiculum. Paulum, Modeſtinum atque Marcellum moviſſe quoque potuit vox *jumenti*, qua non modo caballus onerarius, verum etiam vehicularis ſignificatur: immo & vehicu-

 lum

lum ipſum. Sextus Cæcilius apud Gellium lib. xx. cap. 1. hæc xii. Tabularum verba exponens, SI IN JUS VOCAT, MORBUS, ÆVITASVE VITIUM ESCIT. QUI IN JUS VOCABIT, JUMENTUM DATO: *Jumentum non id ſolum ſignificat, quod nunc dicitur: ſed vectabulum etiam, quod adjunctis pecoribus trahebatur. Veteres noſtri jumentum a jungendo dixerunt.* Nonius Marcellus: *Jumentum a jungendo Veteres dictum putant, g litera in eo nomine attrita. Nam & jumentum dicunt, quod nunc* vectabulum *dicitur.* Ita legendum, non ut vulgo legitur, inepto, ſeu potius nullo ſenſu, *nam & vectabulum dicunt, quod nunc vehiculum dicitur.* Exiſtimarunt ſcilicet Paulus, Modeſtinus atque Marcellus, eum qui Actum haberet, vehiculum agere poſſe, quando poterat & jumentum; cujus appellatione vehiculum continebatur. Nec quidquam morari nos debet hæc de Actu opinionum diverſitas. Certe Juriſconſultos veſtros (noſtros enim dicere non audeo, quorum libros biennium erat quod non inſpexeram) de Actu & Via non idem ſenſiſſe, patet vel ex ipſis Pauli verbis in lege: Qui ſella: *Quidam nec haſtam rectam ei ferre licere, &c. Plerique & trahendi quoque lapidem, aut tignum:* quæ diverſitatem ſententiarum notant. Jam vero ſervitutem Itineris quam varie tractarunt! Ulpianus Iter definiebat, *jus eundi, ambulandi homini, non etiam jumentum agendi.* Quod ita videtur accepiſſe, ut pedibus ſuis, non alienis, homo

homo iret aut ambularet; id eſt, non eques iret, aut ſella, vel lectica veheretur. Neque enim hoc loco vocabulum *ſella*, de ſella equeſtri accipiendum: de qua in titulo Codicis. *Nulli licere in frenis, & equeſtribus ſellis & in balteis margaritas & ſmaragdos & hyacinthos aptare:* quamquam ſic eam vocem Gloſſa interpretatur. Atque hinc eſſe credo; ut hoc obiter dicam; quod *iter* Græci Interpretes μονοπάτιον fuerint interpretati. Modeſtinus equo vehi poſſe, qui Iter haberet, putavit: Paulus etiam ſella, vel lectica. Immo & nave ferri. *Si lacus perpetuus in fundo tuo eſt, navigandi quoque ſervitus, ut perveniatur ad fundum vicinum, imponi poteſt*, inquit ille l. 21. de Servitutibus prædiorum ruſticorum. Quamquam jumentum ducere non poſſit, dicta lege 7. Utut eſt, inepte prorſus atque abſurde Tribonianum feciſſe exiſtimo, qui in Inſtitutionibus; in quibus nihil obſcuri, nihil ambigui, ſed omnia clara & aperta eſſe debent; utpote quæ Legitimæ Scientiæ prima elementa complectuntur; Actum & Viam ita definierit, ut non amplius ſit in Via quam in Actu: quam tamen Actum in ſe continere dixerat. Nec Triboniani judicium, meo quidem judicio, excuſare poteſt, quod ait Theophilus, nonnullas Viam inter & Actum differentias in Digeſtis reperiri; ſcilicet eum, qui Viam habet, trahendi lapidem & tignum, & rectam haſtam ferendi, ſi modo fructus non lædet, jus habere, dicta lege 7. de Servitutibus prædiorum ruſtico-

ſticorum. Nec quod ait Cujacius loco laudato, & Janus a Coſta ad Inſtitutiones Juſtinianeas, & Maranus in Paratitlis, Actui non propalam, ſed tacite & per conſequentias, Iter ineſſe: ne ſcilicet qui plus juris habet, hoc eſt, jus agendi, id quod minus eſt, hoc eſt, jus eundi, non habere videatur: Viæ vero ineſſe nominatim: Viamque *per ſe*, ut Cujacius ſcriptum fuiſſe exiſtimabat in dicta lege I. de Servituribus prædiorum ruſticorum; ut autem ipſe legendum putas, *ex ſe*, id eſt, ex ſua natura, Iter & Actum continere.

Hæc quidem, optime & doctiſſime FABROTE, in mea me ſententia ut perſtarem induxerunt: quæ tamen acerrimo & perſpicaciſſimo tuo judicio ſubjecta velim. Vale. Propediem te videbo.

Meminit hujus Epiſtolæ Fabrotus in Notis Poſterioribus ad Theophilum, Titulo de Servitutibus, ubi de Viæ & Actus differentia. *De his*, inquit, *ſollicitius inquiremus in Commentariis ad hunc Titulum: & quæ, amicus noſter, Ægidius Menagius, Vir clariſſimus, doctiſſimusque, objicit, diluere conabimur.* Commentarios illos Fabroti in Inſtitutiones Juſtiniani, publici juris fieri maxime intereſſet. Ut tantos theſauros recludat, qui illos repoſitos penes ſe habet, Fabroti filium, Virum clariſſimum, & in ſuprema Monetæ Curia

Curia Senatorem digniſſimum, Juris Studioſorum nomine per Patris Manes hic rogo, atque obteſtor.

CAPUT XXXVII.

De Campano Juriſconſulto.

CAmpanum Juriſconſultum ex Coccejorum familia ortum fuiſſe, & Severi atque Antonini vixiſſe temporibus, ſcripſit in ejus Vita Johannes Bertrandus. Utrumque falſo. Alius eſt Juriſconſultus Campanus a Coccejo illo Campano, ad quem apud Marcianum in lege: Si quis 29. ad Senatusconſultum Trebellianum, & apud Juſtinianum in Inſtitutionibus, Titulo: Quibus modis Teſtamenta infirmentur, exſtat Reſcriptum Imperatorum Severi & Antonini. Juriſconſultum citant Valens atque Pomponius: hic, in lege 34. §. 1. de Fideicommiſſariis libertatibus: ille, in lege 47. de Operis libertorum. Unde apparet Severo & Antonino antiquiorem multo fuiſſe: ſiquidem & Pomponius, & uterque Valens, Hadriani & Antonini Pii vixere temporibus, ut alibi oſtendimus.

CAPUT XXXVIII.

Qui ſint graculi.

SErvius Juriſconſultus omnem vim, cui reſiſti non poteſt, dominum colono præſtare de-

bere ajebat; ut puta, fluminum, graculorum, ſturnorum; teſte Ulpiano lege 15. D. Locati. Graculorum appellatione picas illas glandularias ſignificari, quas *gajos* appellamus; & quas *μαλακοκρανέας*, quia molli ſunt capite, Græci dixerunt, Vulgus Interpretum credit. Sed falſo, ut jam pridem Cujacius in Obſervatione 25. libri xv. ſtrictim obſervavit. Verba ejus ſunt, ubi de ſupra citatis verbis Ulpiani: *Ex quo apparet, graculos gregatim volitare, ut Aratus ait : Φῦλα κολοιῶν*, &c. *Φαινόμενοι ἀγεληδά. nec igitur eſſe μαλακοκρανέας, qui non ſunt συναγελαστικοί.* Id ipſum & ante Cujacium Bellonius Ornithologiæ lib. vi. capite 7. & Julius Scaliger in Exercitatione ccxxii. contra Cardanum; ſed ſtrictim quoque; obſervarant. Tantorum virorum ſententiam, quia a refractariis quibusdam, qui nihil verum exiſtimant, niſi quod ipſi ſomniant, in dubium revocari video: immo etiam ab eruditiſſimo juxta atque elegantiſſimo viro, qui non ita pridem Phædri Fabellas in Gallicum ſermonem convertit; placet eam hoc capite pluribus argumentis adſtruere, tamque validis, ut ſi quis adhuc contra ſentiat, nihil ſentiat. Gajus noſter pectore eſt cinereo, aures ejus plumis albis & nigris operiuntur. cervix ex rufo & cæſio mixta eſt. uropygium candicat. dorſum pallefcit. Habet ad latus alarum transverſales notas cæruleas, quales in nullo avium genere conſpiciuntur, ſi Bellonio fides, qui diligentiſſime naturam & genera

nera avium eſt ſectatus. At graculum nigro fuiſſe colore certum eſt. Martialis libro 1. epigrammate 115.

Quædam me cupit, invide Procille,
Loto candidior puella cycno,
Argento, nive, lilio, liguſtro.
Sed quamdam volo nocte nigriorem,
Formica, pice, graculo, cicada.

Atque inde eſt, quod *κορακίας*, (quaſi dicas *corvium*) quia ex corvorum eſt genere, Græcis appellatur. Onomaſticon: *graculus.* *ὁ κορακίας.* Corvis non abſimilem fuiſſe, oſtendunt quoque hæc Suidæ in *ἐς κόρακας*: *ὁ δὲ Αἴσωπος μυθικῶς, κολοιὸν μέγαν νομίσαντα τοῖς κόραξιν ἶσον εἶναι, πρὸς αὐτοὺς πορευθῆναι· ἡττηθέντα δὲ, πάλιν εἰς τοὺς κολοιοὺς ὑποστρέψαι· τοὺς δὲ ἀγανακτήσαντας, παίειν αὐτὸν, λέγοντας,* ΦΕΥ̃Γ' ἘΣ ΚΌΡΑΚΑΣ. *Æſopus vero fabuloſe tradit, magnum graculum ſe corvis parem ratum, ad illos ſeſe contuliſſe: a quibus cum vinceretur, ad graculos rediiſſe; qui indignati, eum cædentes, dixerint,* FUGE AD CORVOS. Eſt quippe Græcorum *κολοιὸς*, Latinorum graculus. Excerpta ex Veteri Lex. *Gragulus.* *κολοιός.* Gloſſæ Veteres: *graculus.* *κολοιὸς, ὄρνεον.* Eædem: *graulus.* *κολεός.* Corrige *κολοιός.* Eſt autem *graulus* contractum ex *graculus*: atque inde Italicum *grola*, & Gallicum *grole.* Sed ad ſermonem de nigro graculi colore ut redeam, inde & *Cornicula* graculus dicitur Horatio.

Q 5 *Quid*

Quid mihi Celſus agit? monitus, multumque
monendus,
Privatas ut quærat opes, & tangere vitet
Scripta, Palatinus quæcumque recepit Apollo.
Ne, ſi forte ſuas repetitum venerit olim
Grex avium plumas, moveat cornicula riſum,
Furtivis nudata coloribus.

Corniculam dixit, quod Lucianus *κολοιὸν* in Apologia pro Mercede Conductis: *καί σε τὸν κολοιὸν, ἀλλοτρίοις πτεροῖς ἀγάλλεσθαι.* Item Themiſtius Oratione ſexta: *καθάπερ τῷ κολοιῷ περιτίθησιν ὁ μῦθος τὰ πτίλα ἐν τῷ ἀγῶνι τȣ̃ κάλλȣς, ἀλλότριον αὐτȣ̃ περιεργαζόμενος κόσμον, χήτει τȣ̃ οἰκείȣ καὶ συγγενȣ̃ς.* Quin etiam ex ſuperiori Gaji deſcriptione apparet, locos Horatii, Luciani, Themiſtii, de eo accipi minime poſſe. Cum enim is ſatis ſuperque propria pulcritudine conſpicuus ſit, alienas plumas optare minime debuit. Pergamus. Etiam Ariſtoteli *κολοιῶν* ſpecies quædam dicitur *ὁ κορακίας.* Verba ejus ſunt Hiſtor. Animal. libro IX. capite 24. *Κολοιῶν δ' ἐςὶν εἴδη τρία. ἓν μὲν, ὁ κορακίας. ȣ̃τος ὅσον κορώνη, Φοινικόρυγχος. ἄλλος, ὁ λύκος καλȣ́μενος. ἔτι δὲ ὁ μικρὸς, ὁ βωμολόχος. Graculorum ſpecies tres. Unus eſt,* coracias, *qui eſt cornicis ſimilitudine, roſtro puniceo. Alter, qui* lycus *dicitur. Tertius, parvus,* ſcurra. Sed & Heſychio *κολοιοὶ* ſunt parvæ cornices. *κολοιοὶ,* inquit, *σκῶπες. μικραὶ κορῶναι.* Ita enim hoc loco legendum, non, ut vulgo legitur, *κολοιεί.*

σκό-

σκόπις. μικραὶ κορωνίαι. Idem: σκῶπες. εἶδος ὀρνέων. οἱ δὲ κολοιὺς. Alibi: γῶπας Macedones τὺς κολοιὺς vocaſſe teſtatur: γῶπας. κολοιὺς Μακεδόνες. γῶπες autem idem ac σκῶπες. His addo *graculi* etymologiam: eſt enim τὸ *graculus* ἀπὸ τῦ κόρακος. Scio Varronem graculos ſic dictos exiſtimaſſe, quod gregatim volent. Doctiſſimi Romanorum ineptam ſententiam reprehendendi verecundia liberavit me Quintilianus, qui eam capite 6. libri 1. Inſtitutionum, ubi de falſis etymologiis agit, ſic ſugillat: *Sed cui non poſt Varronem ſit venia, qui* agrum, *quod in eo agatur aliquid, &* graculos, *quia gregatim volent, dictos Ciceroni perſuadere voluit? cum alterum ex Græco ſit manifeſtum duci, alterum ex vocibus avium.* Quintiliani ſententiæ accedit Iſidorus in Originibus. *Graculus*, inquit, *a garrulitate nuncupatus; non, ut quidam volunt, pro eo, quod gregatim volent, cum ſit manifeſtum ex voce eum nuncupari. Eſt autem loquaciſſimum genus, & vocibus importunum.* Pro eadem facit & conjectura Voſſii, exiſtimantis *graculum* dictum a *gracus*: quam vocem ab antiquo *graxo*, aut *graco*, deducit: quodque a Græco ἔκραξα, *clamavi*, factum eſſe exiſtimat. Non me latet Feſtum ſcripſiſſe, graculos a *gerendo* dictos, quod jacta ſegetum ſemina plurimum gerant: vel quod, ex olivetis cubitum ſe recipientes, duas pedibus baccas, tertiam ore ferant. Quam etymologiam ſequitur & Julius Scaliger ad Ariſtotelis locum ſuperius recitatum: ubi graculum dici

ait

ait a *gerendis glandibus*, quaſi *geraculum*. Et quam reſpexiſſe videtur Auctor Priapeiorum, cum ait:

> *Non ſturnus mihi, graculusve raptor,*
> *Aut cornix anus. aut aquoſus anſer,*
> *Aut corvus nocuit ſiticuloſus.*

Sed vera eſt etymologia, quam primo loco poſuimus, *ἀπὸ τȣ̃ κόρακος*, diminutiva forma. *κόραξ κόρακος*, *coracus*, *coraculus*, *craculus*, GRACULUS. Ita *cuniculus*; quod ſupra obſervamus; *ἀπὸ τȣ̃ κυνός. κύων, κυνὸς, κυνικὸς*, *cunicus*, CUNICULUS. *Graculus*, inquam, *ἀπὸ τȣ̃ κόρακος*: nam ex corvorum genere, ut in ſuperioribus oſtenſum. Ex his clare, ni fallor, apparet, graculos Romanorum non eſſe gajos noſtratium. Sed neque id clare minus ex his quæ infra ponemus, manifeſtum fiet. Gaji noſtri non ſunt gregales, ut vere Bellonius & Cujacius dictis locis ſcripſerunt; & nos, dum ruri degeremus, ſæpe obſervavimus. Nam quod in Annalibus Rerum Andecavenſium & Armoricarum ſcriptum eſt: (cujus rei meminit præter Bellonium dicto loco, Pogius Florentinus in Facetiis, & Franciſcus Rabelaſius in quadam Præfatione, quæ deſideratur in vulgatis ejus Fabellarum editionibus; ſed quam ſeparatim typis Gothicis, quos vocant, editam penes me habeo.) Quod inquam ibi ſcriptum eſt, immenſam graculorum multitudinem in finibus Armoricorum atque Andium viſam aliquando fuiſſe, quæ cum immenſa itidem

pica-

picarum multitudine decertans, victoriam reportarit, id portento propius eſt. At vero graculos gregatim volitare, jam ex ſuperioribus Arati atque Ulpiani locis; itemque ex Varroniana etymologia, probatum eſt. Sed ecce tibi locos plurimos aliorum Scriptorum, qui id evincunt. Homerus Iliados ρ, verſ. 755.

Τῶν δ' ὥϛε ψαρῶν νέφος ἔρχεται, ἠὲ κολοιῶν,
Οὖλον κεκλήγοντες, ὅτε προΐδωσιν ἰόντα
Κίρκον, ὅ, τε σμικρῇσι φόνον φέρει ὀρνίθεσσιν.
Horum autem, ſicut ſturnorum agmen venit, vel graculorum,
Acute vociferantes, quando vident accedentem
Accipitrem, qui parvis aviculis cædem adfert.

Ad quem locum Pſeudo-Didymus: Συναγελαϛικὸν δὲ ὁ κολοιὸς, καὶ φιλάλληλον· ὡς ἡ παροιμία, ΑΕῚ ΚΟΛΟΙῸΣ ΠΟΤῚ ΚΟΛΟΙῸΝ ἸΖΆΝΕΙ. Φασὶ δὲ ὅτως φιλαλλήλες εἶναι, ὡς εἴ τις ἔλαιον ἀπόθηται, ἀφορῶντας εἰς τὴν σκιὰν, καὶ κατιόντας δῆθεν πρὸς τὰς ἑταίρους ἐλαιῦθαι, καὶ ἁλίσκεσθαι. Et Euſtathius: κραυγαϛικὸν δὲ ζῶον, καὶ οἱ ψᾶρες, καὶ οἱ κολοιοί· καὶ συναγελαϛικὰ δέ εἰσιν. ὅθεν καὶ ᾠκείωνθαι τῇ ῥηθείσῃ παραβολῇ. Φασὶ δὲ ταῦτα τὰ ὄρνεα καὶ σκιᾷ ἰδίᾳ μάχεσθαι. ὁ δὲ κολοιὸς καὶ φιλάλληλον· ὅθεν καὶ παροιμία ἐπὶ εὐτελῦς φιλίας, ΚΟΛΟΙῸΣ ΠΑΡ ΚΟΛΟΙῸΝ ἸΖΆΝΕΙ. μαρτυρεῖ δὲ, φασὶ, καὶ ὁ τρόπος τῆς θήρας αὐτῶν· ἡλίσκοντο γὰρ ὅτω πως. ἐτίθετο κρατὴρ ἔλαιον ἔχων,

ἔχων, & quæ ſequuntur. Similiter Zenobius in Proverbiis: ἈΕῚ ΚΟΛΟΙῸΣ ΠΑΡᾺ ΚΟΛΟΙῷ ἸΖΆΝΕΙ. ἐπειδὴ, ὅ μόνον ἐςὶ τὸ ζῶον φιλάλληλον καὶ συνδυαςικὸν, καὶ ἀγεληδὸν πετόμενον· ἀλλὰ καὶ ἁλίσκεται διὰ τὴν αὐτῦ σκιὰν, προσεχόμενον αὐτῇ καὶ καθ' ὕδατος ὁραθείσῃ. Similiter & Suidas: ΚΟΛΟΙῸΣ ΠΟΤῚ ΚΟΛΟΙῸΝ ἸΖΆΝΕΙ· φιλάλληλον γὰρ τὸ ζῶον, καὶ συναγελαςικόν. Huic facit quod narrat Antigonus Caryſtius Hiſtoriæ Commentitiæ capite ultimo: Theopompum memoriæ prodidiſſe, Venetos, qui Adriæ litora incolunt, circa tempus ſationis dona graculis mittere, nimirum liba & paſtam: eos qui ferant, ubi obtulerunt graculis, diſcedere: graculorum autem multitudinem manere in finibus regionis collectam: duos autem vel tres, advolare, veluti legatos quoſdam, aut exploratores. Quod ipſum ex eodem Theopompo, nec non ex Lyco, refert Ælianus libro de Animalibus XVIII. capite 16. ex quo capite ſupplendus Antigoni Caryſtii codex, in ſupra memorata hiſtoria mutilus. Addit ſcilicet Ælianus, Venetos graculorum multitudinem invitare qua poſſunt ratione: graculos invitatos, gregatim advolare: atque objectam paſtam ſi comederint, tum demum ſe pacem ac fœdus cum illis habere, Venetos intelligere; ſin contempſerint, ſibi perſuaſum habere, illorum contemptum famem minari. Nam veluti ſeveri, & muneribus incorrupti, ex objectis eſcis nihil ſumentes, in ſegetes involant, &

acer-

acerbe ſemina prædantur. Qui locus Æliani ad explicandam legem 15. D. Locati, quam hoc capite explicandam ſuſcepimus, non parum facit. Conſtat igitur graculos gregatim volitare. Inde κολοιώδες apud Plutarchum pro *gregali*. Locus eſt in libello de Amicorum Multitudine: *σύνομον*, inquit, ἡ *φιλία ζῶον, οὐκ ἀγελαῖόν ἐστιν, οὐδὲ κολοιῶδες.* Inde & adverbium *graculatim*, a Pomponio Læto confectum. *Cum de altitudine tui ingenii cogito, non poſſum non admirari, cur noſtri graculatim & ſturnatim, ut ita loquar, ad te non advolent*, inquit ille in epiſtola ad Angelum Politianum: quæ legitur in libro primo Epiſtolarum Politiani. Addo: κολοιοὺς ab Arato in Dioſemejis ὑπωροφίους, hoc eſt, *qui in tectis degunt*, appellari: quod de gajis noſtris dici non poteſt, qui arbores incolunt. Sed in re tam clara tot teſtimoniis uti, id vero Legentium otio abuti eſt: ut parum abfuerit, quin ego dum hoc caput relegerem, totum delerem. Quia tamen ſcripſeram, perire meam lucubrationem nolui.

Hanc noſtram de graculis Obſervationem in ſuo Eruditorum, quod vocant, Diario, deridentem Senatorem, deridendum eum ipſi propinavimus in noſtris ad Malherbam Obſervationibus. Senatori maledicere non licet: remaledicere, jus, fasque eſt.

CAPUT

CAPUT XXXIX.

De Etymologiis Jurisconſultorum.

JUrisconſultos noſtros fuiſſe a Stoicis Philoſophis imbutos, jam diu eſt quod magnus Cujacius & præſtantiſſimus Merillius in Obſervationum libris animadverterunt. Stoici ſtudioſe, unde verba ducta eſſent, exquirebant: ſed in illis ducendis inepti fuere: unde etymologia *ςωϊκωτάτη* pro *ineptiſſima* paſſim apud Criticos. Qua de re nos pluribus in Commentariis noſtris in Diogenem Laërtium. OPIDUM; *ut imiter ineptias Stoicorum; quod opem daret. Fundamentum Juſtitiæ eſt fides: id eſt, dictorum, conventorumque conſtantia & veritas: ex quo; quamquam hoc videbitur fortaſſe durius; tamen audeamus imitari Stoicos, qui ſtudioſe exquirunt unde verba ſint ducta; credamus, quia fiat quod dictum eſt, appellatam* fidem, inquit Tullius. Non feliciores Stoicis in ea parte Grammatices Jurisconſultos fuiſſe, hoc Caput demonſtrabit: in quo etymologias omnes, quæ in libris Juris adducuntur, referemus, atque examinabimus. Referemus autem ordine alphabetico, ut in iis referendis ordo aliquis adhibeatur.

ADFINIS.

Modeſtinus, l. 4. §. 3. de Gradibus & adfinibus:

bus: *Adſines ſunt, viri & uxoris cognati. dicti ab eo, quod duæ cognationes, quæ diverſæ inter ſe ſunt, per nuptias copulantur, & altera ad alterius cognationis finem accedit.* ¶ Recte. Feſtus: ADFINES. *in agris vicini, ſive conſanguinitate conjuncti.* Gloſſæ Veteres: *adfinis.* ἀγχιτέρμων. καὶ ὁ κατ' ἐπιγαμίαν συγγενής. Adfines hodie in Gallia καταχρηστικότερον appellamus cognatorum noſtrorum cognatos: *les parens de nos parens.*

ADGNATI.

Gajus, lege 7. de Legitimis Tutoribus. *Sunt autem Adgnati, qui per virilis ſexus perſonas cognatione juncti ſunt: quaſi a patre cognati.* ¶ Theophilus, titulo de Nuptiis: ἀγνάτοι εἰσὶν, οἱ ἐξ ἀῤῥεγονίας ἡμῖν συναπτόμενοι. Immo ab *adnaſcendo:* quaſi *ad*, id eſt, ſimul, *nati.*

ADROGATIO.

Gajus, l. 2. de Adoptionibus: *Generalis enim adoptio duobus modis fit: aut Principis auctoritate, aut Magiſtratus imperio. Principis auctoritate adoptamus eos, qui ſui juris ſunt: quæ ſpecies adoptionis dicitur* arrogatio: *quia & is, qui adoptat, rogatur, id eſt, interrogatur, an velit eum, quem adoptaturus ſit, juſtum ſibi filium eſſe: & is, qui adoptatur, rogatur, an id fieri patiatur.* ¶ Paullo aliter Gellius lib. v. Noctium Attica-

rum cap. 18. *Quum in alienam familiam, inque liberorum locum extranei ſumuntur, aut per Prætorem fit, aut per Populum. Quod per Prætorem fit,* ADOPTIO *dicitur: quod per Populum,* ARROGATIO, &c. *Arrogatio autem dicta, quia genus hoc in alienam familiam tranſitus per Populi rogationem fit. Ejus rogationis verba hæc:* VELITIS, JUBEATIS, QUIRITES, UTI LUCIUS VALERIUS LUCIO TITIO TAM JURE LEGEQUE FILIUS SIBI SIET, QUAM SI EX EO PATRE, MATREQUE FAMILIAS NATUS ESSET; UTRIQUE EI VITÆ, NECISQUE IN EO POTESTAS SIET, UTI PATRI ENDO FILIO EST. HÆC ITA UTI DIXI, ITA VOS, QUIRITES, ROGO, &c. Gellii ἐτυμότης magis arridet: quamquam aliter Jacobus Cujacius: cujus hæc ſunt verba in lib. Obſervationum: *Non exiſtimo adrogationem fieri interpoſita ſtipulatione. Nec enim quæ intervenit interrogatio in adrogatione, ſtipulatio eſt, dum is qui adoptat, rogatur an velit eum quem adoptat, juſtum ſibi filium eſſe, & is qui adoptatur, an id fieri patiatur, l. 2. D. de Adopt. Quæ eſt certior adrogationis etymologia, quam a Populi rogatione, ſive lege Curiata. Cicero pro Domo ſua:* Te eſſe interrogatum, auctor ne eſſes, ut in te P. Fontejus vitæ necisque poteſtatem haberet, ut in filio. *Et quæ in adrogatione impuberis intervenit ſtipulatio, non interponitur cauſſa conſtituendæ adrogationis; ſed ne adrogatio fraudi ſit iis, ad quos ea res pertinet.*

net. Denique adrogatio ipſa ſit nulla interpoſita ſtipulatione.

ADULTERIUM.

Papinianus, l. 6. ad L. Juliam de Adulteriis coërcendis: *Lex ſtuprum & adulterium promiſcue & καταχρηστικώτερον appellat. Sed proprie adulterium in nupta committitur, propter partum ex altero conceptum compoſito nomine.* ¶ Etiam Feſtus: *Adulter, & adultera dicuntur, quia & ille ad alteram, & hæc ad alterum ſe conferunt.* Atque eam etymologiam non diſplicere video, Etymologiarum peritiſſimo, Gerardo Johanni Voſſio: quem videſis in Etymologico. Iſ[illegible]rus, quod alterius torum polluat, Adulterum putabat eſſe dictum. Atque inde eſt, quod *adulterium* quidam; quos inter Fungerus; dici putant, quaſi *ad alterum torum:* ſed ut recte Voſſius, ab *adulter* eſt *adulterium*, ut a *magiſter magiſterium.* Broæus, Anteceſſor Bituricenſis doctiſſimus, τὸ *adulter* ἀπὸ τȣ̃ *adultus* deducebat: Guietus, ἀπὸ τȣ̃ ἀβέλτερος, in ſignificatu τȣ̃ *pravi:* mutato B in D, ut in βȣ̃νος, δοῦνος, (unde *dunum*) & in ὄβελος, ὄδελος. Alii, ab *adulando.* De vera hujus vocis origine, ego amplius deliberandum cenſeo.

ÆDILIS.

Pomponius, l. 2. §. 21. de Origine Juris: *Itemque*

que ut eſſent qui ædibus præeſſent, in quibus omnia ſcita ſua Plebs deferebat, duos ex Plebe conſtituerunt, qui etiam Ædiles appellati ſunt. ¶ Aliter Pompejus Feſtus. ÆDILIS *initio dictus eſt, qui ædium non tantum ſacrarum, ſed etiam privatarum curam gerebat. Poſtea hoc nomen & ad Magiſtratus tranſlatum eſt. Dictum eſt autem* ÆDILIS, *quod ad eum Plebi aditus eſſet.* Ita recte hunc locum legit Joſephus Scaliger. Minus recte vulgo: *Ædilis initio dictus eſt Magiſtratus, qui, &c.* ¶ *Ædilis*, eſt ἀπὸ τοῦ *ædis:* quod pro *ædes* dixere Veteres. *Ædis, Ædilis:* ut *ovis, ovilis.* ¶ *Ædes* autem, ut hoc obiter dicam, ex Græco antiquo αἶτος, quod eadem notione uſurpavit Pindarus, teſte Euſtathio ad Iliados γ. pag. editionis Romanæ 381. λέγει δὲ καὶ Πίνδαρος ἐν Ὀλυμπιονίκαις, καινῶς, ΑἾΤΟΣ, τὸ ἐνδιαίτημα, οἷον, Διὸς αἴτει πανδόκῳ. Addit, vocem eſſe μονήρη, id eſt, quæ in hoc ſolo loco inveniatur: πολλαὶ δὲ καὶ ἄλλαι μονήρεις λέξεις πολλαχοῦ σεσημείωνται. Idem Euſtathius ad Iliados μ. pag. 907. 61. ἴστεον δὲ, ὡς εἰ καὶ δοκεῖ τὸ ἔξαιτον ἐκ τοῦ αἰτεῖσθαι παρῆχθαι. ἢ ἀπὸ τοῦ αἴτους, ἤγουν ἐνδιαιτήματος, ὃ παρὰ τῷ Πινδάρῳ κεῖται ἐν τῷ, Διὸς αἴτει πανδόκῳ, ἤγουν ἄλσει κοινῷ. Sic autem ab αἶτος formatum τὸ *ædes:* αἶτος, αἶταξ, *ædes.*

ÆDITUUS.

Vide in TUTOR.

ANOI-

ANGIPORTUM.

Ulpianus, l. 59. de Verborum ſignif. PORTUS *appellatus eſt locus concluſus, quo importantur merces, & inde exportantur: eaque nihilominus ſtatione concluſa atque munita ſunt. Inde* angiportum *dictum eſt.* ¶ Non abſimiliter Varro lib. IV. de L. L. ANGIPORTUM; *& id anguſtum; ab angendo & portu.* Et Feſtus: ANGIPORTUS, *iter compendiarium in oppido, eo quod ſit anguſtus portus.* Cælius Calcagninus *angiportum* dictum quidem ab *ango* & *portus* exiſtimabat: ſed quatenus *portus* Antiquis *viam* ſignificaret. Recte: ſi verum eſt *portum* pro *via* ab Antiquis fuiſſe uſurpatum; quod me latet: nam *angiportus* etiam Græcis *στενωπός*; id eſt *anguſta via.* ita in Gloſſis Veteribus exponitur. Scipio Gentilis, a domibus; quas in lege XII. Tabularum *portus* appellatas dicit, in his verbis, *ob portum evagulatum ito;* ANGIPORTUM dictum volebat. Eſt enim, inquit, angiportus, in oppido vicus exitum non habens. Vias illas; ut hoc obiter dicam; quæ exitum non habent, & quæ, ut loquitur Ulpianus in lege ultima de Locis & itineribus publicis, ſine ullo exitu intermoriuntur, *fundulas* vocat Varro. FUNDULÆ: *a fundo, quod exitum non habet, ac pervium non eſt iter,* inquit ille libro IV. de Lingua Latina, *Cu de ſac,* Gallice eas appellamus. At Voſſius in Etymologico, *angiportum,* ab *angus;* (quod Veteres uſurpaſſe pro compitis

in angulum deſinentibus, ex diminutivo *angulus* conjiciebat) non vero ab *ango*, dictum exiſtimabat. Optime. Hic autem & obiter obſervandum, Ulpianum *ἀρχαϊκῶς angiportum*, in dicta lege 59. in neutro dixiſſe. Ita Gloſſæ: *Angiportum.* *στενωπός*: & Varro dicto loco. Obſervandum & Cujacium ad Tit. Cod. de Operib. publ. vias publicas & *στενωποὺς*, ſive angiportus, idem eſſe obſervare: quod ſe antea neſciſſe ait. Notanda & hæc Eugraphii ad Eunuch. verba: ANGIPORTUM, *dicimus & anguſtum & tortuoſum: nam anguis modo flectitur.*

BONA.

Ulpian. l. 49. de Verb. ſign. *Naturaliter* BONA *ex eo dicuntur, quod beant: hoc eſt, beatos faciant. Beare, eſt prodeſſe.* Inde Javol. l. 83. eodem Tit. *Proprie* bona *dici non poſſunt, quæ plus incommodi, quam commodi habent.* Et Barlaam in Ethicis c. 23. *Ut autem non videamur de nomine tantum laborare velle,* commoda *nominantes, quæ omnes* bona *appellant, ut vocabuli mutatione a beatitudine videantur ſegregari.* At Feſti Abbreviator: BONA, *id eſt, ſubſtantia rerum, dicta ſunt, quod digna ſint bonis.* Nugæ. *Bonus* eſt a Græco *εὒς*, voce ejusdem ſignificationis. Heſychius: *εὒς· ἀγαθὸς, καλὸς, μέγας, εὐτυχής.* Inde adverbium *εὖ*, *bene, belle.* Pro *εὒς* dixerunt *ἠὺς* & *ἠῆς*. Ab *ἠῆς* eſt *εὐηής*: a quo *ἠυής*: a quo *ἀπηνὴς,*

ἀπηνὴς, προσηνής. Ab ἠνὴς eſt ἠνὸς, & Æolice ἀνὸς; unde ἐνὸς; & προθέσει τῦ B, βενός. Inde *benus*, inuſitatum: unde *bene* & *benignus*. Item ab ἠνὸς, ἀνὸς, ὀνὸς, βονὸς, eſt *bonus*: ut ab ἀνότας, βονότας, *bonitas*. Item ab ἠνὴς, ἀνὸς, ὀνὸς, δυνὸς, eſt *duonus*: quod idem ac *bonus*. Gloſſæ: *duonus*, ἀγαθός. Ita *bellum* & *duellum*, *Bellona* & *Duellona*, promiſcue uſurpata. Varro de L. L. *Perduelles ſunt hoſtes. ſic* perduellum, duellum. *id poſtea* bellum. *Ab eadem cauſa facta* DUELLONA, BELLONA. Cicero in Oratore: *Ut* duellum, bellum, *&* duis, bis, *ſic* Duellium, *eum qui Pœnos claſſe devicit*, Bellium *nominaverunt*, *cum ſuperiores appellati eſſent* Duellii. Fabius, ubi de litera B. *Nec non eadem fecit ex* duello, bellum: *unde* duellos *quidem dicere* bellos *auſi*. Nævium deſignat, apud quem *facies virginis duellæ*. Etiam Gloſſæ Fornerii: *duellius*, καλός. Similiter *duis* pro *dis*, ex Græco δίς. Præter locum Ciceronis, id Feſtus teſtatur. DUIS, *duas habet ſignificationes: nam & pro* bis *ponebatur*, *& pro* dederis. A *benus* autem & *bene*, ſunt BELLUS & BELLE. *Benus*, *benulus*, BELLUS. *Bene*, *benule*, BELLE.

CADUCUM.

Ulpianus in Fragmentis, titulo 17. de Caducis: *Quod quis ſibi in teſtamento relictum, ita ut jure civili capere poſſit, aliqua ex cauſa non ceperit*, Caducum

ducum *appellatur: veluti ceciderit ab eo.* Gloſſæ Iſidori: CADUCARIUS. *Ad quem pertinent, quæ cadunt defuncto aliquo, cui non eſt qui ſuccedat.*

CALUMNIATORES.

Gajus, l. 233. de Verborum ſignificat. *Si calvitur, & moretur, & fruſtretur. Inde &* Calumniatores *appellati ſunt, quia per fraudem & fruſtrationem alios vexarent litibus. inde &* cavillatio *dicta eſt.* ¶ Optime. Chariſius lib. I. CALUMNIA *prima correpta effertur: venit enim a verbo* calvor; *hoc eſt,* fruſtror. Priſcianus lib. x. SOLVO, ſolvi: volvo, volvi: calvo, calvi. *unde Salluſtius in 3. Hiſtor. infinitum paſſivi protulit:* Contra ille calvi ratus. CALVI, *pro* decipi. Et poſtea: *Supinum,* i *in* tum *convertentia faciunt.* v *neceſſario in vocalem redeunte:* ſolvi, ſolutum; volvi, volutum. *Sic debet etiam* calvi, calutum *facere: quod tamen in uſu non inveni. & puto* calumniam *ex hoc eſſe derivatum.* Etiam Nonius Marcellus lib. de Proprietate Sermonis: CALVITUR *dictum eſt* fruſtratur. *tractum a calvis mimicis, quod ſunt omnibus fruſtratui,* &c. Et Iſidorus v. 26. *Calumnia, eſt jurgium alienæ litis, a* calvendo: *id eſt,* decipiendo, *dicta.* Eſt autem *calvo,* ſive *calvor,* antiquum verbum, quod ſignificat *decipio,* ut ex ſuperioribus conſtat. Adde Gloſſarium Græco-Latinum: *calpitur.* ἐξαπατᾷ.

Cor-

Corrige *calvitur:* aut lege *calbitur*, quod dictum pro *calvitur*. Item Onomaſticon Græco-Latinum: *calvo*, *calvis*. καταϭοφίζομαι. Etiam Plautus in Caſina actu 2. ſcena 2. *Nam ubi domi ſola ſum*, *Sopor manus calvitur.* Et Salluſtius apud Priſcianum lib. x. *Contra ille calvi ratus.* Et Lex XII. Tabularum: *Si calvitur*, *pedemve ſtruit*, *manum endo jacito.* Unde Lucilius:

Si non it, *capito*, *inquit*, *eum: & ſi calvitur*, *endo*
Jacito.

Et Gloſſæ e Gloſſario Arabico-Latino: CALVO. *decipio.* Ita enim ibi legendum non *calio.* Quare, non male Ludovicus Carrio Emendationum libro 2. capite 12. & poſt eum Hugo Grotius in Florum Sparſione ad Jus Juſtinianeum, legebant in dicta lege 233. de Verborum ſignificatione, *Si calvitur*, *id eſt*, *moratur*, *& fruſtratur.* Nec male quoque Hotomanus ad dictam legem XII. Tabularum, *Si calvitur: eſt moratur*, *& fruſtratur.* Et Theodorus Marcilius in Interpretamento Legis XII. Tabularum: *Si calvitur: eſt*, *moretur*, *& fruſtretur.* Inde *calvitas*, pro fruſtratione, apud Ulpianum in lege 29. §. 5. D. Mandati. *Ipſe autem ſtellionatus crimine; propter ſuam calvitatem plectetur.* Ita vulgati Codices, pro eo quod Florentinus habet *calliditatem.*

CAVILLATIO.

A *calvor*, CAVILLATIONEM dictam

ſcripſit Gajus loco ſupra recitato. Sed omnino eſt a *caveo*. A *caveo*, eſt *cavillo*, & *cavillor*: ut a *ſorbeo*, *ſorbillo*. A *cavillo*, ſeu *cavillor*, eſt *cavillatio*. Scaliger ad Feſtum: CAVILLARE, *dictum a* cavendo, ὑποκοριστικῶς: *propriumque eſt Legulejorum & moratorum verbum. nam Jurisconſultorum proprium cavere. Ovidius:*

Illo ſæpe loco capitur Conſultus amore:
Quique aliis cavit, non cavet ipſe ſibi.

Tibullus:

Hæc mihi quæ caverem Titio, Deus edidit ore.

Hodie inepte, quæ canerem Tityo, *nullo ſenſu. At Tibullus ſe Prudentum more de amore publice reſponſurum cuilibet conſulenti proponit: quod ex ſequentibus, & ex nomine Titii apparet: (Titius* Jurisconſultis eſt perſona ὑποθετικὴ: ut Θέων & Δίων Philoſophis: & *Zeidon & Amron*, apud Arabes,) *ſed qui corruperunt, ignorarunt ſecundam & tertiam conjugationem eamdem apud Veteres fuiſſe. Ut igitur deminuerunt nomen in Formulariis*, *illis* Legulejos, *non* Jurisprudentes *vocantes; ſic & verbum profeſſionis; cum* cavillare, *non* cavere, *eos dicebant; propter tricas & moroſas Juris præſtigias. Sane ita eſſe, vel unus Tertullianus ſatis dederit; qui in libro de Corona ait*, omnibus modis cavillandum: *id eſt*, cavendum: παντοίως περιεργαστέον. *Non ergo obſcurum, quare in vitium verterit hoc verbum, cum genus hoc hominum male ſemper audierit.*

CEN-

CENSOR.

Javolenus, l. CXI. de Verborum ſignificatione: CENSERI, *eſt conſtituere, & præcipere. Unde etiam dicere ſolemus*, Cenſeo hoc facias: *&* Semet aliquid cenſuiſſe. *Inde* Cenſoris *nomen videtur eſſe tractum.* ¶ Ita Pandectæ Florentinæ. CENSERE habent vulgati Codices, & *Senatum aliquid cenſuiſſe:* quam poſtremam lectionem, potiorem exiſtimat Guilielmus Fornerius ad dictam legem CXI. CENSERI rectum eſt, *Cenſeor*, pro *cenſeo*, dixere Veteres. Ovidius:

Hanc probat, & primis dilectam ſemper ab annis
Eſt inter comites Martia cenſa ſuas.

Sed & *cenſeri* hic legerunt Græci Interpretes: verterunt enim ΚΕΝΣΕΡῚ, ἐστὶ τὸ διατάττειν τι ποιῆσαι. Ad τὸ *ſemet aliquid cenſuiſſe* quod attinet; Cujacius ad dictam legem, ſcriptum eſſe ait in Pandectis Florentinis: *Semel aliquid cenſuiſſe:* quam lectionem, inquit, confirmant Baſilica: in quibus eſt, καὶ τὸ καθ' ἑαυτόν τί ποτε κεκρικέναι. Scriptum exhibent Pandectæ Florent. *Semet aliquid cenſuiſſe:* & ita videtur ſcripſiſſe Cujacius. Ad etymon quod ſpectat, aliter Varro apud Marcellum. *Itaque, quod hos arbitros inſtituerunt Populi*, Cenſores *appellantur: idem enim valet* cenſere *&* arbitrari. Et de L. L. CENSOR, *ad cujus cenſionem, id eſt, arbitrium cenſeretur Populus.* Varronem ſequitur Feſtus: CENSIO, *æſtima-*

æſtimatio: unde Cenſores. CENSORES *dicti, quod rem ſuam quisque tanti æſtimari ſolitus ſit, quantum illi cenſuerint.* A cenſu, Cenſores dictos innuit Pomponius l. 2. de Orig. Juris.

COGNATUS.

Ulp. l. 1. Unde cognati: COGNATI *ab eo appellati ſunt, quaſi ex uno nati: aut, uti Labeo ait, quaſi commune naſcendi initium habuerint.* Modeſt. l. 4. de Gradib. COGNATI *ab eo dici putantur, quod quaſi una, communiterve nati, vel ab eodem orti, progenitive ſint.* Paulus, l. 10. tit. eodem: *Nomen cognationis a Græca voce dictum videtur: συγγενεῖς enim illi vocant, quos nos* cognatos *appellamus.* Iſidorus: *Cognati dicti, quia ſunt & ipſi propinquitate cognationis conjuncti.* Recte.

CONDICTIO.

Juſtin. Inſtit. de Actionib. *Appellamus in rem actiones,* vindicationes: *in perſonam vero actiones, quibus dare facere oportere intenditur,* condictiones. Condicere *enim eſt* denunciare *priſca lingua. Nunc vero abuſive dicimus* condictionem *actionem in perſonam eſſe, qua actor intendit dari ſibi oportere, &c.* Reſpexit hunc locum Auctor Gloſſarum: παραγγελία, *Denunciatio, condictio, interdictum.* CONDICERE, *eſt* denunciare, *priſce, nunc vero* Condictionem *omnem in perſonam actionem dicimus.* Lexicon Latino-Græ-

Græcum: CONDICI. *εἰς πρόσωπον ἀγωνίζεσθαι.*

CONSOBRINUS.

Paulus, l. 10. de Grad. *Eos vero & eas, qui quæve ex ſororibus nati, natæve ſunt*, conſobrinos, conſobrinas, *quaſi* conſororinos. Juſtin. Inſt. de Grad. cognat. *Sed quidam recte* CONSOBRINOS *eos proprie dici putant, qui ex duabus ſororibus progenerantur, quaſi* conſororinos. Donatus in Andr. 3. 3. *Sobrini, ſunt conſobrinorum filii: verum, ut alii putant, de ſororibus nati: ut ſint ſobrini, quaſi* ſororini. Iſidorus 9. 6. *Conſobrini vero vocati, qui aut ex ſorore & fratre, aut ex duabus ſororibus ſunt nati: quaſi* conſororini. Et Gloſſæ: *Conſobrinus: quaſi conſororinus: ἀνεψιὸς ἐξάδελφος, ἐκ δύο ἀδελφῶν θηλειῶν.* Ad ſignificationem quod attinet, ſic Marcellus: CONSOBRINI, *ex duabus editi ſororibus: de quibus exempla multa ſunt in antiquis Auctoribus: & maxime in Afranio, & Juris vetuſtiſſimis Scriptoribus.* Quidam tamen conſobrinos vocarunt duorum fratrum filios. Fuit autem τὸ *conſobrinus*, non ex τῷ *conſororinus*, ſed ex τῷ *conſorinus*, formatum: hoc modo: *ſora*. (unde Italicum *ſorella*) *ſorinus*, & ἐπενθέσει τοῦ B, *ſobrinus*, CONSOBRINUS.

CONSULES.

Pomponius, l. 2. §. 16. de Origine Juris: *Exactis*

Actis deinde Regibus, Conſules conſtituti ſunt duo, penes quos ſummum jus uti eſſet, lege rogatum eſt. Dicti ſunt ab eo, quod plurimum Reipublicæ conſulerent. ¶ Similiter, atque aliter, Varro IV. de L. L. *Conſul nominatus, quod conſulere populum & Senatum debet. niſi illic potius unde Attius ait in Bruto*, QUI RECTE CONSULAT, CONSUL FUAT. Quam primo loco Varro poſuit ἐτυμότητα, eam ſequutus eſt in libris de Vita Populi Romani, teſte Nonio in lib. de Proprietate Sermonis. *Conſulum & Prætorum proprietas, quod conſulant, & praeant populis, auctoritate Varronis oſtenditur, de Vita Populi Romani libro 2. Quod idem dicebantur Conſules, & Prætores: quod præirent Populo, Prætores: quod conſulerent Senatum, Conſules.* Cicero 3. de Legibus: *Regio imperio duo ſunto: iique, praeundo, judicando, conſulendo, Prætores, Judices, Conſules, appellantur.* Florus libro I. cap. 9. CONSULESQUE *appellavit Populus Romanus, ut conſulere ſe civibus ſuis meminiſſent.* Eruditius Quintilianus I. 6. *Sitne Conſul a conſulendo, an a judicando: nam & hoc, conſulere Veteres appellarunt. unde adhuc remanet illud, Rogat, boni conſulas, id eſt, bonum judices.* Boni conſule: id eſt, in bonam partem accipe: boni cauſſa factum eſſe judica; ſtatue. Feſtus: CONSULAS, *Antiqui ponebant, non tantum pro conſilium petas, ſed etiam pro judices, & ſtatuas.* Utra harum originationum ſit verior, non facile dixerim. Verior ea videtur Voſſio, quæ eſt ab officio:

cio: ut ſcilicet Conſul inde dictus fuerit, quod conſuleret Senatum. Eum vide in Etymologico. Utut eſt, *Conſulis* nomen ita formatum videtur: *Conſulo*, *conſulus*; & ἀποκοπῇ, *Conſul*. Vel ſic, ut placet Guyeto: σύμβȣλος, σύμβολος, *conſolus*, CONSUL. συμβȣ́λιον, συμβόλιον, *conſulium*, *conſilium*. συμβȣ́λω, συμβόλω, *conſulo*. Sed quomodo B. in S. tranſeat, non ſatis video.

CONTRACTUS INNOMINATUS.

Non inveniendo nomen invenit: ut de planta, quæ Græcis *anonymos* dicitur, dixit eleganter Plinius, libro 27. cap. 4. De eo contractu legendi Jurisconſulti Itali, quorum eſt hæc vox.

CONTUBERNALES.

Vide in TABERNA.

CONTUMAX.

Hermogenianus, l. 53. de re Judicata: CONTUMAX, *eſt*, *qui tribus edictis propoſitis*, *vel uno pro tribus*, *quod vulgo* peremptorium *appellatur*, *vel literis evocatus*, *præſentiam ſui facere contemnit*. ¶ Cujacius Obſervationum XVIII. 30. ubi de hac τȣ̃ *contumacis* abs Hermogeniano tradita definitione: *Et ait*, *qui contemnit*, *contumacem*, παρετυμολογῶν: *ut Velius Longus ait in* contumaci *melius I ſervari*, *quod veniat a* contemnendo: *tametſi*

tametſi Niſus contumacem *per ll putarit poſſe ſcribi, a* tumore. *Et ita in Gloſſis:* καταφρονητής. contemptor, ſpernulis, contumax.

CONTUMELIA.

Ulpianus, l. 1. de Injuriis: INJURIAM *ex eo dictam, quod jure & juſtitia caret; quaſi* non juriam: CONTUMELIAM *autem, a* contemnendo. Juſtinianus in Inſtitutionibus, Titulo de Injuriis: *Generaliter* INJURIA *dicitur omne quod non jure fit. ſpecialiter, alias* CONTUMELIA; *quæ a* contemnendo *dicta eſt: quam Græci* ὕβριν *appellant.* Item Seneca de Conſtantia Sapientis capite XI. CONTUMELIA, *a contemptu dicta eſt: quia nemo, niſi quem contempſit, tali injuria notat. nemo autem majorem, melioremque contemnit, etiamſi facit aliquid, quod contemnentes ſolent.* Melius a *contumeo*, ut quæ ab animo faſtu turgenti fieri ſoleat. & analogiæ etiam convenientius. Unde *contumia* in Gloſſis, quæ ſub Iſidori nomine editæ ſunt, *contumelia* exponitur. Idem Iſidorus Orig. lib. x. *Contumelioſus, quia velox eſt, & tumet in verbis injuriæ. Tumeo* autem eſt a φῦμα, id eſt *tumor:* qua de re videndus Voſſius in Etymologico.

CONVENTIO.

Ulpianus, l. 1. de Pactis: CONVENTIONIS *verbum generale eſt; ad omnia pertinens, de quibus*

bus negotii contrahendi, tranſigendique cauſſa, conſentiunt qui inter ſe agunt. Nam ſicuti convenire dicuntur, qui ex diverſis locis in unum colliguntur, & veniunt; ita & qui ex diverſis animi motibus in unum conſentiunt, id eſt, in unam ſententiam decurrunt. Eleganter.

CONVICIUM.

Ulpianus, l. 15. de Injuriis: CONVICIUM *autem dicitur; vel a* concitatione: *vel a* conventu; *hoc eſt, a collatione vocum: cum enim in unum plures voces conferuntur*, convicium *appellatur, quaſi* convocium. ¶ Longe aliter Nonius. CONVICIUM, inquit, *dictum eſt quaſi* e vicis jocum, *qui ſecundum ignobilitatem loci maledictis & dictis turpibus cavilletur.* Inepta ἐτυμολογία. Vera eſt, quam Ulpianus poſtremam retulit: cujus etiam; ut & Nonianæ; meminit Feſtus. CONVICIUM, *a vicis, in quibus prius habitatum eſt, videtur dictum: vel immutata litera, quaſi* convocium. Idem Ulpianus, ibidem: *Feciſſe convicium, non tantum is videtur, qui vociferatus eſt, verum is quoque qui concitavit ad vociferationem alios: vel qui ſummiſit, ut vociferentur.* Ex *convocium, convucium* & τροπῇ rurſus, *convicium.* Huc ſpectat, quod in Gloſſis *convicium* exponitur καταβόησις. Nec aliter accipiendum, *Septem, convivium; novem, convicium*, apud Capitolinum in Vita Lucii Veri, & apud Auſonium in Ephemeride. Et *nemorum convicia picæ*, apud Ovidium, in

Metamorphoſi: Et *querulæ ſemper convicia ranæ*, apud Columellam, in Poëmate de Cultu hortorum: Et *Cantorum convicium*, apud Ciceronem, in Sextiana: itemque, *aures convicio defeſſæ*, in Oratione pro Archia. Eamdem vocem eadem notione uſurparunt, Phædrus I. 6. & III. 16. & Martialis III. 46. Ridicule igitur Laurentius Valla hoc vocis *convicii* etymon irridet: ipſe irridendus, qui a *con*, & *vitium*: ſive a *con*, & *vita*; quaſi vitandum, & vituperationis cauſa factum; τὸ *convicium* deducit. Vide Defenſionem Veterum Juriſconſultorum adverſus Laurentii Vallæ Reprehenſiones. ¶ A *convicium* autem; ut hoc in transcurſu doceam; eſt Gallicum *cohuë*. *Convucium*, *convucum*, *convuca*, COHUE. hoc eſt, ὀχλαγώγιον, ut recte Baſilica ad dictam legem 15. de Injuriis: qua de voce Græca videndus Cujacius in Obſervationibus libro & capite ſexto.

DAMNATIO. DAMNUM.

Paulus, l. 3. D. de Damno infecto: DAMNUM, & DAMNATIO, *ab ademptione, & quaſi deminutione patrimonii dicta ſunt.* Idem legere eſt apud Varronem IV. de Lingua Latina. *Damnum*, *a demptione*, *cum minus re factum*, *quam quanti conſtat.* Cui etymo ſubſcribit & Cornelius Fronto. *Damnum*, inquit, *demit omnibus.* Et Iſidorus: *Damnum, a diminutione rei vocatum.* Falſo. Veroſimilius Gujetus, ἀπὸ τοῦ δαμνᾶν, quod eſt

affli-

affligere. Veriſſime Scaliger ad Varronem, a δαπάνη, id eſt, *ſumptus*, *impendium*. δαπάνη, *dapinum*, α in ι: ut δάω, δάσκω, *diſco*; χάω *hio*; χάσκω, *hiſco*; πατάνη, *patina*; βάσκανος, *faſcinus*; ῥυκάνη, *runcina*; ἀφάναι, *apinæ*, & ſimilia. Inde, inquit Voſſius, verbum *dapinare* apud Plautum in Captivis IV. 2. verſ. 117.

HEGIO: *Nunc hercle niſi panticinatus probe ero, fuſti pectito.*

ERGASILUS: *Æternum tibi dapinabo victum, ſi vera autumas.*

Sed ibi forte legendum *dapſilabo*: quod in verſum mire quadrat, & τῷ *panticinatus* reſpondet: ſic enim omnino legendum cum Salmaſio, ex lectione veteri *manticinatus*: novum novo vocabulum oppoſitum. Eſt vero DAPSILARE, *largiri*: ἀπὸ τοῦ δαψιλᾶν. δαψιλὴς, eſt *largus*, *largitor*. Gloſſæ Græco-Latinæ: δαψιλεύομαι, *largo*, *indulgeo*: nam *largo* ibi, eſt, *largior*. Eædem: δαψίλεια, *largitas*, *largitudo*. Sed ad rem. A *dapinum* eſt *dapnum*: a *dapnum*, *dampnum*. Gloſſæ Veteres: *dampnum*. ζημία: ex quo deinde *damnum*: ut ex ὕπνος, *ſopnus*, *ſomnus*. Hinc, quod Scaliger obſervabat, *damnum* pro *ſumptu* apud Juvenalem:

Nulla viri cura interea, nec mentio fiet
Damnorum.

Addo Tribonianum in Inſtitutionibus Juſtinianeis, Tit. Quibus alienare licet: *Sine omni damno*: quod Theophilus vertit; δίχα πάσης δαπάνης.

πάνης. Addo & Capitolinum in Pio: *Vini, olei, & tritici penuriam per amrii ſui damna emendo, & gratis populo dando, ſedavit.* Addo & veterem Horatii Interpretem, ad hæc, ex Epiſtola XIV. libri 2.

Quem ſcis immunem Cynaræ placuiſſe rapaci:

IMMUNEM. *Sine damno; ſine donis; ſine munere.* Inde & *damnoſus* pro *ſumptuoſo* apud Plautum in Pſeudolo I. 5.

Si de damnoſis natis, & amatoribus

(Ita recte Guietus)

Dictator fiat nunc Athenis Atticis,
Nemo antecedat filio, credo, meo.

Et apud Juvenalem:

- - *Et creſcit multa damnoſa papyro.*

Hinc & *damnoſe*, pro *ſumptuoſe*, apud Horatium in Sermonibus 2. 5.

Nos, niſi damnoſe bibimus, moriemur inulti.

A *damnum* porro, eſt verbum *damnare:* ex quo *damnatio:* non ab ademptione patrimonii: quod volebat Paulus. Et vere Quintilianus in Declamat. *Mihi ex hoc, quod pleriſque criminibus pecuniæ pœna imponebatur, appellata etiam* damnatio *videtur.*

DECURIO.

Pomponius, l. 239. de Verborum ſignificatione: DECURIONES *quidam dictos ajunt ex eo, quod initio cum coloniæ deducerentur, decima pars eorum*

eorum qui ducerentur, conſilii publici gratia conſcribi ſolita ſit. Veroſimiliter, ſi non vere. Ita Decuriones in militia (nam de Municipalibus Decurionibus intelligendus Pomponius) a numero, cui præerant, dicebantur.

DEPOSITUM.

Ulpianus, l. 1. Depoſiti: DEPOSITUM *eſt, quod cuſtodiendum alicui datum eſt. dictum eſt ex eo, quod ponitur. præpoſitio enim* de *auget depoſitum: ut oſtendat totum fidei ejus commiſſum, quod ad cuſtodiam rei pertinet.* ¶ Donatus in Adelph. IV. 6. DE, valde, *ſignificat.* Feſtus: DEPERIRE, *ſignificat, valde perire.* Idem: DESPRETUS. valde *ſpretus.* DEAMO. *vehementius amo.* Sed *Depoſitum* dictum videtur ex eo, quod humi vel deorſum ponitur. Similiter Græcis *καταθήκη*, & *παραθήκη*; vel, ut Phrynichus dici præcipit, *παρακαθήκη*. Quod enim allatum eſt, ponitur humi juxta eum, cui commendatur. Inepte Iſidorus, *quaſi diu poſitum.*

DERECTARII.

Ulpianus, libro nono de Officio Proconſulis, l. 7. de Extraordinariis criminibus: SACCULARII, *qui vetitas in ſacculo artes exercentes, partem ſubducunt, partem ſubtrahunt. Item, qui* DERECTARII *appellantur, hoc eſt, hi, qui in aliena cænacula ſe dirigunt, furandi animo.* ¶

Gloſſæ Veteres : *Derectarius.* θυρεπανοίκτης. ἐπεισπηδητής. κατάρατος ὁ εἰς τὰς ἀλλοτρίας ἕνεκεν τοῦ κλέψαι εἰσερχόμενος οἰκίας. Eædem: *Derectarii.* εἰσπηδησιῶνες. *Defectarii. Lib. de Officio Proconſulis.* εἰσπηδησιῶνες. Quo poſtremo loco legendum omnino *Derectarii :* reſpexit enim Auctor Gloſſarum dictum locum Ulpiani ex libro nono de Officio Proconſulis: vel illum, ejuſdem Ulpiani, ex libro octavo de Officio Proconſulis, in lege I. de Effractoribus : *Simili modo & Saccularii & Derectarii erant puniendi.* Legendum vero utrobique εἰσπηδηταὶ, vel εἰσπηδησιῶται. Id eſt, ſaltu irruentes & invadentes. *Derectarius* autem, pro *Directarius.* Id eſt, qui non clam, non noctu, ſed aperta vi, de die, & recta, domos invadit, furandi cauſa. Quare eum alii *apertularium* & *effractularium* appellant, ut recte Turnebus Adverſariorum libro XVIII. capite 26. & Cujacius Obſervationum libro X. capite 3. obſervarunt.

DIMISSORIÆ LITERÆ.

Modeſtinus, l. 106. de Verborum ſignificatione: DIMISSORIÆ LITERÆ *dicuntur, quæ vulgo* Apoſtoli *dicuntur.* Dimiſſoriæ *autem dictæ, quod cauſa ad eum, qui appellatus eſt, dimittitur.* ¶ Nihil verius. Paulus lib. V. Sententiarum, Titulo XXXIV. *Ab eo a quo appellatum eſt, ad eum qui de appellatione cogniturus eſt, Literæ Dimiſſo-*

miſſoriæ diriguntur, *quæ vulgo* Apoſtoli *dicuntur.* Baſilica, ad legem 5. C. de Appellationibus: *ἀπόστολοι, καλοῦνται δι' ὧν ἡ παρὰ τοῦ δικαστοῦ γίνεται μήνυσις πρὸς τὸν μέλλοντα κρῖναι τὸν ἔγκλητον.* Vide legem unicam de Libellis dimiſſoriis, & legem 9. de Jure fiſci.

Aliæ ab illis Dimiſſoriis Literis ſunt *Dimiſſoriæ Literæ*, quæ Clericis in alia diœceſi permanſuris a ſuis dabantur Epiſcopis: aut quæ Epiſcopis a Metropolitis, vel Metropolitis a ſuis concedebantur Patriarchis, quando ipſi Epiſcopi vel Metropolitæ ad Principem ſuum proficiſcebantur: quæ & *Pacificæ* dicebantur: de quibus videndus Zonaras ad Canonem 2. Concilii Chalcedonenſis, & Philippus Priorius in erudita ſua Diſſertatione de Literis Canonicis.

DIVORTIUM.

Gajus, l. 2. de Divortiis & repudiis: DIVORTIUM *autem a diverſitate mentium dictum eſt: vel quia in diverſas partes eunt, qui diſtrahunt matrimonium.* Paulus, lege 191. de Verborum ſignificatione: *Non recte autem Sponſa divortiſſe dicitur: quod divortium ex eo dictum eſt, quod in diverſas partes eunt, qui diſcedunt.* ¶ Optime. A *divorto*, *divortium*: Ut a *devorto*, *devortium*, & *deortium*: unde *dortium*: quod Turpilius apud Nonium, capite de Honeſtis, & nove Veterum dictis, uſurpavit. *Anteſacta igni committo.*

triſtitas ante dortium. Divortium, eſt diſceſſio. Ammianus Marcellinus lib. XIV. *Dotis nomine, futura conjux haſtam & tabernaculum offert marito, poſt ſtatum diem, ſi id elegerit, diſceſſura.* Mulieres cum nubebant, deducebantur in domum viri. Heſiodus in Operibus: Ὡραῖαν δὲ γυναῖκα τεὸν ποτὶ οἶκον ἄγεσθαι. Inde *ducere uxorem*, ἐλλειπτικῶς, pro *ducere domum uxorem.* Integram phraſim uſurpavit Plautus in Milite Glorioſo, actu 3. ſcena prima: *Verum egone eam ducam domum? &c.* Inde & *Deus Domiducus* apud Auguſtinum libro VI. de Civitate Dei cap. 9. Cum vero matrimonium diſtrahebatur, ipſæ domo viri exibant, aut expellebantur. Quintilianus Declamatione 262. *Tunc repudiatam tu credis uxorem, cum res ſuas ſibi habere juſſa eſt? cum egredi de domo.* Quod ſi exirent, id Græcis dicebatur ἀπόλειψις; ſi dimitterentur, ἀποπομπή. Ab aquarum divortiis, ex uno jugo decurrentium, vocem *divortium* Ciceronem ἐτυμολογίζειν, ſcripſit hoc loco Scipio Gentilis: quod unde habuerit, neſcio.

DONATIO. DONUM.

Paulus, lege 35. de Mortis cauſa donationibus: DONATIO, *eſt dicta a dono, quaſi dono datum: rapta a Græco: nam hi dicunt* δῶρον, καὶ δωρεῖσθαι. Ulpianus, lege 194. de Verborum ſignificatione: *Inter* donum & munus *hoc intereſt, quod inter genus*

nus & ſpeciem. Nam genus eſſe donum *Labeo, a* donando *dictum ; munus, ſpeciem. nam munus eſſe donum cum cauſa, ut puta, natalicium, nuptalicium.* Corrige *nuptialicium.* ¶ Eamdem *doni* originem adfert Agrætius: ſed aliam; eamque ineptam; inter *donum* & *munus* differentiam. *Donum, inquit, dantis eſt; munus, accipientis. Illud, a dando: hoc, a muniendo, vel movendo, dicimus.* ¶ DONUM, eſt a Græco δῶρον. Id recte Pompejus Feſtus. *Donum, inquit, ex Græco eſt, quod illi vocant* δῶρον. Aliis, eſt a Græco δωτίνη. Heſychius: δωτίνην, δωρεὰν, δόσιν. Idem δωτίνησι, δωρεαῖς, δωτῖναι, αἱ δωρεαί. Atque hæc eſt Varronis ſententia libro IV. de Lingua Latina: *Dos erit pecunia, ſi nuptiarum cauſſa data. hac Græce* δωτίνη. *ita enim hoc Siculi. ab eodem* donum. *nam Græce hocce &* δωτίνη: *ut alii,* δόμα: *& ut Attici,* δόσις. Ita hunc Varronis locum ex antiquo codice reſtituit Salmaſius in libro de Uſuris. Pro feminino δωτίνη, neutrum δωτῖνον dixiſſe Siculos veroſimile eſſe; atque inde Latinis τὸ *donum* dictum per contractionem, quidam exiſtimant: quod non puto: neque enim Latini voces Græcas contrahere ſoliti. Ceterum; ut hoc obiter dicam; *Donum munus* in lege 7. & 37. de Operis libertorum, & apud Lampridium in Alexandro Severo, junctim poſitum obſervabat Salmaſius ad dictum Lampridium.

EUNUCHUS.

Leo Imperator Novella 98. de Pœna Eunuchorum, ſi uxores ducant: *καὶ τῆς εὐνῆς ἀνυπόπτυς Φύλακας εἶναι. τῦτο γὰρ ἡ κλῆσις ἐγγυᾶται.* ¶ Veriſſime. *εὐνῦχοι* dicti ſunt ab *εὐνὴν* & *ἔχειν*: quia curam lecti habebant. Eſt igitur proprie *εὐνῦχος* officii nomen: *Lectiсuſtos.* Ad ſpadones poſtea tranſiit: quia, quo ſuſpicione res careret, ſpadonibus fere *τὰ γυναικωνίτιδες* committebantur. Fruſtra ſunt Epiphanius, Euſtathius, Etymologus, alii; qui alias hujus vocis etymologias adducunt. Heinſium vide ad Heſiodi *ἔργα καὶ ἡμέρας*, capite 6. & Voſſium in Etymologico. SPADONES autem dicti *ἀπὸ τῦ σπᾶν*: a contorquendo teſticulos: non a Spada, Perſidis vico, ubi primum homines caſtrari cœpiſſe ſcribit Stephanus Geographus. Ridicule Accurſius a *ſpatha*: quia ſpatha, ſive gladio, incidantur teſtes. THLIBIÆ autem, *ἀπὸ τῦ θλίβειν*, hoc eſt *atterere*: THLASIÆ, *ἀπὸ τῦ θλᾶν*, hoc eſt, *frangere.*

EXERCITUS.

Ulpianus, lege 1. de Teſtamento Militis: *Exercitus autem nomen ab exercitatione traxit.* ¶ Eleganter Vegetius libro 2. capite 1. *Exercitus ex re ipſa atque opere exercitii nomen accepit, ut ei numquam liceret oblivisci, quod vocabatur.* Cauſam addit Varro IV. de Lingua Latina: *quod exercitando*

tando ſit melior. Vulcatius Gallicanus in Avidio Caſſio: *Exercitium ſeptimi diei fuit omnium militum: ita ut & ſagittas mitterent, & armis luderent. Dicebat enim, miſerum eſſe, cum exercerentur athletæ, venatores & gladiatores, non exerceri milites, quibus minor eſſet futurus labor, ſi conſuetus eſſet.* Cicero libro 1. de Oratore: *Quæ agenda ſunt in foro, tamquam in acie, exercitatione quaſi ludicra prædiſcere & meditari.* Et libro 2. *Ars ludicra armorum gladiatori & militi prodeſt aliquid.* Hæc autem armorum tractandorum meditatio, debetur P. Rutilio, Duci, Oratori, Juriſconſulto, Philoſopho, Hiſtorico eximio. Valerius Maximus libro 2. cap. 3. *Armorum tractandorum meditatio a P. Rutilio, Cn. Mallii Collega, militibus eſt tradita. Is enim nullius ante ſe Imperatoris exemplum ſecutus, ex ludo Aurelii Scauri doctoribus Gladiatorum accerſitis, vitandi atque inferendi ictus ſubtiliorem rationem Legionibus ingeneravit: virtutemque arti, & rurſus artem virtuti miſcuit: ut illa impetu hujus fortior; hæc, illius ſcientia cautior fieret.* Sed ad rem. *Exercito:* eſt ab *exerceo: exerceo,* volunt eſſe ab *ex,* & *arceo:* unde ab arcendo hoſtem, *Exercitum* dictum nonnulli exiſtimarunt. Cæſellius Orthographus apud Caſſiodorum in Collectaneis de Orthographia, capite 10. quia arcetur ſub militari diſciplina. *Exercere,* inquit, *non habet S in compoſitione, quia in ſimplici quoque S non habet. Etenim* exercere *eſt ab* ex, & arceri: *ut* Exercitus,

qui

qui ſub diſciplina certa arcetur. unde exercitatio. Sed omnino *exerceo* eſt a Græco ἐξασκέω.

EXHIBERE.

Ulpianus l. 3. de Homine libero exhib. EXHIBERE, *eſt in publicum producere, & videndi, tangendique hominis facultatem præbere. proprie autem* exhibere, *eſt extra ſecretum habere.* EXHIBERE, formatum ex verbo *habere* & particula *ex:* quod eſt, *deſinere habere:* ut *prohibere*, ex *porro habere; redhibere,* ex *re* (D inſerto) & *habere.* Redhibitum id proprie dicitur, inquit Feſtus, cum qui dedit, idem rurſus coactus eſt habere id, quod ante habuit. *Habere* autem, eſt a Græco ἀπέχειν. ἀπέχω, *abebo,* HABEO. Id recte Salmaſius in libro de Uſuris obſervabat. Nam τὸ ἄβεις, quod in Heſychio ἔχεις exponitur, a Latino *habes* factum videtur.

FALCIDIA.

Sunt, qui a *falce* deducant. Scholiaſtes Harmenopuli: ἔςι δὲ Φαλκίδιος, λέξις Ῥωμαϊκή. καὶ δοκεῖ τισιν ἀπὸ τȣ̃ Φὰλξ, ὃ δηλοῖ τὴν δρεπάνην, καὶ τὴν τομὴν ἀπὸ τῆς δρεπάνης, παράγεσθαι· ὡς τῶν μεριζομένων πραγμάτων ἐξ ἀνάγκης καὶ τεμνομένων, ὥσπερ τινὶ δρεπάνῃ, τῷ μερισμῷ. Et Gloſſa ad Tit. Inſt. de L. Falcidia: *Id: o ſic dicta, quia ut falx fœnum, ſic hæc lex legata reſecat.* Inepte. Lex Falcidia nomen habuit a P. Falcidio, Trib. ple-

plebis, qui L. Antonio, P. Servilio Iſaurico, iterum Coſſ. anno Urbis 712. eam tulit. Ita Ant. Auguſtinus libro de Legibus. At Scaliger ad Euſebii Chronicum: Cn. Domitio Calvino II. Coſ. & Aſinio Pollione Coſſ. IV. Ubi non recte ab Hieronymo in Chronico, Falcidium, *Cajum* appellari, recte obſervat.

FURTUM.

Paulus l. 1. de Furtis: FURTUM, a *furvo, id eſt, nigro, dictum Labeo ait, quod clam & obſcuro fiat, & plerumque nocte: vel a fraude, ut Sabinus ait: vel a Græco ſermone, qui φῶρας appellant fures. Immo & Græci ἀπὸ τοῦ φέρειν, φῶρας dixerunt.* A furvo quoque Varro & Nonius Marcellus *furem* deducunt. Marcelli verba hæc: *Fures ſignificantiam habent a* furvo, *quod Romani Veteres* atrum *appellaverint: & quod per obſcuras atque atras noctes opportuna ſit ejus mali effectio, eos dictos fures. Varro rerum Divinarum lib. 24. Furem ex eo dictum, quod furvum* atrum *appellaverint, & fures per obſcuras noctes atque atras facilius furentur. Homerus: κλέπτῃ δέ τε νυκτὸς ἀμείνω.* Cujacius autem Obſ. lib. 6. c. 2. a *ferendo.* Sed omnino *furtum* eſt a *fur: fur* autem a Græco φώρ, ut vere Gellius. Ipſum audiamus: *Sed in poſteriore ejus libri parte dicit,* (loquitur de Varrone) furem *ex eo dictum, quod Veteres Romani furvum,* atrum *appellaverint; & fures*

res per noctem, quæ atra ſit, facilius furentur. Nonne ſic videtur Varro de fure erraſſe, tamquam Ælius de lepore? Nam quod a Græcis nunc κλέπτης *dicitur, antiquiore Græca Lingua* Φὼρ *eſt dictum. Hinc per affinitatem literarum, qui* Φῶρ *Græce, Latine* fur *eſt. Sed ea res fugeritne tunc Varronis memoriam, an contra aptius & coharentius putarit* furem *a* furvo, *id eſt,* nigro, *appellari, in hac re de viro tam excellentis doctrinæ, non meum judicium eſt.* Sic autem voces *fur* & *furtum* formatæ videntur: φὼρ, *fur:* φωράω, φωρῶ, *furo,* ſeu *furor, furaris:* φωρέω, *fureo,* inuſitatum; unde *furitum,* & ſyncope FURTUM: ut ab ἐλευθεράω, ἐλευθερῶ, *libero:* ἐλευθερέω, *libereo, liberitus,* LIBERTUS. De antiqua voce φὼρ Heſychius: φὼρ, καὶ φῶρας, κλέπτας, κατασκόπους Corrige, φὼρ, κλέπτης, φῶρας, κλέπτας, &c. φὼρ autem ἀπὸ τοῦ φέρειν volunt eſſe. Etymologus: Φῶρ ὁ λῃστὴς, ὁ κλέπτης· παρὰ τὰ φέρω, φὲρ καὶ φῶρ. Inde fur, ὁ ἐπ' αὐτοφόρῳ, de fure, qui deprehenditur cum furto, lege 3. D. de Furtis. Ceterum in dicta lege 1. eodem titulo, pro *a ferendo, & auferendo,* legendum videtur, *a ferendo, id eſt, auferendo. Ferre,* eſt *auferre.* Virgilius: *Omnia fert ætas: animum quoque.* Ita Græcis βαστάζειν, Lucillius lib. 2. Anthologiæ Titulo *in fures:*

Τὸν πτηνὸν Ἑρμῆν, τὸν θεῶν ὑπηρέτην,
Τὸν Ἀρκάδων ἄνακτα, τὸν βοηλάτην,
Ἑστῶτα τῶνδε γυμνασίων ἐπίσκοπον,

ὁ

Ὁ νυκτοκλέπτης Αὖλος εἶπε, βαςάσας,
Πολλοὶ μαθηταὶ κρείττονες διδασκάλων.

GRADUS.

Paulus, lege 10. §. 10. de Gradibus & adfinibus: *Gradus autem dicti ſunt a ſimilitudine ſcalarum locorumve proclivium: quos ita ingredimur, ut a proximo in proximum, id eſt, in eum, qui quaſi ex eo naſcitur, tranſeamus.* ¶ Hæc ita Paulus: & nos ſane cum illo ſentimus.

HELENOPONTUS.

Juſtinianus, Novellarum Conſtitutionum titulo 28. de Moderatore Helenoponti, capite 1. Ἑλενόποντος γὰρ ἅπασι καλείσθω. τοῦτο δὴ τὸ τεθὲν αὐτῷ παρὰ Κωνςαντίνου, τοῦ τῆς εὐσεβοῦς λήξεως ὄνομα. προφάσει τῆς σεμνοτάτης αὐτοῦ μητέρος, Ἑλένης, φαμὲν τῆς εὐσεβοῦς τὴν λῆξιν, ἥπερ ἡμῖν καὶ τὸ θεῖον τῶν Χριςιανῶν ἐξεῦρε σύμβολον. τὸ γὰρ δὴ Πολέμωνος ὄνομα, παλαιοῦ γενομένου τῶν πολλῶν ἐκείνων ἐν Πόντῳ τυράννων, πεπαυσθω. πρῶτον μὲν, ὅτι τυράννου καθειςήκει· δεύτερον δὲ, ὅτι καὶ πόλιν ἐπώνυμον ἔχει, τὸ Πολεμώνιον φαμὲν, καὶ ὅτι κάλλιον ἂν εἴη τὰς χώρας ἐξ ὀνομάτων Χριςιανικῶν τε καὶ βασιλικῶν μᾶλλον, ἤπερ ἐκ πολέμου καὶ ταραχῆς, γνωριζομένων σημαίνεσθαι. *Namque ab omnibus* Helenopontus *nuncupator. Quod illi nomen a pientiſſimo Principe Conſtantino impoſitum eſt, occaſione honeſtiſſimæ ſuæ matris; Helenæ*

lenæ ſcilicet, pientiſſima mulieris: quæ nobis etiam ſacrum Chriſtianorum ſignum invenit. Vetus enim illud nomen Polemonis, *quo plerique in Ponto Tyranni uſi fuerunt, dehinc quieſcito: primum, quia Tyranni exiſtit: ſecundo, quia urbem de ſuo nomine appellatam habet; ſcilicet Polemonium: tum etiam, quia pulchrius fuerit regiones, Chriſtianorum & Regum nominibus deſignare, quam his quæ polemi (hoc eſt, belli, & tumultus) præ ſe notionem ferunt.* Vide notitiam Imperii Orientalis, capite 130.

HONORARIUM.

Ulpianus, lege 1. Si Menſor falſum modum dixerit: *Adverſus Menſorem agrorum Prætor in factum actionem propoſuit, a quo falli eos non oportet. Ideo autem hanc actionem propoſuit, quia non crediderunt Veteres inter talem perſonam locationem & conductionem eſſe: ſed magis operam beneficii loco præberi: & id quoque datur ei, ad remunerandum dari: & inde* honorarium *appellari.* ¶ Optime. Inde *honoraria Advocatorum:* quia magis ad honorandos eos, quam ad mercedis ſatisfactionem ſolerent eis offerri. Gloſſæ Veteres: *Honorarium.* τιμή. τὸ ἐπὶ συνηγορίᾳ διδόμενον. Eodem loco cenſendi Rhetores, Philoſophi, Juris Profeſſores, Medici, Nutrices. *Honorem* autem pro *munere,* uſurpavit Tibullus lib. 3. eleg. 1.

Dicite Pierides, quonam donetur honore,
Seu mea, ſeu fallor, cara Neæra tamen.

Et

Et Ulpianus, lege I. §. 5. de Extraordinariis cognitionibus. *Proinde, ne Juris quidem Civilis Profeſſoribus jus dicent. Eſt quidem res ſanctiſſima Civilis Sapientia, ſed quæ pretio nummario non ſit æſtimanda, nec dehoneſtanda, dum in judicio honor petitur, qui in ingreſſu ſacramenti offerri debuit.*

IMMUNITAS.

Paulus, lege 18. de Verborum ſignificatione: MUNUS, *tribus modis dicitur:* (Grotius legebat *dici*, ex ſequentibus.) *uno, donum: & inde munera dici dari, mittive: altero, onus: quod cum remittatur, vacationem militiæ, munerisque præſtat: inde* immunitatem *appellari.* ¶ A *munus*, eſt MUNIS: a *munis*, IMMUNITAS. Feſtus: MUNEM, *ſignificare certum eſt* officioſum: *unde de contrario* immunis *dicitur, qui nullo fungitur officio.* Idem: IMMUNIS: *vacans munere.* De etymo *muneris* Grotius hic, & Voſſius in Etymologico, & Martinius in Lexico.

INCILE.

Ulpianus, lege I. §. 5. de Rivis: *Incile, eſt locus depreſſus ad latus fluminis, ex eo dictus, quod inciditur. Inciditur enim vel lapis, vel terra, unde primum aqua ex flumine agi poſſit.* ¶ Magis placet Voſſiana originatio ab *inciendo:* eſt autem *inciere, incitare.* Feſtus: *incita. incitata.* Ut

a *cubo*, *cubile*; ſic ab *incio*, *incile*. Ceterum de incili, ita Feſtus: INCILIA, *foſſæ*, *quæ in viis ſiunt ad deducendam aquam*, *ſive derivationes de rivo communi factæ*. Et Onomaſticon Vetus: *Inciles*. διώρυγες. *Viam lacunoſis incilibus voraginoſam*, dixit Appulejus libro 9. Metamorphoſeos.

INJURIA.

Ulpianus, lege I. de Injuriis & famoſis libellis: INJURIA, *ex eo dicta eſt*, *quod non jure fiat: omne enim quod non jure fit*, *injuria fieri dicitur*. *Hoc generaliter*: *ſpecialiter autem injuria dicitur contumelia*. *Interdum injuriæ appellatione damnum culpa datum ſignificatur*: *ut in Lege Aquilia dicere ſolemus*. *Interdum iniquitatem*, *injuriam dicemus*: *nam cum quis inique vel injuſte ſententiam dixit*, injuriam *ex eo dictam*, *quod jure & juſtitia caret*, *quaſi* non juriam. ¶ Vero verius. Similiter Iſidorus v. 26. *Injuria*, *eſt injuſtitia*. *Hinc eſt apud Comicos*, in jure ſequi. *Vel*, *Injuria*, *eſt qui audet aliquid contra ordinem Juris*. Atque huc facit, quod ait Aſconius Pedianus: *Injuria ſemper injuſta eſt*. *lædi etiam aliquis juſte poteſt*. *Nam & qui jure damnantur*, *læduntur*, *ſed non injuria*. Ita Græcis ἀδικία. *Injurus*, pro *injuſtus*, legitur apud Plautum in Perſa III. 3. *Impure*, *inhoneſte*, *injure*, *illex*, *labes popli*. Emendabat Gujetus: *Injurie*, *fex*, *labes popli*. Sed nihil mutandum docet Noni-

Nonius Marcellus, qui in Voce *illex*, capite de Proprietate ſermonis, receptam lectionem agnoſcit. *Injurus* autem dictum eſt, ut *perjurus*.

INSTITOR.

Ulpianus, lege 3. de Inſtitoria actione: *Inſtitor appellatus eſt, ex eo quod negotio gerendo inſtet. Nec multum facit, tabernæ ſit præpoſitus, an cuilibet alii negotiationi.* ¶ Ego hic Ulpiano acquieſco. Hoc autem ejus etymon confirmant Veteres Gloſſæ, in quibus *Inſtitor* exponitur, ὁ πρoïςάμενος ἐργαςηρίȣ. Alias ἐπιςάτης dicitur: ab eadem origine: ſcilicet ἀπὸ τȣ̃ ἐφίςαϑαι: hoc eſt, ab inſtando operi; ab urgendo negotium. Ὅσαι τὸ πρᾶγμα τȣ̃τ' ἐνεςήσαντο, dixit Ariſtophanes. *Mercaturæ inſiſtentes* dixere Imperatores Honorius & Theodoſius lege 4. Cod. de Commerciis & Mercatoribus. Et *inſtare mercaturam* Novius:

Inſtat mercaturam. ſpero, rem faciet: frugi eſt homo.

Citat hunc Novii ſeptenarium, ex ejus Militibus Pometinenſibus, Nonius Marcellus in Voce *mercatus*, capite de Indiſcretis generibus: ſed ubi *Inſtant* vitioſe ſcriptum eſt. Citat eumdem verſum; ſed paullo aliter; Scaliger ad Priapeja, ex Nonio in Atellana. Ibi eum vide, τὸ *inſtitor*, ab *inſtando* etiam deducentem.

INTERDICTA.

Juſtinianus Imperator, Inſtitutionibus, titulo de Interdictis: *Sunt tamen qui putent, proprie Interdicta ea vocari, quæ prohibitoria ſunt, quia* interdicere *ſit denunciare & prohibere: reſtitutoria autem & exhibitoria, proprie* decreta *vocari. Sed tamen obtinuit omnia* interdicta *appellari; quia inter duos dicuntur.* ¶ QUIA INTER DUOS DICUNTUR. Sic conſtanter habent omnes libri ſcripti, inquit hoc loco Cujacius. Tamen, hæc verba addititia eſſe non dubitamus: non quia inepta ſit etymologia: alias enim non meliores legere eſt apud Auctores Juris: ſed quia Imperator cum ſuperioribus pugnantia loqueretur: ſupra enim dixit, proprie Interdicta ea vocari, quæ prohibitoria ſunt, quia interdicere ſit denunciare & prohibere: quæ eſt vera vocis originatio. Iſidorus, & Anianus; hic, in Notis ad Pauli librum v. Sententiarum; ille, in Originibus, libro 5. capite 25. tit. 6. *Interdictum* definierunt, *Sententiam interim dictam.*

JUS.

Ulpianus, lege 1. de Juſtitia & Jure: *Juri operam daturum prius noſſe oportet, unde nomen Juris deſcendat: eſt autem Jus a Juſtitia appellatum.* ¶ Hanc originationem e Philoſophia petitam volunt Juris Interpretes: Alciatus, libro 1. Parergon, cap. 29. & 30. Connanus, Commentario-

riorum Juris Civilis libro 1. cap. 2. Vacca, in Commentariis ad legem 1. D. de Juſtitia & Jure: Scipio Gentilis, in Originibus ad Pandectas: item Contius, Lectionum libro 2. cap. 6. qui in hanc rem hæc Iſidori e libro decimo Etymologiarum adducit: *Licet origo nominum, unde veniat, a Philoſophis eam teneat rationem, ut per denominationum deminutionem* homo *ab* humanitate; ſapiens *a* ſapientia *nominetur; quia prius ſapientia, deinde ſapiens: tamen claret alia ſpecialis in origine quorumdam nominum cauſa: ſicut,* homo, *ab* humo *unde proprie eſt appellatus.* Nam ſi Grammaticos conſulas, non Jus a Juſtitia, ſed a Jure, Juſtitiam appellatam reſpondebunt. *Jus, juſtus*, ut *Venus venuſtus. Juſtus juſti, Juſtitia.* Vera eſt Grammaticorum originatio. Similiter Græcis *παρὰ τὸν δίκαιον*, dicta *δικαιοσύνη.* Plutarchus in Commentario de Virtute morali, ſtatim initio: Χρύσιππος δὲ, κατὰ τὸ ποιὸν ἀρετὴν ἰδίᾳ ποιότητι συνίσαϑαι νομίζων, ἔλαθεν ἑαυτὸν (κατὰ τὸν Πλάτωνα) σμῆνος ἀρετῶν ἐ συνῆθες, ἐδὲ γνώριμον ἀγείρας. ὡς γὰρ παρὰ τὸν ἀνδρεῖον, ἀνδρείαν, καὶ παρὰ τὸν πρᾶον, πρᾳότητα, καὶ δικαιοσύνην παρὰ τὸν δίκαιον, ἔτως παρὰ τὸν χαρίεντα, χαριεντότητα, καὶ παρὰ τὸν ἐσθλὸν, ἐσθλότητα, καὶ παρὰ τὸν μέγαν, μεγαλότητα, καὶ παρὰ τὸν καλὸν, καλότητα· ἑτέρας τε τοιαύτας ἐπιδεξιότητας, εὐαπαντησίας, εὐτραπελίας, ἀρετὰς τιθέμενος, πολλῶν καὶ ἀτόπων ὀνομάτων ἐδὲν δεομένην ἐμπέπληκε Φιλοσοφίαν. *Chryſippus*

ſippus autem, *dum ſecundum qualitatem quamvis peculiarem aliquam virtutem putat debere conſtitui, imprudens totum, ut eſt apud Platonem, examen virtutum excitavit incognitum atque inſolens. Nam ſicut a forti, fortitudinem; a manſueto, manſuetudinem; a juſto, juſtitiam: ſic a gratioſo, gratioſitatem; a bono, bonitudinem; a magno, magnitatem; ab honeſto, honeſtitudinem; aliasque id genus dexteritates, compellabilitates, verſabilitates, virtutum in numero cenſens, multis & abſurdis nominibus, nihil tale deſiderantem implicuit Philoſophiam.* *Jus* autem, eſt a δέον: ut *plus*, a πλέον. δ tranſit in ȷ conſonans: ut in *Jana*, a *Diana:* in *Jabolenus*, a Διαβοληνός: in *jaceo*, a διακέω. Ita *juncus*, ἀπὸ τῦ δόνακος: qua de voce in Botanicis noſtris. δέον, eſt τὸ πρέπον: ut recte Heſychius: id eſt, *quod convenit; quod oportet facere.* Immo δέον, eſt *juſtum.* Gloſſæ Veteres: *plus juſto*, πλέον τῦ δέοντος: πλέον τῦ κατήκοντος. Simili ratione *jus culinarium* a ζέον. z in j conſonans: ut in *jugum:* a ζυγόν, & ſexcentis aliis ζέον, pro *juſculo* apud Græcos uſurpatum, teſtis eſt Heſychius: qui βλύδιον (quod eſt *brodium;* & unde hæc vox Latina, a qua Italica *brodo;* ut Gallica *broüet*, ab ejus diminutivo *brodetto*) ὑγρὸν ζέον interpretatur. ζέον autem ea notione, eſt a ζέω, *ferveo*, *bullio:* quia ferventia apponi juſcula, & ſorberi ſolent. Cicero epiſtola ad Pætum: *In*

In ea cœna coquus meus, præter jus fervens, nihil potuit imitari. Sic Gallicum BOUILLON, a *bulliendo:* & Hiſpanicum CALDO, a *calore.* Alii, *jus* a *juvando* dictum volunt: quos inter Galeottus Martius, libro de Doctrina Promiſcua cap. 28. *Nam ſicut corpus noſtrum,* inquit, *jure juvatur & nutritur, ita, & civitates, quæ ut corpus coaluerunt, legibus, tamquam jure quodam, aluntur & juvantur.* Inepte, ut nihil ſupra: niſi forte ineptius ſit, quod ait Iſidorus libro 5. Etymologiarum, dictum eſſe *jus;* quia juſtum ſit: & *juſtitiam,* quaſi *Juris ſtationem;* quia in ea jus ſtet: & quod Alciatus; quia vim ſiſtat. Alii, a *jubendo* JUS deducunt. Jus enim, juſſum legis: legis autem eſt jubere, imperare. Verbi gratia, Jus naturale, eſt id, quod Natura juſſit. *Jubeo, juſſi, juſſum, jus.* Hæc ſententia, quam Matthias Martinius non improbat; probat autem Hieronymus Magius Variarum Lectionum libro 4. capite 1. & Contius dicto loco: laudantque, nobile par Fratrum, Valeſii; videtur eſſe probabilis: eamque juvat Feſtus, apud quem legas, *Juſa, jura.* Adde Quintilianum 1. 7. *Etiam illud, quod nos gemina S dicimus,* juſſi, *una dixerunt.* Loquitur de Veteribus, qui conſonantes non geminabant. Sed noſtra ſententia vera eſt. δέον, ζέον, ζȣ̃ν, ζȣ̃ς, *jus.* ut πλέον, πλȣ̃ν, πλȣ̃ς, *plus.*

JUSTINIANA: urbs.

Juſtinianus in Novellis Conſtitutionibus, titulo, de Moderatore Helenoponti, in Præfatione: *μεθ' ἧς ἡ ἡμετέρα καθέστηκε Λαζική, ἐν ᾗ καὶ ἡ Πετραίων ἐστὶ πόλις, ὑφ' ἡμῶν τὸ πόλις εἶναί τε καὶ ὀνομάζεσθαι προσλαβοῦσα, κεχρημένη τε τῷ τῆς ἡμετέρας εὐσεβείας ὀνόματι, καὶ* ΙΟΥΣΤΙΝΙΑ͂ΝΗ *καλουμένη. Poſt quos, tam noſtra conſtituta eſt Lazica: in qua urbs Petræon eſt, quæ noſtro beneficio & eſſe & nominari urbs cœpit: quam quæ noſtræ pietatis nomine utitur, &* JUSTINIANA *appellatur* Veriſſime. Sed & aliæ urbes, *Juſtiniana* nuncupatæ. Vide Geographos.

LIBER. LIBERTAS.

Imperator Juſtinianus in Inſtitutionibus, titulo de Jure Patronatus: *Libertas quidem; ex qua etiam liberi vocantur; eſt naturalis facultas, quod cuique facere libet, niſi quid vi, aut jure prohibetur.* ¶ Immo *τὸ libertas* eſt *ἀπὸ τοῦ liber*, non vero *τὸ liber ἀπὸ τοῦ libertas.* Eſt autem *τὸ liber*, a Græco *ἐλεύθερος*: *θ* in *β* converſo: ut *ruber*, ex *ἔρυθρος*; & *uber*, ex *οὖθαρ*, *ἐλεύθερος* vero, eſt ab *ἔω*, *eo*, *vado:* ſic: *ἔω*, *ἔλω*, *ἐλέω*, *ἐλεύω*, *ἐλεύθω*, (unde *ἦλθον*) *ἐλεύθερος*: non, ut volunt Suidas & Etymologus, quaſi *ἐλεύθων ὅπου ἐρᾷ.* Manumiſſis ire & habitare quo lubebat, jus fuit: qua de re Cujacius lib. 14. Obſervationum cap. 27. ¶ *τὸ liber* autem, pro *volumine:* ut hoc dicam in trans-

tranſcurſu; eſt ab Æolico λέπος, *cortex.* λέπος, λέπος, λέβος, λέβερ, LIBER.

MACEDONIANUM SCtum.

Theophilus, libro 4. Inſtitutionum, titulo: Quod cum eo, &c. Μακεδών τις, οὕτω λεγόμενος, γέγονεν ἐν τῇ Ῥώμῃ, ὑπεξούσιος ὢν τῷ οἰκείῳ πατρὶ, ἐδανείσατο παρά τινος, ἐλπίζων, ὅτι τελευτήσαντος αὐτοῦ τοῦ πατρὸς, δυνήσεται τὸ χρέος ἀποδοῦναι. πολλοῦ χρόνου διαδραμόντος, δανειστὴς ἐπέκειτο τὸ χρέος ἀπαιτῶν. ὁ Μακεδὼν, οὐκ ἔχων πόθεν ἀποδῶ (πῶς γὰρ, ὑπεξούσιος ὢν;) ἀνεῖλε τὸν ἑαυτοῦ πατέρα. ἐγνώσθη τοῦτο τῇ συγκλήτῳ. κἀκεῖνος μὲν δίκας δέδωκε πατροκτονίας. δόγμα δὲ, λεγόμενον Μακεδονιάνον, γέγονε, τὸ κελεῦσαν, μηδένα δανείζοντα ἐλευθέρῳ ὑπεξουσίῳ ἀπαιτεῖν τὸ δανεισθὲν, ἵνα τούτῳ τῷ τρόπῳ ἕκαστος εἰδὼς, ὡς οὐ δύναται ἀπαιτῆσαι τὸ δάνεισμα, ἀπέχοιτο τοῦ δανείζειν αὐτῷ. *Fuit quidam Macedo Romæ, (id enim nomen erat homini) qui cum in poteſtate patris eſſet, grande æs alienum conflavit; ſperans futurum, ut mortuo patre ſuo facile diſſolveret. Cum multum jam temporis tranſiiſſet, gravis ei & moleſtus cœperat eſſe creditor, debitum repetens. Macedo, cum non haberet unde redderet, (nam quomodo, qui in poteſtate eſſet?) patrem ſuum occidit. Relata res eſt ad Senatum. Et ille quidem pœnas dedit parricidii. Verum Senatusconſultum factum eſt; quod* Macedonia-

 num

num *vocatur; quo cavetur, ne qui liberæ perſonæ, alieno juri ſubjectæ, mutuum dediſſet, actionem eo nomine haberet. Ut hoc modo, cum ſe repetitionem quisque ejus quod credidiſſet, nullam habiturum cognoſceret, caveret ſibi a mutui datione.* Aliis, Macedo, fœnerator eſt, non filiusfamilias. Ulpianus lege I. de Senatusconſulto Macedoniano: *Verba Senatusconſulti Macedoniani hæc ſunt:* Cum inter ceteras ſceleris cauſas Macedo, quas illi natura adminiſtrabat, etiam æs alienum adhibuiſſet, & ſæpe materiam peccandi malis moribus præſtaret, qui pecuniam (ne quid amplius diceretur) incertis nominibus crederet: placere, ne cui qui filiofamilias pecuniam mutuam dediſſet, etiam poſt mortem parentis ejus, cujus in poteſtate fuiſſet, actio, petitioque daretur: ut ſcirent, qui peſſimo exemplo fœnerarent, nullius poſſe filiifamilias bonum nomen, exſpectata patris morte fieri. ¶ Ita Senatusconſulti verba acceperunt, Antonius Auguſtinus in Senatusconſultis; Hotomanus libello de Senatu; Cujacius in Paratitlo ad dictum Titulum de Senatusconſulto Macedoniano; Fabrotus ad Theophilum, dicto titulo. Quod cum eo, & in Enarratione Paratitli Cujaciani, titulo, Codice, ad Senatusconſultum Macedonianum. At vero Maranus in Paratitlo ad Titulum D. de Senatusconſulto Macedoniano. Macedonem, non fœneratorem, ſed, ut ſcripſit Theophilus, filiumfamilias fuiſſe dicit, qui gravi ære alieno preſſus, ut ſe a moleſto creditore liberaret, patrem

trem necarit. Quod aperte probant prima Senatusconſulti verba, *Cum inter ceteras ſceleris cauſas Macedo, quas illi natura adminiſtrabat, etiam æs alienum adhibuiſſet:* quæ ad fœneratorem, qui pecuniam credidit, pertinere non poſſunt: eſt enim æs alienum, quod nos debemus, non quod nobis debetur. Ulpianus l. 213. de Verborum ſignificatione: *æs alienum eſt, quod nos aliis debemus: æs ſuum. quod alii nobis debent.* Pergit Maranus: *Erroris cauſſam præbuit ſequens Senatusconſulti male accepta clauſula, quæ ad Macedonem nequaquam referenda eſt, ſed ad fœneratorem quemcumque: nam cum initio dictum ſit Macedonem inter ceteras ſceleris, (id eſt, parricidii) cauſſas etiam æs alienum adhibuiſſe, ſubjicitur generaliter, creditorem ſæpe materiam peccandi malis moribus præſtare, qui incertis nominibus, (id eſt, filiisfamilias) pecuniam crederet: ut Senatusconſulti de hujusmodi fœneratoribus coërcendis ratio intelligeretur.* Ergo ex ejus ſententia, Senatusconſulti verba ſic interpungenda videntur: *Cum inter ceteras ſceleris cauſas Macedo, quas illi natura adminiſtrabat, etiam æs alienum adhibuiſſet: & ſæpe materiam malis moribus præſtaret, qui pecuniam (ne quid amplius diceretur) incertis nominibus crederet; placere, ne cui, &c.* Id eſt: *Et cum ſæpe materiam malis moribus præſtaret is, qui pecuniam incertis nominibus crederet.* Veroſimilior tamen videtur ſenten-

ſententia eorum, qui Macedonem, fœneratorem, non filiumfamilias, fuiſſe dicunt: ad illum enim aptius & convenientius hæc referas, *qui pecuniam incertis nominibus crederet.* Neque huic ſententiæ repugnant verba præcedentia: *Cum inter ceteras ſceleris cauſas Macedo, quas illi natura adminiſtrabat, etiam æs alienum adhibuiſſet.* Ibi enim *æs alienum*, pro pecunia aliis credita accipi debet: in qua repetenda, cum debitores ſuos magnopere vexaret Macedo, eos ad turpia & nefaria cogebat. Similiter *τὸ debitum*, tam de pecunia quæ nobis, quam de ea quæ a nobis debetur, uſurpatum paſſim invenire eſt. Sed & *τὸ æs alienum*, de debito dici, tam activo quam paſſivo, ut ita loquar, notavit Carolus Stephanus in Dictionario.

MAGISTER. MAGISTRATUS.

Paulus, lege 57. de Verborum ſignificatione: *Cui præcipua cura rerum incumbit, & qui magis quam ceteri diligentiam & ſollicitudinem rebus, quibus præſunt, debent, hi* Magiſtri *appellantur. Quin etiam ipſi Magiſtratus per derivationem a* Magiſtris *cognominantur. Unde etiam cujuslibet diſciplinæ Præceptores* Magiſtros *appellari* a monendo, *vel* monſtrando. ¶ Similiter Paulus, Feſti Abbreviator: MAGISTERARE, *regere & temperare eſt.* MAGISTRARE, *moderari. Unde* Magiſtri, *non ſolum doctores artium, ſed etiam pagorum, ſocietatum, vicorum, collegiorum, equitum,*

tum, dicuntur: quia omnes hi magis ceteris poſſunt. Unde & Magiſtratus, *qui per imperia potentiores ſunt, quam privati,* &c. Non abſimiliter Varro libro IV. de Lingua Latina: *Magiſter Equitum: quod ſumma poteſtas hujus in Equites, & Adcenſos: ut eſt ſumma Populi Romani, Dictator: a quo is quoque* Magiſter Populi *appellatus. Reliqui, quod minores quam hi Magiſtri, dicti* Magiſtratus: *ut ab* albo, albatus. Antonius Goveanus de Juriſdictione libro 2. *Magiſtratus, propriè urbani ſunt. Inde dicti, quod quidam veluti Populi magiſtri ſunt. Unde Dictator, qui ſummam poteſtatem habebat, Magiſter Populi appellatur a Marco Tullio libro 3. de Legibus.* ¶ MAGISTRATUS autem, eſt a ſupino verbi *magiſtrare: magiſtrare* vero, a *magiſter: magiſter,* a *magis.* Nugatur more ſuo Iſidorus, qui *Magiſtrum* inde dictum putat, quod major in ſtatione ſit. MAGIS autem, a Græco *μᾶλλον*; ſi Feſto fides. Sed non ego credulus illi. *Magis*, eſt a Græco *μέγας*: pro quo, *μέγις* dictum fuiſſe, apparet ex ſuperlativo *μέγιστος*. Aut, a Latino *majus:* unde ei opponitur *minus. Majus* autem, a *μάζον*: quod pro *μεῖζον* Veteres uſurparunt. Inde apud Heſychium & Galenum, in Gloſſariis, *μᾶσσον*, eſt, *πλέον, μεῖζον.* Et Μαζεὺς, Phrygiorum lingua, eſt, ὁ Ζεύς. Sic autem *τὸ magiſter, ἀπὸ τοῦ magis* formatum fuit. *μέγας, μέγις, magis: μέγιστος, μεγίστερος, magiſter:* ut *ἀρίστερος, ſiniſter: μεῖστος, μέϊστος, μεΐστερος, μενίστερος, miniſter.*

A *μέ-*

A *μέγιςος*, eſt quoque *μεγιςᾶνες*, vox a Phrynico improbata. Similiter Latinum *magnates*, Latinum non eſt. Qua de re audiendus vir doctrinæ excellentis, Olaus Borrichius, in Cogitationibus de variis Linguæ ætatibus, ubi de voce *magnalia: Ceterum, ut pro illa voce non pugnaverim vehementer, ita mirari non deſino, cur pæne omnes vocabulum* Magnates *hodie tamquam Latinum admittant, agnoſcant, uſurpent, cum neque Forum Romanum faveat; nec ceteri Lexicographi auctoritate certa confirment. Primus mibi ſcrupulum hunc injecit Pariſiis, vir optimus & literatiſſimus, Ægidius Menagius, cum ante, conſuetudine vulgi abreptus, de integritate vocis communiſſimæ ne dubitandum quidem cenſerem. Ex eo, cum inter legendum, ſæpe apud Ciceronem, Livium, alioſque,* Optimates: *& apud Plautum,* Summates *invenirem; apud Virgilium & Horatium,* Primores; *nusquam* Magnates; *damnare cœpi vulgi cacoëthes. Neque hactenus invenio, quemadmodum deſperato prope vocabulo ſuccurri queat, niſi in Saxis Marmoribusque quærenda ſalus. Proinde, ſi vacat, recognoſcat mecum illuſtris Menagius antiquam illam Inſcriptionem a Demſtero allatam in Antiquitatibus Romanis Roſini, l. 2. Paralip. ad cap. 12.* Manſiones Palatinorum Saliorum a Veteribus, ob armorum Magnatium cuſtodiam, conſtitutas: longanimitate neglectas; pecunia ſua reparaverunt Pontifices Veſtæ VV. CC. Promagiſtro, Proti, Lacilii, Lucilii. De ea Inſcriptione alius

alius erit nobis dicendi locus. Interim hic legentes monebimus, τὸ *longanimitas*, non magis Latinum eſſe, quam τὸ *magnates.*

MANCIPIUM.

Florentinus, lege 4. de Statu Hominum: *Mancipia vero dicta, quod ab hoſtibus manu capiantur.* Et Juſtinianus in Inſtitutionibus, Tit. de Jure perſonarum: *Servi autem ex eo appellati ſunt, quod Imperatores captivos vendere, ac per hoc ſervare, nec occidere ſolent: qui etiam* mancipia *dicti ſunt, eo quod ab hoſtibus manu capiantur.* Et Donatus in Adelphos II. I. *Mancipia dicuntur, quod manu capta ſint.* Recte. Similiter Varro libro v. de Lingua Latina: *A manu*, manupretium: mancipium, *quod manu capitur.* Et Iſidorus IX. 4. MANCIPIUM *eſt, quidquid manu capi, ſubdique poteſt: ut homo, equus, ovis. Hæc enim animalia ſtatim ut nata ſunt, mancipium eſſe putantur. Nam & ea quæ in beſtiarum numero ſunt, tunc videntur mancipium eſſe, quando capi ſive domari cœperint.* Ita *manceps*, quod manu capiat. Ut *municeps*, quod munia; *forceps*, quod ferrum, vel ut Scaliger ad Priapeja, quod formum, id eſt, calidum ferrum; *auceps*, quod aves capiat.

MILES.

Ulpianus, lege I. de Teſtamento Militis: *Miles autem appellatur, vel a militia, id eſt, duritia,* *quam*

quam pro nobis ſuſtinent: aut a multitudine: aut a malo, quod arcere Milites ſolent: aut a numero mille hominum: ducitum a Græco verbo; tractum a tagmate. nam Græci mille hominum multitudinem τάγμα *appellant: quaſi millesimum quemque dictum. unde ipſum ducem* χιλίαρχον *appellant.* ¶ Quot ſententiæ, tot nugæ; quamquam etiam Varro libro IV. de Lingua Latina, *Militem* dictum a *malitia* exiſtimat: & *Milites, quod trium millium primo legio fiebat; ac ſingulæ tribus, Tatienſium, Ramnium, Lucerum, millia ſingula militum mittebant:* & quamquam Eutropius libro I. Rerum Romanarum ſcribat Romulum mille pugnatores delegiſſe, quos a numero *Milites* appellarit. Non melius Ælius Stilo, apud Feſtum, *Militem* a *mollitie*, per antiphraſim, eo quod nihil molle, ſed potius aſperum quid gerat, deducebat. Inepte quoque Iſidorus IX. 3. *Militia autem a* militibus *dicta*; (an legendum *a millibus?*) *aut a* multis *quaſi* multitia, *quaſi* negotium multorum: *aut a* mole rerum, *quaſi* moletia. ¶ Græca eſt origine: a *μίλαξ*, quod *τὸν δημοτικὸν* ſignificat, teſte Heſychio: hoc eſt, *popularem*. Quo ſenſu *πρυλεῖς*, & multitudinem populorum, & milites, teſte eodem Heſychio, Veteres appellarunt. *πρυλεῖς*, inquit, *οἱ μὲν πολλοὺς λαούς. οἱ δὲ, προμάχους, ἢ πεζοὺς ὁπλίτας ἀθρόως.* Atque inde in Veteribus Gloſſis: *populares. στρατιῶται.* Fallitur Philippus Rubenius, qui Electorum libro I. capite 14. emendare tentat, *πατριῶ-*

τρiῶται, vel, ὐ ϛρατιῶται. Etiam hodie apud nos armatam popularium multitudinem *Militias* appellamus. Ex *μίλαξ* factum eſt *milex:* ut *ſorex*, ex ὕραξ: (Ita Æoles murem, a ſimilitudine roſtri ſuilli, teſte Nicandri Scholiaſte, appellabant:) ut *pellex*, ex πάλλαξ: & deinde *miles*, ex *milex.* ξ in S: ut *trabes*, ex τράφαξ: *nugas*, ex *nugax: dies*, ex δίαξ. Alias *Militis* originationes; ſed minus veroſimiles; videſis apud Voſſium in Etymologico.

MISCELLA. *Lex Julia Miſcella.*

Juſtinianus, Novella 22. cap. 43. ὁ γὰρ καλȣ́μενος Julios Miſcellas παλαιὸς νόμος, ἀρχαῖος, τὸ τῆς παιδοποiίας προβαλλόμενος σπȣ́δασμα, ἐπέτρεπε ταῖς γυναιξὶν, &c. ἀλλὰ ταύτην δὴ τὴν προσθήκην ȣ̓κ αὐτὸς ὁ Julios Miſcellas ἐξεῦρεν, ἀλλὰ Quintos Mutios Scevolas προνομοθετήσας ἐτύγχανεν, &c. *Lex enim quæ vocatur* Julia Miſcella; *lex antiqua, lex vetuſta; filiorum procreationis præponens ſtudium, permittebat mulieribus, &c. Sed hanc quoque adjectionem ipſe Julius Miſcellus haud invenit, ſed Quintus Mutius Scævola hoc præſanciverat, &c.* ¶ Ita Latinus Interpres: unde Johannes Robertus Animadverſionum libro 1. capite 2. colligebat Legem hanc Juliam Miſcellam, ab illius auctore & latore Julio Miſcello nomen habuiſſe. Contra Cujacius in Mercatore, ſive in Notatis ad libros Animad-

U verſi-

verſionum Roberti, Robertum hallucinatum ait. *Nam neque*, inquit, *Juſtinianus* Miſcello *dixit*, *ſed* Miſcella: *neque latorem intellexit*, *cum dixit*, ἀλλὰ ταύτην δὴ τὴν πϱοϑήκην ȣ̓κ αὐτὸς ὁ ἰȣ́λιος Μισκέλλας ἐξεῦϱεν, *ſed Legem ipſam: ut paulo ante dixit*, ἰȣ́λιος Μισκέλλας, παλαιὸς νόμος. νόμος *dixit*, *non* νομοϑέτης. *Ex quo efficitur Juliam Miſcellam non ducere nomen a Julio Miſcello. Neque vero ulla Lex ducit nomen ab uno latore duplex. Nec auſis dicere duos eſſe latores; Julium*, *&* *Miſcellum; quia nulla fuit Romæ gens*, *aut familia*, *Miſcella: & a Latorum gentilicio nomine Leges nomen accipere ſolent. Quamobrem*, *ut Legem Papiam*, Decimariam *dicimus; & Legem Juliam*, Caducariam; *aut* Viceſimariam, *aut* Judiciariam, *aut* Theatralem, *a re*, *qua de lata eſt; ita* Miſcellam *ſimiliter dici veroſimilius eſt*, *a varietate plurium rerum*, *ac perſonarum utriusque ſexus: ut l.* Heres, §. *ultimo de Conditionibus & Demonſtrationibus; l. 3. C. de Indicta viduitate tollenda: ut Siculo Flacco* æs miſcellum *dicitur*, *lex*, *ſive forma ænea: a multorum agrorum modo*, *multarumque perſonarum*, *qui ſibi acceptas defendunt*, *numero confuſe in ea deſcripto: quaſi miſcella & confuſanea lex; ut* miſcellam *quoque &* confuſaneam *doctrinam Agellius dixit: qualis tua eſt: & tu ipſe*, *miſcellio. Denique* Lex Miſcella *dicitur*, *ut* Lex Satura: ὁ νόμος, πολλὰ πεϱιέχων. Optime: & ita quoque Antonius Auguſtinus: cujus hæc ſunt verba

verba in libro de Legibus & Senatusconſultis: JULIA MISCELLA, *ab Julio Miſcella dicta eſt, ut Juſtinianus ſignificare videtur* XXII. *Novella. Non deſunt tamen, qui interpretentur hujus Legis cognomen, non a Latore Legis acceptum; ſed a mixtis multarum rerum capitibus, ut* Satyram: *quod mihi non diſplicet. Nam & id cognomen Juliæ gentis nuſquam legi: & ut eſſet, potuit ab hac Lege emanare,* ut Annalis *cognomen.* Miſcellos ludos *Suetonius, in Caligula, factos refert; eadem fortaſſe ratione appellatos.* Et fruſtra eſt Robertus, qui in Notis ad Notata Mercatoris ſententiam ſuam contra Cujacium adſtruere conatur.

MONUMENTUM.

Ulpianus, lege 2. §. 6. de Religioſis & ſumptibus funerum: MONUMENTUM *eſt, quod memoriæ ſervandæ gratia exiſtat.* Florentinus, lege 42. eodem titulo: MONUMENTUM, *generaliter res eſt memoriæ cauſſa in poſterum prodita: in qua ſi corpus, vel reliqua, inferantur, fiet ſepulchrum: ſi vero nihil eorum inferatur, erit monumentum memoriæ cauſſa factum, quod Græci κενοτάφιον appellant.* ¶ A *monendo* videlicet τὸ *monumentum* deductum crediderunt Ulpianus & Florentinus. At vero Hadrianus Imperator a *muniendo.* MONUMENTUM *autem ſepulchri id eſſe Divus Hadrianus reſcripſit, quod monumenti, id eſt, cauſſa muniendi ejus loci factum ſit, in*

quo corpus impoſitum ſit. Verba ſunt Macri in lege 37. titulo eodem. Vera eſt Ulpiani & Florentini originatio: cujus quoque meminit Varro libro 3. de Lingua Latina. MONERE, inquit, *a* memoria: *quod is qui monet, proinde ſit ac memoria. Sic* monimenta, *quæ in ſepulchris. Et ideo ſecundum viam: quo prætereunteis admoneant, & ſe fuiſſe, & illos eſſe mortaleis. Ab eo, cetera, quæ ſcripta ac facta memoriæ cauſſa,* MONIMENTA *dicta.* Videlicet, ut a *doceo*, eſt *documen;* unde *documentum;* ſic a *moneo*, *monumen;* unde *monumentum:* pro quo poſteriores dixere *monimentum:* U in I converſo: ut *optimus*, & *maximus*, & *lacrima*, ex *optumus*, & *maxumus*, & *lacruma.* Inepte Servius ad XII. Æneidos. MONUMENTA, *ſunt memoriæ.* MONIMENTA *vero, a mentis admonitione ſunt dicta.*

MUNDUS MULIERIS.

Ulpianus lege 25. de Auro, argento, mundo, ornamentis, &c. legatis: *Mundus mulieris*, (melius legeretur *muliebris*,) *quo mulier mundior ſit. Continentur eo, ſpecula, matulæ, unguenta, vaſa unguentaria, & ſi qua ſimilia dici poſſunt: veluti labatio, riſcus. Ornamentorum hæc: vittæ, mitræ, ſemimitræ, calantica, acus cum margarita, quam mulieres habere ſolent, reticula, crocufantia. Sicut & mulier poteſt eſſe munda, non tamen*

ornata:

ornata: ut ſolet contingere in his, quæ ſe emundaverint, lotæ in balneo, neque ſe ornaverint: Et contra, eſt aliqua ex ſomno ſtatim ornata, non tamen commundata. ¶ Similiter Varro: MUNDUS MULIEBRIS, *dictus* a munditia. ORNATUS, *quaſi* ab ore natus. *Hinc enim maxime ſumitur, quod eam deceat. Itaque ob id paratur ſpeculum.* Et Tertullianus de Cultu feminarum, cap. 4. *Habitus feminæ duplicem ſpeciem circumfert: cultum & ornatum.* Cultum *dicimus*, *quem* mundum muliebrem *vocant:* ornatum, *quem* immundum muliebrem *convenit dici. Ille, in auro, & argento, & gemmis, & veſtibus deputatur: iſte, in cura capilli, & cutis, & earum partium corporis, quæ oculos trahunt.* Ceterum, in recitatis Ulpiani verbis, pro *non tamen commundata*, legerat Grotius *non tamen commodata:* pro quo legendum monet, *non tamen emundata:* quod *lota* interpretatur. *Commundata* rectum eſt. Gloſſæ Veteres. *Commundat.* καθαίρει. Columella libro XII. cap. 18. *aqua eluenda ſunt, & commundanda.*

MUNIFICI. MUNICIPES.

Paulus, lege 18. de Verborum ſignificatione: *Munus, tribus modis dicitur; uno, donum, &c. Tertio, officium: unde* munera militaria, *& quosdam milites* munificos *vocari. Igitur* municipes *dici, quod munera civilia capiant.* ¶ Optime: &

ita Gellius XVI. 13. MUNICIPES, *ſunt cives Romani ex municipiis, legibus ſuis & ſuo jure utentes, muneris tantum cum Populo Romano honorarii participes: a quo munere capeſſendo, appellati videntur.* Sed aliter Siculus Flaccus: *Municipia, quidam putant a munitionibus, alii a munificentia, eo quod munificæ eſſent civitates.* Ceterum, pro *milites munificos*, legendum apud Paulum *milites munifices*, veriſimili conjectura Budæus & Grotius exiſtimarunt. Ita enim eſt apud Vegetium l. 2. c. 19. *Faſcicularia tamen, id eſt, lignum, fœnum, aquam, ſtramen, etiam legitimi milites in caſtra portabant.* Munifices *enim ab eo appellantur, quod hæc munia* (alias *munera*) *faciant.* Et capite 7. ejusdem libri: *Hi ſunt milites principales, qui privilegiis muniuntur. Reliqui* munifices *appellantur, quia munera facere militiæ coguntur.* Etiam apud Soſipatrum: *Munifex, munere fungitur.* Et apud Feſtum: *Munifices vocabantur, qui non vacabant, ſed munus Reipublicæ faciebant.*

MUTUUM.

Paulus, lege 2. de Rebus creditis: *Appellata eſt autem mutui datio ab eo, quod de meo tuum fit: & ideo ſi non fiat tuum, non naſcitur obligatio.* Non abſimiliter Nonius Marcellus, capite de Differentiis verborum: MUTUUM a FENORE *hoc diſtat, quod mutuum ſine uſuris, fenus cum uſuris, ſumi-*

ſumitur, &c. *Unde honeſtius mutuum, quod ſub amico affectu fiat meum tuum, uſu temporis neceſſarii.* Et Iſidorus v. 25. MUTUUM, *appellatum eſt, quia id quod a me tibi datur, ex meo tuum fit.* Sed aliter, & longe melius; immo optime; doctiſſimus Varro libro IV. de Lingua Latina: *Si datur*, inquit, *quod reddatur, mutuum eſt; Mutuum, quod Siculi μοῖτον. Ita ſcribit Sophron: μοῖτον ἀνατίθημον.* Quo loco Scaliger emendabat, *μοῖτον ἀντίτιμον.* hoc eſt, *par pari:* nam *ἀντίτιμα, τὰ ἄποινα.* Emendabat & apud Heſychium; qui hujus vocis meminit; Μοῖτον *ἀντίτιμον, παροιμία* Σικελοῖς. *ἡ γὰρ χάρις, μοῖτος· μοῖτον, χάριν.* Vulgo apud Heſychium legitur, *μοῖτοι, ἔντιμοι, παροιμία* Σικελοῖς, *ἡ γὰρ χάρις μοῖτον οἰνοχάριν.* Varronis tamen veriſſimam etymologiam rejicit magnus Cujacius: cujus hæc ſunt verba in Obſervatione 35. libri XI. *Verum, ut ad mutui originem redeamus, quod dicitur mutuum ſic appellari, quod* de meo fiat tuum *ſcite dicitur magis, quam vere, &c. Atque ita* mutuum, *ſi verum amamus, a* mutatione *potius nomen habet, quod mutetur hoc genere pecunia cum pecunia, dum par quantitas accipitur & redditur, quodque conſiſtat in his rebus, quæ facile mutationem & promiſcuum uſum recipiunt. Hæc nominis origo verior, quam quæ traditur a Juriſconſultis: vel quæ a Varrone, a Siculo verbo μοῖτον: ut illo Sophronis loco, μοῖτον ἔνλιμον: cui ſimilis Heſychii ille, μοῖτοι ἔνλιμοι, incorruptus:*

nam & eidem ſunt ἀμείπ]αι, ἔντιμοι. Proverbium autem Siculorum quod adfert, ſic emendo, Ἡ *χάρις μοῖτον οἴσει χάριν. Ceterum, (ut de* leporis *nomine idem Varro ſcribit) Siculi, quod Romæ ſint orti,* mutui *nomen potius inde tulerunt quam illinc Latini. Idemque de* unciæ & nummi *nomine dici poteſt, quod Pollux Siculorum eſſe ſcribit.* Cujacii in ſententia video eſſe doctiſſimum Turnebum Adverſ. lib. x. cap. 25. *Mutuum,* inquit, *a* mutatione *nomen habet. Nam quod ajunt ex eo dici, quia ex meo tuum fiat, belle magis & ſcite, quam vere dictum arbitror.* Quin & eam ceteris præfert Voſſius in Etymologico: cum propter analogiam, (nam a *muto*, *mutuum*; ut a *paſco*, *paſcuus*, a *fari*, *fatuus*; ab *irrigo*, *irriguus*; a *noceo*, *innocuus*) tum quia ſimiliter Græci *ἀμοιβαῖον*, *mutuum* appellant: ab *ἀμείβω*, hoc eſt, *muto*, *alterno.* Mihi Varroniana etymologia omnino arridet. Et Varroni in hac re, (inquit, in libro de Uſuris; qui & ipſe in Varronis ſententia eſt; Etymologiarum peritiſſimus Salmaſius) eo magis credendum eſt, quod nonniſi invitus ſolet Romanarum dictionum origines e Græco arceſſere: adeo ut plerumque ineptire malit, quam veras origines fateri. Ex ſubſtantivo *μοῖτον*, quod eſt *χάρις ἀμοιβὸς*, factum eſt *μοιτᾷν*, a quo Latinum *mutare:* a verbo deinde *mutare*, factum *τὸ mutuum:* ut a *paſco*, *paſcuum*; a *divido*, *dividuum*, & ſimilia, ut recte idem Salmaſius ibidem. Quod adeo verum eſt, inquit, ut Græci *ἀμοιβῆς* nomi-

nomine, quod æquivalet Siculorum *μοίτῳ*, mutuum, ſive rem mutuo datam, appellarint, teſte Heſychio. Verba Heſychii ſunt: *ἀμοιβαί, χάριτες καὶ τιμωρίαι, ἀνταποδόσεις καὶ ἐκτίσεις, χρέα.* Hæc eſt vera *mutui ἐτυμότης.* Potuit & hæc vox ſic formata fuiſſe: *μοῖτος, μοιτέος, μοιτέον, mutuum.* Sic a *τέον, tuum.* Ceterum, in loco Heſychii idem Salmaſius ibidem emendare conabatur, *μοῖτον, ἔντιμον. χάρις, τιμία Σικελοῖς· ἡ γὰρ χάρις, μοῖτον· τιμία, χάρις.* Mihi magis placet Lindenbrogii emendatio: *μοῖτοι ἀντὶ μοίτων. παροιμία Σικελοῖς.* ut ſit *μοῖτος ἀντὶ μοίτου* Siculis, quod Latinis *par pari.* Eum vide ad Eunuchum Terentii: ubi apud Varronem, reponit ſimiliter, *μοῖτον ἀντὶ μοίτου*: & apud Lucianum, in Imaginibus, *μοῖτον ἀντὶ μοίτου ἀμείψαι, αὐτῷ τῷ μέτρῳ, φασὶν, ἢ καὶ λῷον*: pro eo quod vulgo legitur, *μῦθον ἀντὶ μύθου*, &c.

NOVATIO.

Ulpianus, lege 1. de Novationibus: *Novatio enim a* novo *nomen accepit, &* a *nova obligatione.* ¶ Vero verius. *Novum* autem, eſt a *νέον*, inſerto digamma Æolico, quod in v conſonans mutarunt Latini. Qua de re infra pluribus in *Rivus.*

OCCIDERE.

Julianus, lege 5. ad Legem Aquiliam: *Ita vulneratus eſt ſervus, ut eo ictu certum eſſet moritu-*

 rum:

rum: medio deinde tempore heres inſtitutus eſt, & poſtea ab alio ictus, deceſſit. Quæro, an cum utroque de occiſo lege Aquilia agi poſſit? Reſpondit: Occidiſſe dicitur vulgo quidem, qui mortis cauſam quolibet modo præbuit; ſed lege Aquilia is demum teneri viſus eſt, qui adhibita vi, & quaſi manu, cauſam mortis præbuiſſet: tracta videlicet interpretatione vocis a cædendo, *& a* cæde. ¶ Τὸ *occidere* a *cadere* factum ignorat nemo. Sed unde τὸ *cadere?* Scaliger de Cauſis L. L. l. 1. c. 29. a καίνειν deducit: mutatione N. in D: ut τείνω, τέννω, *tendo.* Καίνειν eſt *occidere.* Euripides: ἐκάνετε, ἐκάνετε τῶν Ἑλλήνων τὸν ἄριστον. Placet. *Caidere.* dicebant Veteres. Vide infra in *Pellex.*

OPPIDUM.

Pomponius, lege 239. de Verborum ſignificatione: OPPIDUM, *ab* ope *dicitur: quod ejus rei cauſa mœnia ſint conſtituta.* ¶ Similiter ceteri Scriptores. Varro lib. IV. de Lingua Latina: *Maximum ædificium eſt* OPPIDUM, *ab* ope *dictum; quod munitur opis cauſa, ubi ſit; & quod opus eſt ad vitam gerendam, ubi habitent tuto.* Addit: *vel* Oppida, *quod opere munibant mœnia, quo munitius eſſent.* Feſtus: OPPIDUM, *dictum eſt, quod opem præbet.* OPPIDUM, *dictum, quod ibi homines opes ſuas conferunt.* Servius in IX. Æneid. *Alii* oppidum *dici ab oppoſitione murorum; vel quod hominibus locus eſſet oppletus: vel quod*

quod opes illò munitionis gratia congeſta ſunt. Etiam Cicero; ſed jocoſe; Feſto teſte. Feſti verba hæc: OPPIDORUM *originem optime refert Cicero libro primo de Gloria: eamque appellationem uſurpatione appellatam eſſe exiſtimat, quod opem darent; adjiciens, ut imitetur ineptias Stoicorum.* Amplius cogitandum. An ab ὄλπος, quod *collem* ſignificaſſe, vero ſimile eſt? nam Etymologus: ὄλπια, τὰ ὄρη, τὰ διείροντα Ἰταλίαν καὶ Κελτικήν. Igitur ὄλπιος & ἄλπιος, idem; ἄλπιος autem ut ἄλπις, (unde *Alpes*) eſt *excelſus*: quod pluribus obſervamus in Originibus noſtris Gallicis. *Oppidum* autem, ab ὄλπος, ita formatum videtur: ὄλπος, ὄλπιος, ὀλπιδνός, ὄλπιδος, *oppidus*, OPPIDUM: id eſt, ὄλπου ὄγκος. Ejusdem originis videtur quibusdam eſſe & τὸ *urbs.* ὄλπις, ὄλβις, ὄρβις, ὄρψ, *urbs.* Oppida antiquitus in locis excelſis poni ſolita, nemo eſt qui neſciat. Vide infra in *Urbs.*

PACTUM. PAX.

Ulpianus, lege I. de Pactis: PACTUM *autem* a pactione *dicitur. Inde etiam* pacis *nomen appellatum eſt.* ¶ *Pactum*, *pactio*, & *pax*, ſunt a *pago*: quod a Dorico πάγω, pro *pango*, dixere Veteres. Priſcianus lib. x. *Antiqui* pago *quoque dicebant pro* paciſcor. Occurrit hæc vox apud Ciceronem in Rhetoricis ad Herennium: *Rem ubi pagunt, oratione pagunt.* Item in lege XII. Tabu-

Tabularum, & apud Quintilianum libro I. cap. I. *Pactum*, eſt ſupinum infinitivi *pacere*. *Pactum*, a *pacere*; ut ab *agere*, *actum*; *factum*, a *facere*. Inſulſe Iſidorus libro IV. capite 24. *quaſi ex pacé factum*. *Pax* vero, contractio eſt τȢ *pacis*, vel τȢ *pagis*: quod in recto, a *pago*, dixere Veteres. Minus recte Scaliger de cauſis L. L. a πάνω.

PANNICULARIA.

Ulpianus, lege 6. de Bonis damnatorum: *Divus Hadrianus Aquilejo Braduæ ita reſcripſit:* Pannicularia cauſa quemadmodum intelligi debeat, ex ipſo nomine apparet, non enim bona damnatorum pannicularia ſignificari quis probe dixerit: nec ſi zonam circa ſe habuerit, protinus aliquis ſibi vindicare debebit: ſed veſtem qua is fuerit indutus, aut numulos in ventralem, quos victus ſui cauſa in promptu habuerit, aut leves annulos: id eſt, quæ rem non excedunt aureorum quinque. Alioquin, ſi quis damnatus digito habuerit, aut ſardonychica, aut aliam gemmam magni pretii, vel ſi quod chirographum magnæ pecuniæ in ſinu habuerit, nullo jure illud in pannicularia ratione retinebitur. PANNICULARIA *ſunt ea, quæ in cuſtodiam receptus ſecum attulit ſpolia: quibus indutus eſt, cum quis ad ſupplicium ducitur: ut & ipſa appellatio oſtendit.* ¶ Tò *pannicularia*, eſt *a panicula*; *panicula*, a *panica*: *panica*, a *panus*. Feſtus: PANUS, *facit deminutivum* panicula. *Panus*

nus autem, ſive *pannus*, eſt a Dorico πᾶνος, pro πῆνος: id eſt, *textum*. Heſychius: πῆνος, ὕφασμα. Inde πῆνος, primum, pro coma textili; & deinde pro quavis coma: qua poſtrema notione uſurpatur in Veteri Epigrammate Græco, quod Thebis in Templo Sancti Lucæ legitur, & quod nuper Dulerus edidit, in ea quam de ſua in Græcia peregrinatione ſcripſit ad me Epiſtola.

Πῆνος μὲν γενετῆρες (ἐπεὶ γέρας ἐςὶ θανȣ̃σι)
Κείροντες, κλαιεσκον ἀναιϑήτῳ ἐπὶ τύμϐῳ.
Comam parentes (is enim habetur honor mortuis)
Tondentes, plorabant inſenſibile circa ſepulchrum.

Inde & πηνίκη, pro coma additiția. πῆνος, πηνίον πηνίκη. Id eſt, τὸ πύκνωμα: τὸ ἐκ τριχῶν σύςημα: Gallice, *une treſſe de cheveux*. Inde *capillamentum* Latinis, pro coma illa περιϑετῇ. Suetonius in Caligula, cap. XI. *quin & ganeas, atque adulteria, capillamento celatus, & veſte longa noctibus obiret.* Petronius: *Evocatumque me non minus decoro exornavit capillamento.* Tertullianus de Cultu feminarum, capite 12. acute ut ſolet: *Affigitis præterea neſcio quas enormitates ſutilium capillamentorum: nunc in galeri modum, quaſi vaginam capitis, & operculum verticis. Perrucam*, ſimiliter, a *pilo*, Itali & Galli appellant. *Pilus, pelus;* unde Italicum *pelo; pelutus, peluticus, peruticus, perucus, perrucus*, PERRUCA. Qua de re nos pluribus in Originibus Italicis. ¶ Ab eodem πῆνος, eſt Lati-

Latinum *panicum*, pro eo frugum genere, quod Græcis ἔλυμος. Panicum, eſt lanugine obſitum. Plinius libro 18. capite 7. *Panicum, a paniculis dictum, languide nutando, &c.* Inde & *pannicula*, pro coma illa lanoſa in plantis, quam Græci ἀνθήλην appellant. ¶ πῆνος autem, eſt a πάω; *denſo, neo*, πάω, πάος: unde πᾶς, i. e. ἀθρόος, πυκνὸς, *confertus, denſus.* πάω, πήω, πήνω, *denſo.* πήνω, πῆνος, πηνίω, πηνίζω, πηνίζομαι.

Ceterum, valde notandum quod ait hoc loco Ulpianus, pannicularia eſſe, quæ in cuſtodiam receptus ſecum attulit ſpolia, & quibus indutus eſt, cum ad ſupplicium ducitur: Neque enim ante ſupplicium veſtibus exui debet. Narrat Ammianus lib. 28. Carnificem, vivum exuſtum, quod feminæ cuidam primariæ, quam ad mortem ducebat; indumento, quo veſtita erat, abrepto; ne velamen quidem ſecreto membrorum ſufficiens, retinere permiſiſſet.

PECULIUM.

Ulpianus, lege 5. de Peculio: PECULIUM *dictum eſt, quaſi puſilla pecunia, ſive patrimonium puſillum.* ¶ Inde Gloſſæ Baſilicorum: πεκούλιον. ὡσανεὶ μικρὸν οὐσίδιον. *Peculium* autem; ut & *pecunia*; formatum a *pecu.* Feſtus: *Peculium Servorum, a pecore item dictum eſt, ut pecunia Patrumfamiliæ.* Plutarchus in Publicola; ubi de Romanis: καὶ τὰς οὐσίας ἄχρι νῦν ἀπὸ τῶν προβάτων ΠΕΚΟΥ̓ΛΙΑ καλοῦσι. Iſidorus XV. 17.

PECU-

PECUNIA, *prius de pecudibus & proprietatem habebat & nomen: de corio enim pecudum nummi incidebantur, & ſignabantur.* Et deinde: *Omne patrimonium apud Antiquos* peculium *dicebatur, a* pecudibus, *in quibus eorum conſtabat univerſa ſubſtantia. unde &* pecuarius *dicebatur, qui erat dives: modo vero* pecunioſus. Gloſſarium: *Pecunia* χρήματα· ἀπὸ τιμῆς κτηνῶν. Inde & *peculatus.* Feſtus: PECULATUS, *furtum publicum dici cœptus eſt a* pecore, *quia ab eo initium ejus fraudis eſſe cœpit: ſi quidem ante, æs, aut argentum ſignatum, ob delicta, pœna graviſſima erat duarum ovium, & triginta boum. Peculium* igitur; ut & *pecunia;* a *pecudibus.* Similiter Varro. *pecudes* autem a ποκάδες: ut recte ad Varronem Scaliger.

PELLEX.

Paulus, lege 144. de Verborum ſignificatione: *Libro Memorialium Maſſurius ſcribit, Pellicem apud Antiquos eam habitam, quæ cum uxor non eſſet, cum aliquo tamen vivebat: quam nunc vero nomine Amicam, paulo honeſtiore Concubinam appellari. Granius Flaccus in libro de Jure Papiriano ſcribit, Pellicem nunc vulgo vocari, quæ cum eo cui uxor ſit, corpus miſceat: quosdam eam, quæ uxoris loco ſine nuptiis in domo ſit, quam* παλλακὴν *Græci vocant.* ¶ *Pellex*, eſt a Græco πάλλαξ. Nonius Marcellus de Proprietate Sermonis: PELLICIS

LICIS *a Græco vocabulo ſignificantiam Sapientes inflexam putant: quaſi* πάλλαξ: *hoc eſt, ut* παλλακίς. *Quod ſi hoc non eſt, vana compoſitio nominis videri poteſt.* Quo loco; ut hoc obiter dicam; Sapientes, pro Juriſconſultis videtur Nonius poſuiſſe. Sed ad propoſitum. Gellius libro IV. cap. 3. *Servius quoque Sulpicius in libro quem compoſuit de Dotibus, &c.* pellicem *autem appellatam, probroſamque habitam, eam, quæ juncta conſuetaque eſſet cum eo, in cujus manu mancipioque alii matrimonii cauſſa foret, hac antiquiſſima Lege oſtenditur, quam Numæ Regis fuiſſe accepimus:* PELLEX ARAM JUNONIS NE TAGITO: SI TAGET, JUNONI, CRINIBUS DEMISSIS, AGNUM FEMINAM CAIDITO. Pellex *autem, quaſi* πάλλαξ, *id eſt,* παλλακίς. *Ut pleraque alia, ita hoc quoque vocabulum de Græco flexum eſt.* ¶ Pro πάλλαξ, uſurpatum & πάλληξ. Gloſſæ Veteres: πάλληξ, *pupa, pupula:* atque inde Latinum *pellex:* A πάλλαξ autem, genitivo τοῦ πάλλακος eſt παλλακὶς, & παλλακὴ, & παλλάκιον, & παλλακία, & παλλακεύεσθαι. Etymologus: παλλακίς. ἡ παῖς, κατὰ Δωριεῖς, πάλλαξ λέγεται. ἡ παῖς, id eſt, *puella.* Euſtathius ad Iliados ἰῶτα pag. 763. 20. ἰστέον δὲ, ὅτι, νεωτάτη δοκεῖ εἶναι ἡ ἁπλῶς παλλακή. Pergamus. Gloſſæ Veteres: παλλακή *concubina, ſuccuba, pellex, catuleſter.* Corrige, *catulaſter.* Eædem: παλλάκιον. *concubinatus.* Corrige, *concubinus.* Heſychius: παλλάκιον.

μει-

μειράκιον. Eædem Gloſſæ Veteres: *παλλακία*, *concubinatus*. *Antillare*. *θηλεύεσθαι*, *παλλακεύεσθαι*. Corrige. *Ancillare*. *θητεύεσθαι*. Pro *παλλακεύεσθαι*, emendat Guietus *κολακεύεσθαι*. Legitur in iisdem Gloſſis: *Pælex*. *ζηλή*, *παλλακή*: pro quo legendum, *Pellex*. *ζήλη*, *παλλακή*. Legendum in iisdem &, *ζήλη*, *pellex*: non *pellix*. ¶ Eſt vero Græcum *πάλλαξ*, ab Ebræo פילגש voce ejusdem ſignificationis, ut recte Voſſius in Etymologico.

Ad differentiam vero *amicæ*, *pellicis*, & *uxoris*, quod attinet, audiendus Demoſthenes in Oratione in Neæram: *τὰς μὲν γὰρ ἑταίρας ἡδονῆς ἕνεκ' ἔχομεν· τὰς δὲ παλλακὰς, τῆς καθ' ἡμέραν θεραπείας τῦ σώματος· τὰς δὲ γυναῖκας, τῦ παιδοποιεῖσθαι γνησίως, καὶ τῶ ἔνδον φύλακα πιςὴν ἔχειν*. *Meretrices enim, cauſa voluptatis alimus: Concubinas, propter quotidiana miniſteria, & curationem corporis: Uxores, propter ingenuos liberos ſuſcipiendos, & fidelem rei familiaris adminiſtrationem & cuſtodiam.*

PERDUELLES.

Gajus, lege 234. de Verborum ſignificatione: *Quos nos* hoſtes *appellamus, eos Veteres* perduelles *appellabant; per eam adjectionem indicantes, cum quibus bellum eſſet*. Optime. *Duellum* Veteres dicebant pro *bellum*. A *duellum*, dicti *duelles* pro hoſtibus; quæ vox apud Arnobium

 occur-

occurrit; & poſtea, *perduelles:* hoc eſt, ut ait Chariſius, *valde hoſtes. Per* auget: ut in *perquam, perficere, &c.* Vide ſupra in BONA.

PEREMPTORIUM EDICTUM.

Ulpianus, lege 70. de Judiciis. PEREMPTORIUM EDICTUM *inde hoc nomen ſumpſit, quod peremeret diſceptationem: hoc eſt, ultra non pateretur adverſarium tergiverſari.* ¶ Optime. Sed *τὸ peremeret* Scipio Gentilis *τὸ prohiberet*, hic interpretatur: ex his Feſti verbis: PERIMERE, *Cincius in libro de Verbis Priſcis, ait ſignificare idem, quod* prohibere. Quo ſenſu *peremptorias exceptiones* dici notat a Juſtiniano, titulo Inſtitutionum de Exceptionibus. Mihi, *τὸ peremeret* hic nihil aliud ſignificare videtur, quam tolleret. Gloſſæ Veteres: *Perimo, ἀναιρέω. Perimit, ἀναιρεῖ.* De Edicto Peremptorio, ita vero Hermogenianus l. 53. de Re judicata: *Contumax, eſt, qui tribus Edictis propoſitis, vel uno pro tribus, quod vulgo* peremptorium *appellatur; vel literis evocatus, præſentiam ſui facere contemnit.* Sic enim ibi legendum videtur, ex emendatione Cujacii, quem vide Obſervationum libro XVIII. capite 30.

PIGNUS.

Gajus, lege 238. de Verborum ſignificatione: PIGNUS *appellatum a* pugno: *quia res quæ pignori dantur, manu traduntur. Unde etiam videri poteſt*

poteſt verum eſſe quod quidam putant, pignus proprie rei mobilis conſtitui. ¶ Falſo, & inepte. Salmaſius de Modo Uſurarum, pag. 538. *Quod de pignore dicitur, rei id proprie mobilis eſſe, ex etymo falſo & inepto adſtruitur: abſurdum id quippe eſt,* pignus *a* pugno *deducere; cum* pugnus *clauſam manum ſignificet. Unde &* pugnus *pro* ictu, *id eſt,* γρόνθω, *qui clauſa manu incutitur. Inde &* Pugiles *appellati.* Etiam Broæus, a *pugno* deducebat: ſed aliam ob cauſam: quia nimirum clauſa manu res tenetur. Seneca: *non eſt interrogatione contentus, niſi & rem ſuam manu teneat.* REM SUAM, id eſt, *pignus*, inquiebat ille. Matthias Martinius, in Lexico, veroſimilius deducit a *pago*, id eſt, *jungo, figo*: ut ſit, quo quis ſe pagit alteri, hoc eſt, obligat, ad fidem ſervandam. Similiter Voſſius in Etymologico, a *pago*, ſeu *pango:* quia pactionis lege datur. Item Scaliger in Scaligeranis poſterioribus. *Pignus*, inquit, *a* pigo *&* pago *antiquorum.* Guietus; quod minus placet; ab ἐχυρὸς: ſic: ἐχυρὸς, ὀχυρὸς, τὸ, ὀχυρὸς, ὄχνος, *pognus*, *pignus.* ἐχυρὸς autem & ὀχυρὸς, ab ἔχω: unde & ὄχθη.

PORTUS.

Videtur deducere Ulpianus a *portando.* Ita enim ille in lege 59. de Verborum ſignificatione: PORTUS *appellatus eſt concluſus locus, quo importantur merces, & inde exportantur; eaque nihil-*

ominus ſtatio eſt concluſa, atque munita. Etiam Iſidorus: PORTUS, *locus eſt ab acceſſu ventorum remotus, ubi biberna opponere ſolent. Et* portus, *dictus a deportandis commerciis. Hunc Veteres a bajulandis mercibus,* bajas *vocabant*: *illa declinatione a* baja bajas, *ut a* familia familias. Non dubito Græcæ eſſe originis: ſed unde, non facile dixerim. Exiſtimabat Guietus, eſſe a χόρτος: quod eſt locus concluſus, ſive locus in ſepto villæ comprehenſus: unde Latinum *hortus*, & *cors cortis*, & *cohors cohortis.* Guieti ſententiam adjuvat, quod Portus ſit concluſus locus, ut ſcribit Ulpianus: item, quod Portum frequenter Veteres pro domo poſuerint, ut Feſtus teſtatur. Sed quo modo χ in p tranſeat, non ſatis video. Tentabat & aliam ἐτυμότητα idem vir doctus: ſcilicet ab ὅρμος. Sic: ἔρω, *firmo*; unde ἐρείδω. Inde ἕρμα, *fulcrum*, *ſtabilimentum:* & ὅρμος *ſtatio navium:* quia navis in ſtatione, tamquam in fulcro & ſtabilimento, conſiſtit. Quo reſpexiſſe videtur Ariſtoteles in Poëtica: νηῦς δέ μοι ἥδ' ἕστηκε· τὸ γὰρ ὁρμεῖν, ἐστὶν ἑστάναι τι. Ab ὅρμος autem ὅρτος: & προσθέσει, *portus.* Sed neque iſta originatio placet, ut quæ ſit ex loco remotiori arceſſita. Tertiam Guietus adducebat: a πόρος. Heſychius: πόρος, ὁδὸς, τρίβος, ἢ διὰ τοῦ ποταμοῦ ῥεῦμα. οἱ δὲ, τὴν διάβασιν αὐτοῦ. οἱ δὲ, τὰς γεφύρας. Veroſimilius Voſſius a Φόρκυς, quod pro *portu* apud Etymologum. κ in τ, ut τῆνος, Dorice pro κεῖνος. aut a πορθμὸς, id eſt, *fre-*

fretum: quæ eſt & Scipionis Gentilis ſententia: aut (quæ eſt H. Valeſii conjectura) a *Φοςτὸς*, quod eſt *onus navis:* eo quod ibi onerentur & exonerentur naves. Ego amplius deliberandum cenſeo. Interim hic obſervare eſt, a Latino *baja*, cujus meminit Hiſpalenſis Epiſcopus, Iſidorus, factum eſſe Hiſpanicum *baïa*, quod *portum* ſignificat. Videtur autem Latinum *baja* eſſe a *vadum*, ſeu *vadus*. *vadum vadi, vadium, vadia, badia, baja:* non, ut Iſidorus putat, *a bajulandis mercibus*. *Vadum*, primo & proprie, eſt aquæ fundus, per quem vadere, ſive pedibus tranſire licet. *Ubi ab aqua ſumma non alte eſt terra, dicitur vadus*, inquit Varro libro I. de Ora Maritima, citante Servio in I. Æneidos. Sed metaphorice de ſecuro loco dicitur, qualis eſt portus. Unde proverbium, *Res eſt in vado:* quia, ut in profundo periculum, ita in vado ſecuritas. Cui proverbio ſimile illud, *Res eſt in portu*, apud Plautum: & *In portu navigare*, apud Terentium. A *vadia*, formarunt Hiſpani *baïa*, ut a *badius*, BAJO; quod illis eſt *badius color*.

POSSESSIO.

Paulus, lege I. de Adquirenda vel amittenda poſſeſſione: *Poſſeſſio, appellata eſt, ut & Labeo ait, a* ſedibus, *quaſi* poſitio: *quia naturaliter tenetur ab eo, qui ei inſiſtit, quam Græci κατοχὴν dicunt.* ¶ *Poſſeſſio*, eſt a *poſſeſſum*, ſupino verbi

poſſidere. poſſidere autem, a *ſedere;* & a *pos*, quod eſt *potis;* ut recte Martinius & Voſſius: qui enim poſſidet, poteſt ſedere in eo quod poſſidet. Unde Feſtus & Iſidorus a *poſſe* deducebant. Grotius hic: POSSIDERE; *eſt ita alicubi ſedere, uti loci pos, id eſt, potens ſis. Itaque primum de rebus ſoli dici cœpit; deinde & ad res mobiles transferri.* Male quidam, a *poſt* & *ſedere.* Qui poſſidet, intus ſedet magis, quam poſt; nam *poſt*, eſt *extra. Sedere* vero, eſt ab ἕδω· ἑδέω, *ſedeo.* ἕδα, ἕδαξ, *ſedes.* Præponitur S, ut in *ſi, ſub, ſuper*, ex εἰ, ὑπὸ, ὑπὲρ, & ſexcentis aliis: & αξ mutatur in *es*, ut in *heres*, ex χήραξ: hoc eſt, *viduatus, orbus.* χῆρος, χήρα, χήραξ, χήρηξ, *heres.* Hæc eſt vera τῦ *heres* originatio. Falluntur viri docti; quos inter Cujacius, Obſervationum libro v. capite 10. & in Notis ad Titulum Inſtitutionum de Heredum qualitate & differentia; qui ab *herus* deducunt. Pergamus. Ita *aries*, ex ἀρίαξ. ἄρις, ἄριος, ἀρίαξ, *aries.* ἄριχα, accuſativum τῦ ἄρις, interpretatur Heſychius ἄῤῥεν πρόβατον, Ita quoque *abies*, ex ἀβίαξ. ἄβις, ἄβιος, ἀβίαξ, *abies.* ἄβιν occurrit apud eumdem Heſychium. De mutatione τῦ αξ in *es*, vide ſupra in *Miles.*

POSTLIMINIUM. POSTUMUS.

Juſtinianus in Inſtitutionibus, Titulo: Quibus modis jus patriæ poteſtatis ſolvitur: *Dictum eſt autem*

autem POSTLIMINIUM *a* limine, *&* poſt. *Unde eum qui ab hoſtibus captus eſt, & in fines noſtros poſtea pervenit, poſtliminio reverſum recte dicimus. Nam limina, ſicut in domo finem quemdam faciunt, ſic & Imperii finem eſſe limen Veteres voluerunt. Hinc &* limen *dictum eſt, quaſi finis quidam & terminus. Ab eo* poſtliminium *dictum eſt, quia ad idem limen revertebatur, quod amiſerat.* ¶ Veriſſime. Et ita quoque Scævola apud Ciceronem, loco mox afferendo. Limen, eſt ultima pars ædium in publicum ſpectans. Ab ea voce eſt verbum *eliminare:* id eſt, *expellere; e limine ejicere:* quo uſus Accius in Tragœdia, teſte Quintiliano libro VIII. cap. 3. Inde *eliminium*, ἡ ἔξοδος. Ab eadem voce, eſt contrarium, *poſtliminare*, id eſt, *ad limen redire; intra limen denuo recipere ſe; domum revenire.* A verbo *poſtlimino*, eſt nomen *poſtliminium.* id eſt, ἐπάνοδος, ut Veteres Gloſſæ interpretantur: ſed in quibus vitioſe *poſtilimen*, pro *poſtliminium.* Ita ab *æſtimo*, ÆSTIMIUM, pro *æſtimatione:* a *cremo*, CREMIUM; ab *impendo*, IMPENDIUM; a *comburo*, COMBURIUM. Falluntur ergo, qui in *poſtliminium* ſpectari tantum volunt præpoſitionem *poſt;* τὸ *liminium* productionem eſſe exiſtimantes: quemadmodum τὸ *umus* in voce *poſtumus*. Non enim a *poſt* & *humatus*, dicta eſt, ut Goveanus in Commentario ad legem *Gallus* exiſtimat, & ut olim Cujacius exiſtimabat; quod natus ſit poſt humatum patrem: quæ eſt apud

Romanos antiquiſſima ſepeliendi conſuetudo, ut teſtatur M. Tullius libro 2. de Legibus. Atque inde in Gloſſis Veteribus: *Poſtumus.* ὁ ζῶντος μὲν τοῦ πατρὸς συμλαβόμενος· ἀποθανόντος δὲ, γεννώμενος. Et poſtea: *Poſtumus.* ἀπάτωρ' μετὰ θάνατον πατρὸς γεννηθείς. Ab ea ſignificatione, tranſiit τὸ *poſtumus* ad eum, qui poſt teſtamentum factum natus eſt: qua de re videndus Jacobus Cujacius libro 3. Obſervationum capite 4. Vox, inquam, *poſtumus*, non a *poſt* & *humatus*; ſed a *poſt* dumtaxat, dicta eſt: quod poſt natus ſit, ut idem Cujacius; mutata priori ſententia; poſtea exiſtimavit dicto loco Obſervationum. Hos inter qui *liminium* παραγωγὴν ſolum eſſe voluerunt, fuit Servius Juriſconſultus, ut eſt apud Ciceronem in libro Topicorum ad Trebatium, itidem Juriſconſultum. Verba ipſa Ciceronis adſcribenda putavi. *Multa in diſputando notatione eliciuntur ex verbo: ut, cum quaeritur, poſtliminium quid ſit: non dico, quae ſint poſtliminii: nam id caderet in diviſionem: quae talis eſt: Poſtliminio redeunt haec, homo, navis, mulus clitellarius, equus, equa, quae frana recipere ſolet Sed cum ipſius poſtliminii vis quaeritur, & verbum ipſum notatur. In quo Servius noſter, ut opinor, nihil putat eſſe notandum niſi* poſt: liminium *illud productionem eſſe verbi vult: ut in* finitimo, legitimo, æditimo, *non plus ineſſe* timum, *quam in* meditullio, tullium. *Scaevula autem, P. Filius, junctum putat eſſe verbum; ut ſit in eo &* poſt

poſt *&* limen: *ut quæ a nobis alienatæ ſunt, cum ad hoſtem pervenerint, & ex ſuo tamquam limine exierint, dein cum redierint poſt, ad idem limen poſtliminio videantur rediiſſe.* Recte igitur Juſtinianus ſcripſit, *poſtliminium* dictum eſſe a *limine* & *poſt.* Sed quod addidit, limina, ſicut in domo finem quemdam faciunt; ſic & Imperii finem eſſe limen Veteres voluiſſe; an id recte ſcripſerit, videamus. Non putat Salmaſius in Obſervationibus ad Jus Atticum & Romanum: ubi adverſus Hugonem Grotium, *limitem* & *limen* diverſæ originis eſſe, neque idem unquam ſignificaſſe, contendit. *Limitem* ſcilicet, eſſe viam, quo duo agri ſeparantur, & qua duorum populorum fines: a nomine *limum*, quod eſt *transverſum:* (quæ eſt etiam Veterum Grammaticorum originatio) *Limen* vero, eſſe domus partem: a verbo *lio*, quod eſt *levigo:* quia aſſiduo introitu & egreſſu limetur, teratur, & levigetur: unde Græcis quoque veteribus *βῆλον*; *βάτηϱ* recentioribus; *ἀπὸ τȣ̃ βῶ, βήσω.* Et vera videtur Salmaſii ſententia. Hygenus de Limitibus conſtituendis: LIMITES *autem appellati a* limo, *antiquo verbo: id eſt,* transverſi. *Nam &* limum cinctum, *ideo quod purpuram transverſam habeat. item*, limina hoſtiorum. Addit: *Poſtea & prorſos & transverſos limites appellaverunt, a liminibus: quod per eos agrorum itinera ſervantur.* quæ ſunt Juſtinianeæ *ἐτυμότητι* conſentanea. Etiam apud Paulum Feſti Abbreviatorem, eadem legas quæ apud Juſti-

 nianum.

nianum. *Poſtliminio*, inquit, *receptus is dicitur, qui extra limina, hoc eſt, terminos provinciæ captus fuerat, rurſus ad propria revertitur.* Item, apud Siculum Flaccum: LIMITES *autem ab liminibus vocabula acceperunt. Quomodo limina introitus, exitusque locu præſtant, limites agris ſimiliter introitus exitusque: qui in agris diverſis, & aſſignatis, ſemper pervii eſſe debebunt, tam itineribus, quam & menſuris agendis.* Et apud Servium, ad hæc Æneidos, PRIMA INTER LIMINA: *In ipſo limine Imperii, id eſt, in litore.* Adde & Iſidorum libro v. capite ultimo: *Poſtliminio redeuntibus: hoc eſt, exilio reducendis, qui ſunt ejecti intra limen patriæ.* Videndus Heraldus in Animadverſionibus in Salmaſii Obſervationes ad Jus Atticum & Romanum.

PRÆVARICATOR.

Ulpianus, lege 212. de Verborum ſignificatione: *Prævaricatores eos appellamus, qui cauſam adverſariis ſuis donant, & ex parte actoris in partem rei concedunt: a* varicando *enim prævaricatores dicti ſunt.* Plinius epiſtola 20. libri primi: PRÆVARICATIO, *eſt tranſire dicenda.* PRÆVARICARI, *eſt curſim & breviter attingere, quæ ſint inculcanda, infigenda, repetenda.* Similiter, Feſti Abbreviator, Paulus: *Prævaricatores, a prætergrediendo ſunt vocati.* Eſt enim *varicare, incedere, ambulare, transgredi.* Gloſſæ Veteres: *varicat.* ὑπερβαίνει. Eædem: *prævaricat*, διασκελίζει.

λίζει. Gloſſæ Iſidori: *Varicat, divertit, ambulat. Varicavit, ambulavit.* Atque inde Italicum *varcare*, ut in Originibus noſtris Italicis obſervamus. Inde & *varicus*, qui grandibus paſſibus ambulat. Ovidius libro III. de Arte,

Illa, velut conjux Umbri rubicunda mariti,
Ambulat, ingentes varica fertque gradus.

Igitur *prævaricari*, eſt proprie in alteram partem nimium deflectere: & metaphorice, a recto, ſive ab officio, recedere. *Prævaricator* poſtea dictus eſt de eo, qui colludit cum reo, & tranſlatitie munere accuſandi defungitur, ut loquitur Marcianus lege I. ad Senatusconſultum Turpilianum. Quæ vox a rure ad forum tranſiit. *Arator*, inquit Plinius libro XVIII. capite 19. *niſi incurvus, prævaricatur. Inde tranſlatum hoc crimen in forum. Ibi itaque caveatur, ubi inventum eſt.* Atque hæc eſt vera vocis *prævaricatoris* etymologia. Cicero tamen *prævaricatorem* a *veritate* dictum exiſtimabat. Verba ejus ſunt in Partitionibus Oratoriis: *Defenſor autem teſtatur conſuetudinem ſermonis, verbique vim ex contrario reperiet quaſi ex vero accuſatore, cui contrarium eſt nomen prævaricatoris: ex conſequentibus, quod ea litera de accuſatore ſoleat dari Judici: ex nomine ipſo, quod ſignificat eum, qui in contrariis cauſis, quaſi varie eſſe poſitus videatur.* Ciceronis ſententiæ favet Balſamo: Πραιβαρικάτορας, inquit epiſtola quadam, λέγομεν, τὰς ποικιλλομένας, κατὰ τὴν ἴριν, συνεργὰς, καὶ προδιδόντας τὰς προφυγάς.

Præva-

Prævaricatores dicimus eos, qui variantes, Iridis inſtar, cooperantur, & clientes produnt. Qua in ſententia fuit & ipſe Labeo apud Ulpianum l. 1. de Prævaricatoribus, & l. 4. de His qui notantur infamia: *Prævaricator, eſt quaſi* varicator; *qui diverſam partem adjuvat prodita cauſa ſua. quod nomen Labeo a varia certatione tractum ait: nam qui prævaricatur, ex utraque parte conſtitit: quinimo ex altera:* Niſi apud Ulpianum legas, *quod nomen Labeo a* varicatione *tractum* ait: ut Hotomanus, atque alii, legendum exiſtimant: nec male; ut ego exiſtimo. Verum hæc Ciceronis ἐτυμότης; quod recte vidit Voſſius, analogia refellitur: ſicut & ea, quam Alciatus excogitaverat, a *varicibus.* Voſſium vide in Etymologico. Vide & Cujacium libro IX. Obſervationum capite ultimo, a quo plurima Voſſius.

PRATUM.

Ulpianus, lege 31. de Verborum ſignificatione: PRATUM, *in quo ad fructum percipiendum falce dumtaxat opus eſt; ex eo dictum, quod paratum ſit ad fructum capiendum.* ¶ Ita & ceteri Scriptores. Varro Libro I. de R. R. capite 7. *Alii dant primatum bonis pratis: ut ego quoque: a quo Antiqui* prata, parata *appellarunt.* Et de Lingua Latina libro IV. PRATA, *dicta ab eo quod ſine opere parata.* Columella 2. 17. *Et ideo neceſſarius ei* (loquitur de Aratore) *cultus eſt etiam prati, cui veteres Roma-*

Romani primas in agricolatione tribuerunt. Nomen quoque indiderunt ab eo, quod protinus eſſet paratum, nec magnum laborem deſideraret. Plinius XVIII. 5. *Et* PRATA *Antiqui* parata *dixere*. Item Iſidorus XV. 13. PRATUM, *eſt cujus fœni copia armenta tuetur: cui veteres Romani nomen indiderunt ab eo quod protinus ſit paratum, nec magnum laborem culturæ deſideraret.* Et Julius Cæſar Scaliger libro I. de Cauſis Linguæ Latinæ capite 19. PRATUM, *quod fuit paratum.* Inde Scipio Gentilis, libro ſingulari Originum ad Pandectas, pro eo quod legitur apud Catullum,

Qui illius culpa cecidit, velut prati
Ultimus flos, prætereunte poſtquam
Tactus aratro eſt,

legebat,

Qui illius culpa cecidit velut parati &c. Carminis, inquit, *ipſa lex flagitat, ut legamus antiquo more*, velut parati. *De quo mirari ſatis non poſſum, a doctiſſimis illius Poetæ Interpretibus, ne uno quidem verbulo expoſitum fuiſſe: omnesque omnium quas viderim editiones*, prati *præferre*. Ego vero, mirari ſatis non poſſum, tanto viro tantum errorem excidiſſe: immo enim metri ratio non permittit, ut legatur *parati*. Sed ad propoſitum. Aliter; atque eruditius; Scaliger ad Varronem. Scilicet a Dorico πρατιά, pro πρασιά, *prati* vocabulum deducit. Sunt autem πρασιαὶ, in hortis areolæ quadratæ, in quibus porri & alia hujuſcemodi olera viridia feruntur. Heſychius: πρασιαὶ.

σιαί. αἱ ἐν τοῖς κήποις τετραγωνοὶ λαχανιαί. Addit Lexicographus: *οἷον περασιαὶ, διὰ τὸ ἐπὶ πέρασι τῶν κήπων.* in quo fallitur. *πρασιὰ* enim, eſt *ἀπὸ τοῦ πράσου*, a *porro*, ut recte Euſtathius ad Odyſſ. H. pag. 1574. 27. *Πρασιαὶ δὲ, τόποι λαχανηφόροι, ἀπὸ μέρους τῶν πράσων κληθέντες.* aut potius, *ἀπὸ πρασίου χρώματος*, a colore porraceo, ſive herbido. Alias *prati* etymologias proponit Matthias Martinius: ſcilicet, ut ſit a verbo *πράττω*, quomodo *ἀγρὸς* ab *ἄγω:* aut ab Ebræo פרה, quod eſt *fructuoſum eſſe, fœtificare:* quam poſtremam amplectitur Voſſius. Mihi Scaligerana non diſplicet: immo perplacet.

PUBLICANUS.

Ulpianus, lege I. de Publicanis: *PUBLICANI, ſunt, qui publico fruuntur. nam inde nomen habent: ſive fiſco vectigal pendant, vel tributum conſequantur. & omnes, qui quid a fiſco conducunt, recte appellantur Publicani.* ¶ Optime. Et recte Cujacius in Paratitlo, & Leunclavius in Synopſi Baſilicorum, pro eo quod legitur in prioribus dictæ legis verbis, *Quod Publicanus, ejus publicani nomine, vi ademerit*, emendabant, *ejus publici nomine:* ex libris Baſilicorum, in quibus eſt, *ὀνόματι τοῦ τέλους. Publicum* ſumitur pro *vectigali.* Cicero ad Q. Fratrem: *Hic te ita verſari, ut & Publicanis ſatisfacias, præſertim publicis male redemtis.* Ab hac *publici* ſignificatione, *Publicanum,*

num, qui publica redimit, dictum volunt Cujacius & Leunclavius dictis locis. Sed contra Maranus ad dictum titulum de Publicanis, τὸ *publicum* accipit de loco Publico, aut publica re, quæ vectigalis cauſa publicano fruenda locatur; ut eſt in verbis Prætoris, in Interdicto de loco publico fruendo: *Quo minus loco publico, quem is cui locandi jus fuerit, fruendum alicui locavit, ei qui conduxit, ſociove ejus, e lege locationis frui liceat, vim fieri veto:* & apud Javolenum, lege 34. Ex quibus Cauſis majores: *Qui operas in publico, quod vectigalium cauſa locatum eſt, dat; Reipublicæ cauſa non abeſt.* Marani ſententiam adjuvant Gloſſæ Veteres, in quibus *Publicani*, δημοσιῶναι exponuntur. Utramque ſententiam junxit Iſidorus; *Publicanos*, a publicis vectigalibus deducens. PUBLICANI *appellantur*, inquit, *conductores: ſive quia vectigalia publica exigunt: vel quia per negotia ſæculi lucra ſectantur: unde & cognominati ſunt. Publicus* autem eſt a *populicus, Populus, populi. populicus, poplicus*, PUBLICUS. *populus* vero a πολὺς, (ita Veteres loquebantur) *populus*. Poſſit etiam eſſe a πολλός. πολλὸς, πόπλος, *poplus*, (unde *Poplicola*) πόπολος, *populus*. τὸ PUPLICE & τὸ PUPLICO, occurrunt in Gloſſis Veteribus, *puplice* δημοσίᾳ. *puplico*. δημοσιεύω. Et *poplicum*, in Genuenſi Tabula, a Folieta fideliſſime exſcripta; L. Cæcilio, & Q. Mutio Coſſ. inciſa.

PUER-

PUERPERA.

Paulus, lege 163. de Verborum ſignificatione: PUERI *appellatione etiam* puella *ſignificatur. Nam & feminas* puerperas *appellant, recentes ex partu: & Græce, παιδίον communiter appellatur.* ¶ Hoc vult, *puerperam*; id eſt, νεοτόκον; ex *puer* & *pario*, fuiſſe appellatam. Similiter Priſcianus. PUERI *femininum*, pueram *Antiquiſſimi dicebant: unde &* puerpera, *quæ puerum, vel puerum parit.* Suetonius in Caligula, capite 8. *Nec Plinii opinionem Inſcriptio aræ quidquam adjuverit, cum Agrippina bis in ea regione filias enixa ſit, & qualiſcumque partus, ſine ullo ſexus diſcrimine,* puerperium *vocetur: quod Antiqui etiam puellas,* pueras, *& pueros,* puellos *dictitarent. Sine ullo ſexus diſcrimine,* dixit Suetonius, quod Paulus *communiter. Græce παιδίον, communiter appellatur:* id eſt, παιδίον, Græcis, de utroque genere dicitur. Heſychius: παῖδες. τὸ πάλαι μὲν, τέκνα ἀρσενικὰ καὶ θηλυκά. μεταπεσούσης δὲ τῆς χρήσεως, νῦν καὶ οἱ δοῦλοι. ¶ Eſt autem PUER, a Dorico πόϊρ, pro παῖς. παῖς, πάϊς, πάϊρ, Laconice: πόϊρ, *poer*, PUER: & POR: quod etiamnum invenitur in veteri Inſcriptione, quam profert Voſſius in Etymologico. Inde & *Marcipor, Caipor, Lucipor, &c.* Quintilianus libro I. capite 44. *In ſervis jam intercidit illud genus, quod ducebatur a domino: unde Marcipores, Publiporesque.* PARIO autem eſſe a Latino *paro*, volebat

bat Julius Scaliger de Cauſis Linguæ Latinæ libro 1. cap. 29. Voſſius in Etymologico ab Ebræo פרה quod habuit a Martinio.

QUÆSTORES.

Pomponius, lege 2. §. 22. de Origine Juris: *Deinde, cum ærarium Populi auctius eſſe cœpiſſet, ut eſſent qui illi præeſſent, conſtituti ſunt Quæſtores, qui pecuniæ præeſſent, dicti ab eo, quod inquirendæ & conſervandæ pecuniæ cauſa creati erant.* Ulpianus, lege unica de Officio Quæſtoris: *Et a genere quærendi, Quæſtores initio dictos, & Junius, & Trebatius, & Feneſtella ſcribunt.* ¶ Quæſtorum non unum genus. Omnes autem dicti a *quærendo.* Feſtus: *Quæſtores dicebantur, quod quærerent de rebus capitalibus. unde qui talia quærunt,* Quæſtores Parricidi *appellantur.* Beda de Orthographia: *Quæſtor, a quaſi* quæſitor, *per æ diphthongon.* Sed unde Tò *quærere? A qua res?* deducit Varro, falſo, & ἀναναλόγως. Ego ab ἔρω: quod eſt, *rogo, interrogo, ſciſcitor, quæro, inveſtigo:* unde ἐρωτάω, & ἐρευνάω. ἔρω, *kero,* QUÆRO. Præponitur *cappa:* ut in κίω: quod eſt *eo.* Heſychius: κιών. ἐλθὼν, βαδίζων: quodque ex ἴω, inuſitato, voce ejusdem ſignificationis. τὸ ἴω in uſu fuiſſe dubitare nos non ſinit, cum ejus infinitivus ἰέναι, tum Latinum *ire.* A κίω autem, eſt κινέω, *moveo.* Ab eodem, eſt κίσσα, *pica;* & κίχλη, *turdus;* & κίγκλος, *motacilla:* propter motum frequen-

tem caudæ & totius corporis earum avium. Eſt & κισσὸς, *hedera*: ut ἕρπυλλον, *ſerpyllum*, ἀπὸ τοῦ ἕρπειν, a ſerpendo: ſunt enim hederæ ſequaces, ut loquitur Perſius; & ut Catullus & Virgilius, errantes. Et ab ipſo κισσὸς, eſt Latinum HEDERA: ſic κισσὸς κιττὸς, κίτταρος, HEDERA. Erotianus: κίσσαρον, τὸν κισσόν. Τὸ Κ tranſit in CH, & CH in H. Ita *humi*, *hiems*, *hio*, *heri*, ex χαμαὶ, χειμὼν, χάω, χθές. Ab ἔρω igitur, præpoſito cappa, Latini ſuum QUÆRO fecerunt. Nec obſtat, quod ἔρω, per E, *quæro* per Æ, ſcribatur; magnam enim fuiſſe inter eas literas affinitatem, norunt Etymologi.

REDDERE.

Celſus, lege 94. de Verborum ſignificatione: *Verbum* REDDENDI *quamquam ſignificatum habet retro dandi, recipit tamen & per ſe dandi ſignificationem.* Et lege *Cum quidam* 21. de Legatis 2. *Etenim* REDDENDI *verbum, quamquam ſignificationem habeat retro dandi, recipit tamen & per ſe dandi ſignificationem.* ¶ *Reddo*, eſt ab inſeparabili particula re, & verbo *do*; aſſumpta, euphoniæ cauſa, litera D; quia ab ea ſequens ſyllaba incipit. *Re* autem, eſt *a retro*, ſi Priſcianum audimus. *Re*, inquit libro XIV. extremo, *videtur a* retro *per apocopam factum: ſicut & ipſe ſenſus manifeſtat. reſpicio, retro ſpicio: revertor, retro vertor: recurro: retro curro.* Sed ſi Matthiam Martinium, *retro* potius *a re* factum fuerit: & *re*, a ῥέα, *faci-*

facile: quia facilia iterare ſolemus: aut, a ῥεῖν, *fluere:* quia aquarum eſt curſus ſuos iterare. Nugæ. Sed de vera ejus vocis originatione, amplius ipſe deliberandum cenſeo.

REDHIBITIO.

Ulpianus, lege 21. de Ædilitio edicto: *Redhibere, eſt, facere, ut rurſus habeat venditor quod habuerit; &, quia reddendo id fiebat, idcirco* redhibitio *eſt appellata, quaſi* redditio. ¶ Melius apud Feſtum: *Redhibitum, id proprie dicitur, quod redditum: cum qui dedit, idem rurſus coactus eſt habere id, quod ante habuit. Redhibitio, ἀπὸ τȣ͂ redhabere.* De origine τȣ͂ *habere*, vide ſupra in *exhibere.*

RIVALIS.

Ulpianus, lege 1. §. 2. de Aqua cottidiana & æſtiva: *Si inter rivales, id eſt, qui per eumdem rivum aquam ducunt, ſit contentio de aquæ uſu, utroque ſuum uſum eſſe contendente, duplex interdictum utrique competit.* Pomponius, lege 3. titulo eodem; *Is, qui aquæ cottidianæ jus habet, vel fiſtulam in rivo ponere, vel aliud quodlibet facere poteſt: dummodo ne fundum domino, aut aquagium rivalibus deterius faciat.* ¶ Aliter Nonius Marcellus capite de Proprietate ſermonis: *Rivales dicti ſunt, quaſi in unum amorem derivantes.* Nec non Eugraphius ad Terentii Eunuchum Act. 1. Sc. 1.

RIVALES *dicuntur, qui unam amant, vel meretricem, vel amicam: quod quaſi uno rivo amoris utantur.* Sed ſimiliter quoque; quamquam alia de cauſa; Donatus ad Terentii Eunuchum Act. I. Sc. 8. RIVALES, *dicuntur æmuli de mulieribus: facta translatione nominis a feris beſtiis, quæ ſitientes cum ex eodem rivulo hauſtum petunt, in prælium contra ſe invicem concitantur. Sic Cicero pro Cælio:* Sin erit ex illo fonte rivalis, *inquit.* Hodie legitur apud Ciceronem: *Sin autem eſt rivulus accerſitus.* Donati lectionem probat Turnebus Adverſar. libro 27. cap. 23. *amœna,* inquit, *jucundaque vocabuli ambiguitate: cum Rivales ſint, qui propinquos poſſident agros rivo; & Rivales, qui eamdem mulierem amant.*

RIVUS.

Ulpianus lege I. §. 2. de Rivis: *Rivus, eſt locus per longitudinem depreſſus, quo aqua decurrat: cui nomen eſt ἀπὸ τȣ̃ ῥεῖν.* ¶ Ἀπὸ τȣ̃ ῥεῖν, eſt ῥόος. a ῥόος, eſt *rivus:* mutato ο in ι, ut *κόνις, cinis;* & inſerto digamma Æolico, quod Latini in v conſonans mutare amant. ῥόος, ῥόϝος, *rovus, rivus.* Ita δαὴρ, *levir:* Δάος, *Davus,* nomen ſervi: *ὠὸν, ovum: αἰὼν, ævum: λεῖος, levis: θεῖος, divus: ὄϊς, ovis: κέρασς, cervus: κλαΐς, clavis, &c.* ¶ Huic porro Ulpianeæ rivi definitioni belle convenit, quod ait Feſtus: RIVUS, *vulgo appellatur tenuis fluor aquæ, non ope,*

con-

conſiliove factus, verum naturali ſuo impetu. Sed ii rivi dicuntur, qui manufacti ſunt, ſive ſubter terram, foſſa; ſive ſubter, ſpecu, iniciliove: cujus vocabuli origo ex Græco pendet. Ita legendus hic locus, ex emendatione Turnebi. Ut autem *rivus*, ἀπὸ τοῦ ῥεῖν, hoc eſt, a fluendo; ita *fluvius*, a *fluus*, antiquo præterito τοῦ *fluo. fluo, fluvi, fluvius:* ut *pluo, pluvi,* PLUVIA.

RUTA CÆSA.

Ulpianus, lege *Fundi* 17. §. 6. de Actionibus empti & venditi: *Si ruta & cæſa excipiantur in venditione; ea placuit eſſe ruta, quæ eruta ſunt: ut harena, creta, & ſimilia: cæſa ea eſſe, ut arbores cæſas, & carbones, & his ſimilia.* ¶ Ex his, Ulpianum exiſtimaſſe conſtat, RUTA, a *ruendo;* CÆSA, a *cædendo*, eſſe appellata: quod eſt veriſſimum. Et ita Feſtus: RUTA CÆSA, *dicuntur, quæ venditor poſſeſſionis, ſui uſus gratia, concidit, ruendoque extraxit.* Etiam Nonius: RUTA, *dicuntur eruta.* A *ruo* ſcilicet, hoc eſt, *dejicio.* Virgilius Georgic. I.

- - *Cumulosque ruit male pinguis arenæ.*

Ruo autem, ex ῥύω, *traho*, & ut Feſti verbis utar, *ruendo extraho*; ſive ex ὀρύω, *excito.* Ceterum, in verbis Ulpiani melius legeretur, *ruta cæſa*, cite a copulam, quemadmodum legitur apud Feſtum. Ita Veteres loquebantur. Cicero libro Topicorum extremo: *Fecique quod ſæpe liberales*

 vendi-

venditores ſolent, ut cum ædes, fundumve vendiderint, rutis cæſis receptis, concedant tamen aliquid emptori, quod, ornandi cauſa, apte, & loco poſitum eſſe videatur. Et in Partitionibus: *Cum ex lege prædii quæritur, quæ ſint ruta cæſa.* Q. Mucius Scævola l. 241. de Verborum ſignificatione: *In rutis cæſis ea ſunt, quæ terra non tenentur.* Pomponius l. 66. de Contrahenda emptione: *Quintus Mucius ſcribit: Qui ſcripſit, ruta cæſa, quæque ædium, fundive non ſunt, bis idem ſcriptum: nam ruta cæſa ea ſunt, quæ neque ædium, neque fundi ſunt.* Varro libro v. de Lingua Latina: *Ideoque in venditionibus, lege fundi ruta cæſa ita dicimus, ut producamus.* Tamen, hæc vocabula diviſa reperire eſt apud ipſum Ciceronem in 2. de Oratore: *Sed dices, te, cum ædes venderes, ne in rutis quidem & cæſis, ſolum tibi paternum recepiſſe:* quare nihil mutandum apud Ulpianum.

SACCULARII.

Ulpianus, lege 7. de Extraordinariis criminibus: *Saccularii: qui vetitas in Sacculo artes exercentes, partem ſubducunt, partem ſubtrahunt.* Id eſt, qui vetitas artes, in ſacculo, (ſive, ut alii legunt, *in ſacculos*) exercentes, partem ad ſe magicis artibus eliciunt, partem manu auferunt: ut recte Cujacius Obſervationum libro x. capite 27. Veteres ſcilicet magnam vim eſſe Magiæ putabant: ut & ea meſſes

meſſes aliò traduci poſſe exiſtimarent: quo nomine; mirum dictu; etiam Lege XII. Tabularum judicia conſtituta ſunt. Ab ea opinione Turnebus Adverſariorum libro IX. capite 17. Dardanarios, (de quibus in l. 6. dicto Titulo de Extraordinariis criminibus, & in Veteribus Gloſſis) qui annonam onerant & premunt, ſic dictos exiſtimabat a Dardano, Mago: cujus meminere Appulejus & Tertullianus; & a quo *Dardaniæ artes*, pro *magicis*, apud Columellam in Poëmate de Cultura Hortorum: quod eorum maleficiis vulgus crederet annonam averti in ipſorum horrea; & in metiendo, menſuram ejus imminui: ſicque eam ſubtrahi. Aut, quod ad contumeliam & probrum Magos eos increparent, *Dardanarios* vocitantes: cum Magiæ nomen, & odioſiſſimum eſſet & infame vocabulum. A *ſaccus* autem, *ſacculus*, & *ſacellus*, pro *crumena*. Gloſſæ Veteres, *Sacculus*, βαλλάντιον. *Sacellus*, βαλλάντιον. Inde *ſacculurii*, & *ſacellarii*. Eædem Gloſſæ: *Saccularii*, ῥαδιουργοί. *Sacellarius*, βαλλαντιοφύλαξ. *Saccularium*, pro fure pecuniæ publicæ, uſurpavit Aſconius in commentario in Orationem contra C. Antonium & L. Catilinam: *Equeſter Ordo pro Cinnanis partibus contra Syllam ſteterat; multasque pecunias abſtulerant: ex quo* Saccularii *erant appellati: multique ob ejus rei invidiam, poſt Syllanam victoriam interfecti.*

SACELLUM.

Trebatius in libro de Religionibus ſecundo, apud Gellium libro VI. Noctium Atticarum capite 12. SACELLUM, *eſt parvus locus* DEO *ſacratus, cum ara.* Sacellum *ex duobus verbis compoſitum,* ſacri *&* cellæ, *quaſi* ſacra cella. ¶ Abſurde. Quis enim ignorat *ſacellum,* & ſimplex verbum eſſe, & non ex *ſacro* & *cella* copulatum; ſed ex *ſacro* diminutum, ut vere Gellius dicto loco. *Sacrum* autem, ex ἱερόν. ἱερὸν, ἰκερὸν, (inſerto C, ut *ſpecus,* a σπέος: *voco,* a βοῶ: *aqua,* ſive *aca,* ab ἄα, Heſychius: ἄα. σύστημα ὕδατος.) σικερὸν, σικρὸν, (addito ſibilo) *ſacrum.* I in A mutari, eſt in exemplis.

SANCTUM.

Marcianus, lege 8. de Diviſione rerum & qualitate: SANCTUM *autem, dictum eſt a* ſagminibus. *Sunt autem* ſagmina, *quædam herbæ, quas Legati Populi Romani ferre ſolent, ne quis eos violaret; ſicut Legati Græcorum ferunt ea, quæ vocantur* cerycia. ¶ Immo *ſanctum* dictum eſt a *ſanciendo.* Ulpianus, lege 9. Titulo eodem: *Proprie dicimus ſancta, quæ neque ſacra, neque profana ſunt, ſed ſanctione quadam confirmata. ut leges ſanctæ ſunt: ſanctione enim quadam ſunt ſubnixæ: quod enim ſanctione quadam ſubnixum eſt, id ſanctum eſt, etſi Deo non ſit conſecratum.*

tum. Propertius, de Deo Sanco, ſive Sancto, verba faciens:

Hunc quoniam manibus purgatum ſanxerat orbem,
Sic Sancum Tatiæ compoſuere manus.

Sancio autem, eſt ab ἁγιῶ: eſt enim proprie *ſancire*; ut recte Servius in XII. Æneidos; ſanctum aliquid, id eſt, conſecratum, facere: quod vox ἁγιἕν itidem notat. Ab ἁγιόω, ἁγιῶ, primum factum eſt *ſagio:* præpoſito ſibilo: ut in *ſi, ſub, ſuper*, ab εἰ, ὑπὸ, ὑπὲρ: & poſtea, *ſacio:* & demum, *ſancio*, N inſerto: ut *tago, tango; theſaurus, thenſaurus;* δασὺς, *denſus;* ἔχις, & Dorice ἄχις, *anguis;* λίπω, *linquo, &c.* Nec obſtat, quod Varro libro IV. de Lingua Latina ait, Sanctum Deum ab Sabina lingua eſſe: Sabina enim lingua, a Græca: nam Sabini ἀνέκαθεν Dores, e Peloponneſo; ut pluribus argumentis, in Tractatu noſtro de univerſis Linguæ Græcæ Dialectis, oſtendemus. A *ſacio*, eſt *ſagmen. Sacio, ſacimen, ſacmen*, SAGMEN; ut a *gigno, genimen*, GERMEN; a *cano, canimen*, CARMEN. Vere igitur Feſtus: *Sagmina, vocantur verbenæ, id eſt, herbæ puræ, quia ex loco ſancto arcebantur* (i. e. arceſſebantur) *a Conſule, Prætoreve, Legatis proficiſcentibus ad fœdus faciendum, bellumque indicendum. Vel a ſanciendo, id eſt, confirmando. Sagmina* ſunt *herbæ ſanctæ.* Inde ἱερὰ βοτάνη, *verbena.* (nam *ſagmina* & *verbenæ*, idem) Onomaſticon: *ſagmina*, ἱερὰ βοτάνη. Plinius XXV. 9.

 ubi

ubi de plantis: *Nulla tamen Romanæ nobilitatis plus habet, quam hierabotane. Aliqui* periſtereon; *noſtri* verbenacam *vocant. Hæc eſt, quam Legatos ferre ad hoſtes indicavimus. Hac, Jovis menſa verritur; domus purgantur; luſtranturque.* Poſſit quoque τὸ *ſancus*, & τὸ *ſanctus*, ab ἄναξ deduci. ἄναξ, ἄνακος, ἀνακὸς, (ut Φύλαξ, Φύλακος, Φυλακὸς) ἄγκος, SANCUS. ἄναξ, ἄνακτος, ἄγκτος, SANCTUS, ἄναξ eſt *cuſtos*, ὁ Φυλάττων, ὁ ἐπιμελέμενος. Atque inde Dioſcuri ἄνακες appellati. Plutarchus in Vita Theſei, ubi de Caſtore & Polluce, qui Athenas venerant, Athenienſibus opem laturi: καὶ τιμὰς ἰσοθέες ἔχον ἌΝΑΚΕΣ προσαγορευθέντες, ἢ διὰ τὰς γενομένας ἀνοχὰς, ἢ διὰ τὴν ἐπιμέλειαν καὶ κηδεμονίαν, τὸ μηδένα κακῶς παθεῖν, ςρατείας τοσαύτης ἔνδον ὄσης· ἀνακῶς γὰρ ἔχειν τὲς ἐπιμελεμένες, ἢ Φυλάττοντας ὁτιὦν· καὶ τὲς βασιλεῖς, ἴσως, ἄνακτας διὰ τὸτο καλὸσιν. *Atque honores aſſequuti divinos ſunt* Anaces *dicti: vel ob factas inducias, quas* ἀνοχὰς *vocant: vel ob curam & ſollicitudinem: ne cui malum afferretur, cum eſſet intra muros exercitus: nam* ἀνακῶς ἔχειν *dicunt eos, quibus cura vel tuitio alicujus incumbat: & Reges appellant fortaſſis inde* ἄνακτας. Etiam ἀνακῶς, pro ἐπιμελῶς, apud Herodotum in Urania, capite 109. & Thucydidem, libro 8.

SEQUE-

SEQUESTER.

Modeſtinus, lege 110. de Verborum ſignificatione: SEQUESTER *dicitur, apud quem plures eamdem rem, de qua controverſia eſt, depoſuerunt: dictus ab eo, quod occurrenti, aut quaſi ſequenti eos qui contendunt, committitur.* ¶ Etiam a *ſequor* deducit Gellius: ſed alia de cauſa. *P. Lavinii,* inquit, *liber eſt non incurioſe factus. Is inſcriptus eſt,* De Verbis ſordidis. *In eo ſcripſit,* ſculnam *vulgo dici, quaſi* ſeculnam: *quem qui elegantius, inquit, loquuntur,* ſequeſtrem *appellant. Utrumque vocabulum a* ſequendo *factum eſt; quod ejus qui electus ſit, utraque pars fidem ſequatur.* Potius; ut viſum Meurſio, Martinio, Voſſio; ab antiquo verbo *ſequo*, id eſt, *dico:* quia ſententiam dicit inter partes. *Sequo* autem, in eo ſignificatu, eſt a Græco ἔπω, quod idem ſonat. Unde *inſequo*, hoc eſt, ἐννέπω. Gloſſæ Veteres: *inſeque*, εἰπέ. Livius Andronicus, hæc Homeri μεταφραστικῶς reddens, Ἄνδρα μοι ἔννεπε, Μοῦσα, πολύτροπον: *Virum mihi, Camena, inſece verſutum.* Tranſit π in C, ſive Q: ut ἵππος, *equus:* ἕπομαι, *ſequor.* proprie igitur & primario Sequeſter fuerit Arbiter, qui ſententiam inter partes dicebat. Plautus in Rudente IV. 3.

Tu iſtunc hodie non feres, niſi dat Sequeſtrum, aut Arbitrum,
Cujus hæc res arbitratu fiat.

Gloſſæ Cyrilli: μεσίτης. *Sequeſter, arbitrator, media-*

mediator. Erat autem Arbiter, qui arbitrari ſe dicebat, quod ipſe vidiſſet: qui ſpectata referret, aut teſtaretur. Cicero Academ. Quæſtionum lib. IV. ſub finem: *Tum qui teſtimonium diceret, ut* ARBITRARI *ſe diceret, quod ipſe vidiſſet.* Cum vero res, de quibus controverſia eſſet, apud Mediatorem, ſive Arbitrum, ab altercantibus deponi ſolerent: *Sequeſtres ſunt,* inquit Aſconius, *apud quos pecunia deponitur: Interpretes, per quos inducitur pactio:* Cum, inquam, apud Arbitrum res, de quibus litigaretur, deponi ſolerent, inde factum, ut *Sequeſter* poſtea is diceretur, apud quem res, de qua controverſia eſſet, deponeretur. Poſſit etiam τὸ *Sequeſter* deduci a voce *ſecus:* eo quod res ſecus, id eſt, juxta Sequeſtrum, deponitur: quæ eſt H. Valeſii conjectura. Vel ἀπὸ τῦ δικάζειν. δικάζω, δικαστὴς, & Laconice δικαστὴρ, σικαστὴρ, *ſequeſter:* quæ mea eſt ſententia.

SERVUS.

Florentinus, lege 4. de Statu Hominum: SERVI *ex eo appellati ſunt, quod Imperatores captivos vendere, ac per hoc ſervare, nec occidere, ſolent.* Similiter Pomponius lege 239. de Verborum ſignificatione: SERVORUM *appellatio ex eo fluxit, quod Imperatores noſtri captivos vendere, ac per hoc ſervare, non occidere ſolent.* Et Juſtinianus in Inſtitutionibus, Titulo de Jure perſonarum: SERVI *autem ex eo appellati ſunt, quod Impe-*

Imperatores captivos vendere, ac per hoc ſervare, nec occidere ſolent. Item Sanctus Auguſtinus libro XIX. de Civitate Dei, capite 15. *Origo autem vocabuli* Servorum *in Latina Lingua inde creditur ducta, quod hi qui jure belli poſſent occidi, a victoribus cum ſervabantur, ſervi fiebant: a* ſervando *appellati.* Et Donatus in Adelphos II. I. *Mancipia, dicuntur, quod manu capta ſunt.* SERVI, *qui ſervati ſunt, quum eos occidi oporteret jure belli. Unde Virgilius ſic inducit captivum, rogantem,*

Per patrios manes, per ſpes ſurgentis Iuli,
Te precor, hanc animam ſerves, natoque, patrique.

Et Iſidorus IX. 4. SERVI *autem vocabulum inde traxerunt, quod hi, qui jure belli poſſunt occidi a victoribus, conſervabantur, & ſervi fiebant: a* ſervando *ſcilicet*, ſervi *appellati.* A *ſervando* quoque; ſed in ſignificatione *cuſtodiendi;* quia ſervorum ſit ſervare commiſſa a dominis, & res eorum cuſtodire; deducunt Matthias Martinius, & Gerardus Johannes Voſſius: qui & *ſervare* volunt eſſe ab ἐρύειν: quod eſt, *trahere, extrahere, eripere, cuſtodire, ſalvum & incolumem præſtare:* unde apud Heſychium ἐρύσαιτο exponitur φυλάξαιτο. Hujus vocis radices in Græcia, non Latio, quærendæ. Melius igitur, atque eruditius, Scaliger ad Varronem *ſervum* deducit ab inuſitato ἕρος, hoc eſt, *ſervus.* εἵρερος Homero, pro *ſervitute*, Odyſſ. θ. 529.

ἔιρερον εἰσανάγουσι, πόνον τ' ἐχέμεν, καὶ ὀϊζόν.

Ad quem verſum Vetus Scholiaſtes; ἜΙΡΕΡΟΝ. *αἰχμαλωσίαν, δουλείαν, τὴν περὶ τὰ ἔργα.* Qui rationem addit appellationis: *καὶ ἀναπέπλασαι κατ' ἀρχὴν παρὰ τὸ ἐρᾶν μετὰ ἐλευθερίας εἴρειν καὶ λέγειν τοὺς δούλους.* Similiter Euſtathius: *εἴρερος δὲ καὶ τοὺς παλαιοὺς, αἰχμαλωσία, δουλεία· παρὰ τὸ ἐρᾶν εἴρειν. οἱ γὰρ ἐν δουλείᾳ, καὶ τοῦ λέγειν στέρονται, μὴ παῤῥησιαζόμενοι.* Homeri locum memoratum reſpexit Heſychius: *εἴρερον, δουλείαν.* Apud eumdem legas: *εἴρεον, δουλείαν, αἰχμαλωσίαν.* Inde *ἔριθος* pro *famula* apud Heſiodum. *ἔρος*, *ἔϝος*, *ſervus:* ut vere Quintilianus l. 1. c. 6. dixerit, primum v in *ſervus* ſonare digamma Æolicum. Potior tamen videtur Salmaſii ſententia, qui *ſervus* ab Æolico *σέραπος* deducit. Verba ejus ſunt in libro de Uſuris, pag. 156. *Et ridicula ſane Juriſconſultorum etymologatio* Servorum, *quia ſervarentur bello capti, ut ſervirent. Iſti ſervant, ut mactent. Ita bello captos multos ex Phrygibus Achilles ſervavit, ut ad tumulum Patrocli immolaret, & combureret. Græcum eſt Æolicum σέραπος, pro θέραψ communi.* Ita *μάρτυρος*, pro *μάρτυρ*, & *φύλακος*, pro *φύλαξ* apud Homerum: quod ex Ionica eſſe Dialecto docuit nos doctiſſimus Apollonii Scholiaſtes ad librum 1. pag. 7.

SICA-

SICARIUS.

Tribonianus in Inſtitutionibus Juſtinianeis, Tit. de Publicis Judiciis: SICARII *autem appellantur* a ſica: *quod ſignificat ferreum cultrum.* Joſephus Antiquitatum Judaicarum lib. xx. cap. 7. Ἀφικομένȣ δὲ εἰς τὴν Ἰȣδαίαν Φήςȣ, συνέβαινε τὴν Ἰȣδαίαν ὑπὸ τῶν λῃςῶν κακȣ̃σθαι, τῶν κωμῶν ἁπασῶν ἐμπιπραμένων τε καὶ διαρπαζομένων. καὶ οἱ σικάριοι δὲ καλȣ́μενοι· λῃςαὶ δέ εἰσιν ȣ̃τοι, τότε μάλιςα ἐπλήθυνον, χρώμενοι ξιφιδίοις, παραπλησίοις δὲ τὸ μέγεθος τοῖς τῶν Περσῶν ἀκινάκαις· ἐπικάμπεσι, καὶ παραπλησίοις τȣ̃ ὑπὸ Ῥωμαίων σίκαις καλȣμέναις. ἀφ᾽ ὧν καὶ τὴν προσηγορίαν οἱ λῃςεύοντες ἔλαβον. *Cum autem veniſſet in Judæam Feſtus, oſtendit totam afflictam a latronibus, vicos paſſim populantibus: quorum ferociſſimi appellati* ſicarii. *Tunc ad maximum numerum excreverant: utentes gladiolis: inſtar acinacis Perſici, incurvis: quales* ſicas *Romani nominant: unde latronibus ipſis cognomen eſt inditum.* Similiter vetus commentator Horatii ad Satiram 4. libri primi: SICA, *gladius eſt permodicus, quem ſolebant malefici in baculis geſtare, & ex inſidiis aliquem interficere. Inde dicti ſunt* Sicarii. SICA autem Iſidoro, eſt a *ſecando:* Martinio a *ſiccus*, quia ſica vulneratum animal ſiccatur, fuſo ſanguine. Inepta eſt Martiniana ἐτυμότης. Iſidori originationem quod attinet, eam nonnihil adjuvat, quod *ſicelire*, eſt *ſecare.* Magis tamen

tamen placet, immo placet omnino, doctiſſimi Voſſii ſententia: ut *ſica* ſit a Dorico ἀκὰ pro ἀκή: quod τὸ ὀξὺ, ſive *aciem*, ſignificat: unde ἀκὶς, & ἀκμή, & ἄκανθα, & ἀκακία, & ἀκαλύφη, eſt. Atque inde Latinum *acies*, *acus*, *acuo*, *&c.* Salmaſius quoque in Exercitationibus Plinianis, pagina 323. τὸ *ſica*; ἀπὸ τῆ ἀκὰ deducit. *Ita*, inquit, Ἀχάρβας; *Sicharbas: ἀρίστηρος*, *ſiniſter:* ἄνες, *ſine:* ἀνέω, ἀνῶ, *ſino:* Ἀκέστα, *Segeſta.* ¶ Sicarii igitur ſunt proprie, qui cædem ſica committunt: ſed ut recte Fabius libro x. capite 1. per abuſionem, *Sicarios* etiam omnes vocamus, qui cædem telo quocumque commiſerint.

SOLARIUM.

Ulpianus, lege 2. §. 17. Ne quid in loco publico: *Si quis nemine prohibente, in publico ædificaverit, non eſſe eum cogendum tollere, ne ruinis Urbs deformetur, & quia prohibitorium eſt interdictum, non reſtitutorium. Si tamen obſtet id ædificium publico uſui, utique is, qui operibus publicis procurat, debebit id deponere: aut, ſi non obſtet, ſolarium ei imponere: vectigal enim hoc ſic appellatur*, ſolarium, *ex eo quod pro ſolo pendatur.* ¶ *Solum* in prima ſignificatione, eſt *pedis cavum*, *inferior pars pedis.* Varro de R. R. cap. 9. ubi de canibus: *ſolo, nec ut corneo, nec nimium duro, &c.* Lucretius lib. 1.

Avia

Avia Pieridum peragro loca, nullius ante
Trita ſolo.

Atque inde pro *ſolea* apud Martialem IX. 75.

Dentibus antiquas ſolitus producere pelles,
Et mordere luto putre, vetuſque ſolum.

Solum autem, eſt ab ἕω, *ſtatuo, colloco, ſedere facio:* unde & *ſelum.* ἕω, ἕλω, ἕλον, *ſelum:* quod apud Varronem in libris de Re Ruſtica, ἀντὶ τῦ *ſolum* reperiri teſtatur Paſſeratius libro de Literarum inter ſe cognatione, pag. 61. Inde ἐλίω, ἐλίνω, ἐλίνύω & ἐλιννύω, *ſedeo, ceſſo, ceſſare facio.* Inde & ἐλλὰ, a quo Latinum *ſella.* Heſychius: ἐλλά καθέδρα. καὶ Διὸς ἱερὸν Δωδώνη, Λάκωνες. Item ab ἕω, *ſtatuo, colloco, ſedere facio,* eſt ὅλω, ὅλον, *ſolum,* id eſt, ſedes; id cui quidque inſidet. Aliter tamen Martinius & Voſſius, quos vide.

SONTICUS MORBUS.

Venulejus, lege ultima de Ædilitio Edicto: *Quotiens morbus ſonticus nominatur, eum ſignificari ait Caſſius qui noceat. Nocere autem intelligitur, qui perpetuus eſt, non qui tempore finiatur. Sed morbum ſonticum videri eum, qui incidit in hominem, poſtquam is natus eſt:* ſontes *enim,* nocentes *dici.* ¶ Sonticus morbus, dictus eſt, non ab eo quod vim nocendi habeat, ſed quod juſtam, legitimamque cauſam afferat, ut ne quis in judicio ſiſti poſſit. Eſt enim *ſons,* αἰτίαν τινὸς ἔχων, vel αἴτιος. Gloſſæ Veteres: *Sontes,* αἴτιοι, ὑπεύ-

ὑπεύθυνοι, βλαβεροί. At Gloſſæ Iſidori: *Sonticus. verax.* Item Veteres: *Sontius.* ἀληθής. Ubi *ſontius*, pro *ſonticus*. Inde *ſontia:* quam corrupto vocabulo *ſonniam* dixere infimi Scriptores: unde Gallicum *Exoine:* ut poſt Franciſcum Pithœum & Hieron. Bignonium, docte & vere Salmaſius noſter obſervabat: qui videndus ad Ælium Spartianum in Hadriano. τὸ *ſons* vero, dictum eſt a σίνω, *noceo.* σίνω, σίντης, *ſontes*, SONS: ut *plebs*, ex *plebes*; & MENS, ex *mentis.* Voſſium vide in Etymologico.

SOROR.

Labeo in libris ad Edictum Prætoris, apud Gellium libro XIII. capite 10. SOROR *appellata eſt, quod quaſi ſeorſum naſcitur, ſeparaturque ab ea domo in qua nata eſt, & in aliam familiam transgreditur.* FRATRIS *autem vocabulum P. Nigidius, homo impenſe doctus, non minus arguto, ſubtilique* ἐτύμῳ *interpretatur.* FRATER, *inquit, quaſi* fere alter. Nugæ: quamquam eam etymologiam vehementer laudet Nonius Marcellus. SORORIS *appellationem*, inquit, *Veteres eleganti interpretatione* (id eſt ἐτυμολογίᾳ) *poſuerunt. Itaque maximi Juris Scriptores exprimendam putaverunt. Antiſtius Labeo: Soror, inquit, appellata eſt, quod quaſi ſeorſum naſcitur, ſeparaturque ab ea domo in qua nata eſt.* Mulier quidem, familiæ ſuæ & caput & finis eſt, ut eſt apud Ulpianum in lege 195. de

de Verborum ſignificatione. Sed quid hoc ad ſororis Labeonianam originationem? quæ etiam analogia refellitur. Martinius ab Ebræo שאר, id eſt, *caro cognata*, *conſanguinea*, ὁμαίμων, *ſororis* vocabulum deducebat. Quæ ἐτυμότης Voſſio impenſe placet. Et ſane, apud Ebræos, omne cognationis genus fratris & ſororis nomine comprehenditur. Sed fruſtra ſunt, qui voces Latinas ab Ebræis deducunt, præter oppido paucas. Quare originationem illam potiorem duxerim, quam idem Martinius proponit: ut ſit *ſoror*, a *ſero*, id eſt, *necto*, *annecto*: quaſi annexa cum fratre ad eamdem ſtirpem. Ita ἀνεψιὸς Græcis, ab ἀνάπτεσθαι, inquit ille; nam ego aliter: ſed de his alias. Huic τῦ *ſoror* origini favet analogia. ἔρω, *necto*; σέρω, præpoſito ſibilo; σέρος; σέρορ Laconice; σόρος, σόρορ. E in O ut *ſocer*, ab ἑκυρός; *formus*: a θερμός: *novus*, *a* νέος: *vomo* ab ἐμῶ &c. A σόρος eſt *ſorus*, antiquum nomen Latinum, ſed obſcuratum: unde *ſorinus*, inuſitatum quoque; pro quo hodie *ſobrinus*. Vide ſupra in *Conſobrinus*. A *ſorus*, eſt *ſora*, etiam inuſitatum: unde Italicum *ſora*, ut in Originibus Italicis obſervamus. Sed, vere ut dicam, neutram harum originum veram duco. De vera igitur amplius deliberandum cenſeo. Hanc ego interim examinandam legentibus propono: ut ſit τὸ *ſoror* ἀπὸ τῦ ἔορ: quæ vox ab Heſychio exponitur θυγάτηρ, *filia*, *conſobrina*. ἔορ, ἔρορ, ὄρορ, SOROR. Omne cognationis genus apud Ebræos fratris & ſororis nomine com-

prehenditur, ut ſupra obſervatum. ¶ *Frater* autem, indubitate eſt a Græco Φρητήρ. Heſychius: Φρητήρ. ἀδελφός.

SPECTACULUM.

Ulpianus, lege 1. §. 3. de Rivis: *Specus autem eſt locus, ex quo deſpicitur. Inde* ſpectacula *ſunt dicta.* ¶ *Spectaculum*, eſt a *ſpecto*. *Specto* autem, ab antiquo *ſpecio*, quod eſt *video*. Varro libro v. de Lingua Latina: *Spectare, dictum eſt ab* ſpecio, *antiquo: quo etiam Ennius uſus, &c.* Eo uſus & Ulpianus: *In perſona ejus, a quo alimenta relicta ſunt, hæc erunt ſpecienda. Specio*, eſt ab inuſitato σκεπέω, pro σκοπέω. σκεπέω. σκεπίω, *ſpecio;* per metatheſim, ſeu tranſpoſitionem literarum. A *ſpecio* autem, SPICIO: unde *conſpicio. Spicio*, ſine præpoſitione, dixiſſe Antiquos, ſcribit Feſtus. *Specus*, eſt a σπέος. Julius Scaliger libro IV. de Cauſis Linguæ Latinæ capite 86. SPECERE *vetus verbum fuit. In compoſitis nunc invenitur, & in ſuis deductis: ut* ſpecula, ſpeulari. *vox ſane ipſa militaris: cum poſitis indiciis aut e ſpecubus contemplarentur. Agreſtes olim Latini, prælia inituri: aut ſupra ſpecus ipſas, edito loco ſtantes, obſervarent quid rerum agerent procul hoſtes.* Specus *autem*, *Græcum eſt* σπέος. *Inde* ſpecies, *pro re viſa: ſicut* facies, *pro re facta. Ipſa igitur imago rei, quæ in ſpecendo inſtrumentum reciperetur*, ſpecies *dicta.*

SPON-

SPONSALIA. SPONSUS. SPONSIO.

Ulpianus, lege 2. de Sponſalibus: SPONSALIA *autem dicta ſunt a* ſpondendo: *nam moris fuit Veteribus ſtipulari, & ſpondere ſibi uxores futuras.* Et Florentinus, lege 3. eodem titulo: *Unde & Sponſi, Sponſæque appellatio nota eſt.* ¶ Optime. *Spondere* autem, à σπονδή. σπένδω, σπονδὴ, σπουδέω, *ſpondeo.* Vide Voſſium. Inde & *ſponſio.* Paulus lege 7. de Verborum ſignificatione: SPONSIO *appellatur, non ſolum quæ per ſponſus interrogationem fit, ſed omnis ſtipulatio, promiſſioque.* Varro & Verrius τὸ *ſpondere*, a *ſponte* deducunt: eo quod ſponte ſua promittit, qui ſpondet. *Sponte* vero dictum, ab ἑκοντὶ, κ mutato in P, & addito S, ob aſpirationem. De Verrio, teſtatur Feſtus. SPONDERE, inquit, *Verrius putat dictum, quod ſponte ſua, id eſt, voluntate promittatur. Deinde, oblitus, inferiore capite* ſponſum, *&* ſponſam *ex Græco dictam ait: quod ii* σπονδὰς *interpoſitis rebus divinis faciunt.* Spondere *antea ponebatur pro* dicere: *unde &* reſpondere *adhuc manet: ſed poſtea uſurpari cœptum eſt etiam in promiſſione alterius.*

SPURIUS.

Modeſtinus, lege 23. de Statu Hominum: *Vulgò concepti dicuntur, qui patrem demonſtrare non poſſunt, vel qui poſſunt quidem, ſed eum habent, quem habere non licet: qui &* ſpurii *appellantur:*

παρὰ τὴν σποράν. Item Juſtinianus in Inſtitutionibus, Titulo de Nuptiis: *Si adverſus ea, quæ diximus, aliqui coierint, nec vir, nec uxor, nec nuptiæ, nec matrimonium, nec dos intelligitur. Itaque ii, qui ex eo coitu naſcuntur, in poteſtate patris non ſunt: ſed tales ſunt, quantum ad patriam poteſtatem attinet, quales ſunt ii, quos mater vulgo concepit. Nam nec hi patrem habere intelliguntur, cum & his pater incertus eſt: unde ſolens* ſpurii *appellari*, quaſi *σποράδην* concepti, *vel quaſi, ſine patre filii.* Ita legendus hic locus ex recenſione Contiana & Cujaciana: quem Holoander mire perturbarat. Julius Paris in libello de Nominibus & Prænominibus, qui poſt Valerium Maximum edi ſolet. *Spurii, patre incerto geniti, quaſi σποράδην.* Ita legendum & hoc loco ex emendatione Cujacii, Obſervat. lib. v. cap. 5. Vel, *quaſi ſporoe:* ſeu *σποροὶ*, ex emendatione Pighii. Vulgo, *quaſi epoptæ*, nullo ſenſu: nam quod ait Contius ad dictum titulum, hæc verba *quaſi epoptæ*, ſignificare, *quaſi qui ſpectaculo omnium concepti ſint*, ferri non poteſt. Aliud *τȣ̃* *ſpurii* *ἔτυμον* adfert Plutarchus in Quæſtionibus Romanis: ſcitum quidem illud magis, quam verum: *Διὰ τί τȣ̀ς ἀπάτορας σπορίȣς ὑȣ̀ς καλȣ̃σιν;* (*τὸ ὑȣ̀ς* videtur eſſe additamentum) *ȣ̓ γὰρ, ὡς Ἕλληνες νομίζȣσι, καὶ λέγȣσιν οἱ Ῥήτορες ἐν ταῖς δίκαις, συμφορητȣ̃ τινες καὶ κοινȣ̃ σπέρματος γεγόνασιν· ἀλλ' ἔστιν ὁ ΣΠΌΡΙΟΣ τῶν πρώτων ὀνομάτων, ὡς ὁ ΣΈΞΤΟΣ, καὶ ὁ ΔΈΚΙΜΟΣ, καὶ ὁ ΓΆΙΟΣ.*

ΓΑΊΟΣ. τὰ δὲ πρῶτα τῶν ὀνομάτων ὀυχ ὁλογραφῦσιν. ἀλλ' ἢ δι' ἑνὸς γράμματος, ὡς τὸν ΤΊΤΟΝ, καὶ τὸν ΛΟΎΚΙΟΝ, καὶ τὸν ΜΆΡΚΟΝ. ἢ διὰ δυοῖν, ὡς τὸν ΤΙΒΈΡΙΟΝ, καὶ τὸν ΚΝΈΟΝ· ἢ διὰ τριῶν, ὡς τὸν ΣΈΞΤΟΝ, καὶ τὸν ΣΕΡΟΎΙΟΝ. ἔστιν ὖν καὶ ὁ ΣΠΌΡΙΟΣ τῶν διὰ δυοῖν γραφομένων, τῦ σ, καὶ τῦ π. γράφυσι δὲ διὰ τύτων καὶ τὺς ἀπάτορας, σίνε πάτρις, οἷον, ἄνευ πατρός. (Σίνε πάτρε ſcribendum erat: ſed Plutarchus Linguæ Latinæ parum peritus fuit; quod ipſemet teſtatur) τῷ μὲν σίγμα, τὸ σίνε· τῷ δὲ π, τὸ πάτρις σημαίνοντες· τῦτο ὖν τὴν πλάνην ἐποίησε, τὸ διὰ τῶν αὐτῶν γραμμάτων τὸ Σίνε πάτρις, καὶ τὸν Σπόριον σημαίνοντες. *Cur eos, qui patrem certum non habent,* ſpurios *appellant? Non enim verum eſt, quod Græci exiſtimant, & Rhetores in Orationibus dicunt, eos ſic dictos, quod promiſcuo ſemine ſint nati. Sed* Spurius *prænomen eſt, ut* Sextus, Decimus, Cajus. *Porro non integra ſcribunt Romani prænomina: ſed aut unica litera notant; ut,* Titum, Lucium, Marcum: *aut duabus; ut,* Tiberium, Cneum: *aut tribus; ut,* Sextum, Servium. Spurius *quoque duabus literis,* S P, *indicatur. Iisdem literis etiam nothos ſignificant: nimirum* Sine Patre. *Quæ res errori anſam præbuit, cum* SPURIUS, *&* incerto patre natus *iisdem elementis notarentur, ut hi quoque* ſpurii *uſurparentur.* Tertiam originationem profert Iſidorus IX. 5. *Nothus, qui de patre nobili & matre ignobili gignitur. Spurius, qui de*

matre nobili & patre ignobili. Item ſpurius, patre incerto, matre vidua genitus, velut tantum ſpurii filius: *quia muliebrem naturam Veteres* ſpurium *vocabant, velut ἀπὸ τοῦ σπόρου, hoc eſt, ſeminis, non patris nomine.* Quam ſententiam ſequitur doctiſſimus Turnebus Adverſar. XXIX. 13. *Appulejus,* inquit, SPURIA & FASCINA *appellat partes illas, quibus viri & mulieres ſunt, quæ honeſte nominari nequeunt. Atque ab illa muliebri parte nomen ſpuriorum fortaſſe non incommode deduci poſſet. Nam horum natales non habent obſcuram matrem, ſed patrem appellare non poſſunt. Ejus verba ſunt in Apologia:* Poſſe dicitis ad res venereas ſumpta de mari ſpuria & faſcina. *His nominibus intelligit conchilia quædam, quæ partes illas quas dixi, figura referunt; unde & earum nomina obtinent.* Hujus autem ſententiæ non auctor eſt Iſidorus. Eam ſcilicet & refert & refellit Plutarchus dicto loco: *λεκτέον δὲ καὶ ἕτερον λόγον· ἔστι δὲ ἀτοπώτερος. τοὺς γὰρ Σαβίνους φασὶ τὸ τῆς γυναικὸς αἰδοῖον ὀνομάζειν* ΣΠΟΡΙΟΝ. *εἶτα, οἷον ἐφυβρίζοντας, οὕτω προσαγορεύειν τὸ ἐκ γυναικὸς ἀγάμου καὶ ἀνεγγύου γεγεννημένον. Eſt & alia; verum abſurdior; ratio. Ajunt a Sabinis pudenda mulieris* ſpurium *nominari. Itaque ſic ignominioſe appellari, qui ex non nupta muliere natus eſſet.* Huic *ἐτύμῳ* adſtipulatur tamen Joſephus Scaliger ad hæc Feſti, NOTHUM, *Græci natum ex uxore non legitima vocant, qui apud nos ſpurio patre natus dicitur.* Tanti viri verba pro-

proferre non gravabor: *Spurio patre natos joculari dicto vocant Romani, quia cum pater eorum ignoretur, matris eſſe dicuntur. Sed quia numquam matris dicebantur liberi Jure Romano; (neque enim dicebatur*, L. Titius, Gajæ filius: *ſed* L. Titius, Marci filius) *propterea eos vocabant* Spurii filios: *ut*, Titius, Spurii filius: *a parte ſcilicet matris; unde procreati in lucem prodierunt; quæ honeſte nominari non poteſt. Auctores, Plutarchus, Appulejus, Iſidorus. Omnes enim* ſpurium, ἀπὸ τῆς σπορᾶς *vocatam dicunt eam partem. Hoc ita eſſe, præter ea quæ ſuperius a nobis dicta ſunt, fidem fecerit, quod eos etiam* Favonios *vocabant. Nam Favonia ova, quæ Græce* ὑπηνέμια, *ea ſunt, quæ ſine initu maris concepta ſunt. Favonii igitur quaſi* ſine patre. *Quin & Plutarchus cum SP. quo* Spurius *notabatur, interpretetur* ſine patre, *ſignificat eos filios* ſine patre *vocatos. Recte igitur hic apud Feſtum noſtrum*, Nothum *dici illum, quem vulgo* ſpurio patre natum *vocabant. Quod quam imprudenter doctiſſimi viri mutare conati ſint, nemo non videt: tum quia iisdem verbis legitur apud Abbreviatorem, tum etiam propter eam cauſſam, quæ a nobis in medium producta eſt. Sed & Plutarchus aperte:* διὰ τί τὺς ἀπάτορας σπυρίυ ὑὺς καλῦσι; *Nam falſa eſt lectio vulgata*, σποςίυς ὑὺς. *numquam enim hominem vulgo conceptum*, Spurium filium, *ſed* Spurium *ſimpliciter, &* Spurii filium *vocabant.* Alii, a *ſpurcus:* alii, a *ſine* & *purus*, *ſpurii* nomen deduxere. Broæus, Anteceſſor Bituricenſis, a *ſtuprum.*

Omnes a veriloquio aberrarunt. *Spurius*, eſt a Græco ὔριος· ὔριος, ψύριος, σπύριος, *ſpurius*. Ex ὔριος, primum factum eſt ψύριος: ut ψάμμος, ex ἄμμος: ψάμαθος, ex ἄμαθος. Nam, ut recte Herodianus Grammaticus exiſtimabat; teſte Etymologo in voce ψάμαθος; ψάμμος eſt ab ἄμμος, non vero, ut vulgus Grammaticorum putat, ἄμμος a ψάμμος. Ex ψύριος factum deinde σπύριος Æolica forma, cui eſt Latinus ſermo ſimillimus. Ita Æoles σπέλλιον, pro ψέλλιον: σπάλις, pro ψάλις: σπύλλα, pro ψύλλα, unde Latinum *pulex*. ψύλλα, ψύλλαξ, (occurrit hæc vox apud Heſychium) σπύλλα, σπύλλαξ, *pulex*. Poſſit quoque *ſpurius* ab ὔριος ſic formari: ὔριος, σύριος, σπύριος SPURIUS: Ut σπείρω, *ſemino*, ab ἔρω. ἔρω, σέρω: unde Latinum *ſero:* εἴρω, σείρω, ΣΠΕΙΡΩ. Ita, præpoſito ſigma, dixerunt σαυρὸς, a litera Tau, quæ crucem repræſentat: id vere Lucianus in Judicio Vocalium obſervavit. Οὔριος autem, ſive ὔρος, eſt *ventus*. Inde ὔρια ὠὰ, ſive ὔρινα, vocata Græcis ova irrita & caſſa, ex quibus nihil gignitur, volunt Grammatici; quia plerique vento ea generari exiſtimabant: quæ tamen mutua feminarum inter ſe libidinis imaginatione generantur, ut vult Plinius: aut, ſi Ariſtoteli fides, ſuavi quadam & titillatoria manus attrectatione. Euſtathius ad Iliados α. pag. 42. ΟΥΡΗΑΣ, τοὺς ἡμιόνους λέγει. ἢ παρὰ τὸ ὄρος, ὀρέας, καὶ Ἰωνικῶς οὐρῆας, &c. ἢ παρὰ τὸν οὖρον, ὃ δηλοῖ

δηλοῖ τὸν ἄνεμον. τοῦτο δὲ, διὰ τὸ ἄγονον τῶν τοιούτων ζώων, καὶ τὸ τοῦ σπερματικοῦ πνεύματος ἄκαρπον, καὶ ὥσπερ ἀνεμαῖον· διὸ καὶ τὰ ἐν τοῖς ὠοῖς ἄκαρπα, διὰ τὴν τοιαύτην αἰτίαν ΟΥΡΙΑ ἡ κοινὰ λέγει συνήθεια. Eadem de cauſa, & *Zephyria*, & ὑπηνέμια, ea appellarunt. Ariſtoteles de Hiſtoria animalium libro VI. capite 2. Ζεφύρια δὲ καλεῖται τὰ ὑπηνέμια ὑπὸ τινῶν, ὅτι ὑπὸ τὴν ἐαρινὴν ὥραν φαίνονται δεχόμενα, τὰ πνεύματα αἱ ὄρνιθες. *Vocantur etiam a nonnullis* Zephyria, *quæ* hypenemia *diximus: propterea quod verno tempore excipere auras aves ſolent.* Plinius libro x. capite 58. *Ipſæ autem inter ſe; ſi mas non ſit; feminæ æque ſaliunt: pariuntque ova irrita; ex quibus nihil gignitur; quæ* hypenemia *Græci vocant.* Et cap. 60. *Irrita ova, quæ* hypenemia *diximus, aut mutua feminæ inter ſe libidinis imaginatione concipiunt, aut pulvere, &c. Quidam & vento putant ea generari: qua de cauſa, etiam* Zephyria, *appellantur. hæc autem vere tantum.* Appellarunt & *urina*, & *cynoſura.* Ariſtoteles dicto loco: τὰ δὲ καλούμενα ὑπὸ τινῶν κυνόσουρα, καὶ οὔρια. γίνεται τοῦ θέρους μᾶλλον. *Quæ autem ova* cynoſura, *&* urina, *ab aliquibus dicuntur, per æſtatem magis oriuntur.* Ita locum hunc Ariſtotelis vertit Julius Scaliger. Plinius dicto capite 58. *Palumbes & turtures plurimum terna ova pariunt &c. Et quamvis tria pepererint, nunquam plus duobus educunt: tertium, quod irritum eſt,* urinum

num *vocant.* Et capite 60. *Urina, ſunt incubatione derelicta, quæ alii* cynoſura *dixere.* Sed falluntur Grammatici in ea τῶν ȣ̓ρίων, & ȣ̓ρίνων ovorum etymologia. Dicta fuerunt, non παρὰ τὸν ȣ̃ρον, a *vento:* ſed παρὰ τὸ ȣ̓ρον, ab *urina.* Similiter κυνόσȣρα dicta, a *canis urina.* κυνόσȣρα: id eſt, ἐκ κυνὸς ȣ̓ρȣ γεγεννημένα: ut veriſſime Julius Scaliger ad caput ſextum libri x. Ariſtotelis de Hiſtoria animalium. Verba ejus adſcribere viſum eſt. *Appellant Græci ova illa* ὑπηνέμια, *quoniam inania ſint: non tamen quod omnino inania, ſed inutilia. Nam in ſexto Hiſtoriarum diximus, plena eſſe albumine & vitello. Atque ibi* Zephyria *dicta ait Ariſtoteles aliquibus, quaſi vento concepta verno tempore: & manu attrectata ſcilicet, titillantur. Quare etiam fiant* γόνιμα, *ſi antequam edantur, aut addatur albumen, ineantur. Alia autem ſunt* ȣ̓ρινα, *ſive* cynoſura. *Æſtate frequentius generantur: non a vento, ſed ab humore contento inutili. Et ſane intus quidam humor viroſus eſt, & ineptus: ut quaſi fœtus initia, ſeminaque, haud inſint, ſed* ȣ̓ρον. *Quæ vox infrequentior eſt in uſu communi loquendi ad hunc ſignificatum: Poëticumque ventum ſæpius ſignificat: atque eum quidem, qui* a puppi, *ut ait divinus Poëta,* proſequitur: *neque alium: quaſi ad navigii caudam accommodatum. Itaque altera interpretatio commodior videtur. Nam Plinius oſtendit etiam* cynoſura *dicta. Theodorus Gaza ambitioſe* ſubventanea ȣ̓ρινα *dixit:* *cum*

cum Latinum nomen haberet ex Hiſtoria Pliniana in decimo libro: qui ibi irrita *vocat. Melius* caſſa *dixiſſet ille: quoniam prolifici ſemina inania ſint: ſic enim vocat Plautus* caſſam nucem. *In eodem libro Plinius diſtinguit: οὔρινα, ſive* cynoſura, *eſſe incubatione deſerta: irrita autem, ſine matris initu nata. Tanto minus* ſubventanea *dicenda igitur, in quibus nullus ventus eſt, & quæ nullo vento generantur: ſaltem, non omnia: non enim in gallinis: nam de perdicibus ſuo loco dictum eſt.* Idem, ad eamdem Ariſtotelis Hiſtoriam, lib. VI. c. 2. *Sunt enim cynoſura ova, quaſi urina canis: non, ſicut cæleſte ſidus, a cauda; Græcorum ineptiis, qui Urſæ caudam appoſuere. Sic οὔρινα, παρὰ τὸ οὖρον, non παρὰ τὴν οὐρὰν: neque παρὰ τὸν οὖρον,* ventum: *ut diximus in decimo hujus operis.* Similiter Bodæus, ad hæc Theophraſti Hiſtoriæ Plantarum libro I. capite 28. *ἄγονα, καθάπερ τὰ οὔρινα ὠά: Οὔρινον, modo* infœcundum, *modo* ſubventaneum *interpretatus Theodorus: quaſi παρὰ τὸν οὖρον,* ventum: *cum παρὰ τὸ οὖρον,* lotium, *nomen hoc acceperit.* Idem & Guieto, viro ἐτυμολογικωτάτῳ, videbatur. Fallitur omnino Dalecampius, qui ova *κυνόσουρα* dicta putat, quod caniculæ tempore, *ἐπὶ τῆς κυνοσούρας*, ab incubatione gignantur: quoniam ſcripſerit Ariſtoteles libro de Generatione animalium tertio, capite 2. *καὶ διαφθείρεται δὲ τὰ ὠὰ, καὶ γίνεται τὰ καλούμενα οὔρια κατὰ τὴν θερμὴν ὥραν. Depravantur etiam ova, & fiunt quæ* urina *appellantur, tempore*

potius

potius calido: Sed ad propoſitum. Cum ſpuriorum pater ignoraretur, matris ſolum eſſe dicebantur, ut ex Joſephi Scaligeri verbis ſupra recitatis apparet. Hinc factum, ut eos; ducta ſimilitudine ab ovis illis ὐρίοις; *Spurios* Latini nuncuparint. Sententiam noſtram confirmant verba Iſidori, Scriptoris non prorſus contemnendi. NOTHUS *dicitur, qui de patre nobili & matre ignobili gignitur, ſicut ex concubina. Eſt autem hoc nomen Græcum: & in Latinitate deficit. Huic contrarius eſt* Spurius, *qui de matre nobili, & patre ignobili naſcitur*, &c. *Eosdem, &* Favonios *appellabant: quia quædam animalia Favonio ſpiritu hauſto concipere exiſtimantur. Unde & ii, qui non ſunt de legitimo matrimonio, matrem potius quam patrem ſequuntur.* Favonius idem ventus ac Zephyrus. Et Ζεφύρια ὠὰ, ὑπηνέμια, οὔρια, οὔρινα, *Favonia*, de caſſis ovis uſurpata Grammaticis. Hæc noſtra de voce *Spurius* originatio, libere ut dicam quod ſentio, mihi valde arridet. Sed cum mire recondita ſit, non eſt mirum, ſi primam ſyllabam in ea voce corripuerit Auſonius. *Quique notas ſpuriis verſibus appoſuit.* Ita Apollinaris Sidonius, nec non Valgius, primam in *butyrum* corripuerunt. *Infundens acido comam butyro. Lac niveum, butyrumque novum, cum melle comedit.* Sed & vetuſtiſſimos Poëtas Latinos, recentioribus in προσῳδίᾳ longe accuratiores; in multis vocabulis, ex Græco fonte notæ originis; breves ſyllabas produxiſſe, & longas corripuiſſe, noti-

notius eſt, quam ut exemplis probari debeat.

Ceterum; ut hoc obiter dicam; quod ait Iſidorus τὸ *nothus* in Latinitate deficere; habuit a Quintiliano: cujus hæc ſunt verba, libro 3. capite 8. Νόθον, *qui non ſit legitimus, Græci vocant. Latinum rei nomen, ut Cato quoque in Oratione quadam teſtatus eſt, non habemus: ideoque utimur peregrino.* Igitur improprie in Gloſſariis νόθος exponitur *ſpurius*.

STATIO.

Ulpianus lege 1. §. 13. de Fluminibus &c. *Stationem dicimus a* ſtatuendo. *Is igitur locus demonſtratur, ubicumque naves ſtare tuto poſſunt.* ¶ Immo, a *ſtando. Sto, ſteti, ſtatum, ſtati, ſtatio. Sto* eſſe a ςάω, notius eſt, quam ut obſervari debeat.

STATULIBER.

Paulus, lege 1. de Statuliberis: STATULIBER, *eſt, qui ſtatutam & deſtinatam in tempus, vel conditionem, libertatem habet.* ¶ Hinc *Statuliber*, dictus, inquit Maranus, quaſi *ſtatutus liber.* Emendandum & confirmandum obiter Vetus Gloſſarium. *Statum liberum.* ἐπικεκαμένη τὴν ἐλευθερίαν. Lege: *Statulibera.* ἐπικεκ]ημένη τὴν ἐλευθερίαν. Legitur ibidem: *Statuliber.* ἐλεύθερος, χρόνῳ κατὰ διαθήκην ἀφεθείς: pro quo Scaliger ad Feſtum emendabat, ὅρῳ κατὰ διαθήκην ἀφεθείς: ex

ex his Feſti verbis, *Statuliber, eſt, qui teſtamento certa conditione propoſita, jubetur eſſe liber.* Sed nihil mutandum, docent hæc Pauli, *qui ſtatutam & deſtinatam in tempus, &c.*

STELLIONATUS.

Veriſſime Cujacius Obſervationum libro x. capite 26. a ſtellione animali verſuto. Plinius libro xxx. capite 10. ubi de Morbi comitialis remediis: *Tunicula ſtellionis, quam eodem modo, ut anguis, exuit, nota, &c. Operæ pretium eſt ſcire quomodo præripiatur, cum exuitur membrana hyberna, alias devoranti eam: quoniam nullum animal fraudulentius invidere homini tradunt. Inde ſtellionum nomen ajunt in maledictum translatum.* Occurrit hæc vox eo ſignificatu apud Appulejum, lib. v. Metam. ubi de Cupidine ſic Venus: *Sed nunc irriſui habita quid agam? quo me conferam? quibus modis ſtellionem illum cohibeam?* A *ſtellio* autem, *ſtellionator.* Gloſſarium Vetus: ἐπιθέτης. *Impoſtor, Stellionator.* Et deinde: Κακοῦργος. *Maleficus, Stellionatus.* Corrige, *Stellionator.* Ab eadem voce *ſtellio*, eſt & vox *ſtellionatus:* de qua ſic Iſidorus in Gloſſis: STELLIONATUS: *Crimen, cum una res duobus venditur.* STELLIO autem a *ſtella.* Ovidius in Metamorphoſi,

- - *aptumque colori*
Nomen habet, variis ſtellatus corpora guttis.

Stella vero, a Græco ἀστὴρ. ἀστὴρ, ἀστέρος, ἀστέρα, *ſtera*, *ſterula*, STELLA.

Poſſit

Poſſit & vox *Stellionatus* nomen habuiſſe a varietate ſtellionis: *verſipelles* enim paſſim, pro κακούργοις. Unde *tructa*, piſcis guttis rubris ſtellatus, pro fallace & deceptore. Etymologus: τρώκτης, ἀπατέων, ἐκ παντὸς κερδαίνων. Et poſtea: ἐκ τοῦ τρώκτης, γίνεται καὶ τρακταῖσαι, τὸ κακουργῆσαι.

STIPENDIUM.

Ulpianus lege 27. de Verborum ſignificatione: *Stipendium* a ſtipe *appellatum eſt, quod per* ſtipes: *id eſt, modica æra, colligatur.* ¶ Veriſſime. Atque ita Varro libro IV. de Lingua Latina: *Stipendium, ab* ſtipe *dictum, quod æs quoque* ſtipem *dicebant.* Feſtus etiam: *Stipem eſſe nummum ſignatum, teſtimonio eſt, & id quod datur ſtipendium militi, & cum ſpondetur pecunia, quod* ſtipulari *dicitur.* Item Plinius XXXIII. 3. *Populus Romanus, ne argento quidem ſignato ante Pyrrhum regem devictum uſus eſt. Libralis; unde etiam nunc* libella *dicitur; & dupondius appendebatur aſſis. Quare æris gravis pœna dicta. Et adhuc* expenſa *in rationibus dicuntur: item* impendia, *&* dependere. *Quin & militum* (an *militarium?*) *ſtipendiorum, hoc eſt, ſtipis ponderandæ penſatores* libripendes, *dicuntur.* Et Iſidorus: *Stipendium, a ſtipe pendenda nominatum. Antiqui enim appendere pecuniam ſoliti erant magis, quam annumerare. Stipendium,* igitur, quaſi *ſtipipendium.*

Inde *Stipatores*, a ſtipe quam accipiebant mercedis nomine; ſi Paulo, Feſti Adbreviatori, fides: nam aliter ipſe Feſtus: & verius: ſcilicet, quia ſtipati ferro circumdabant Regum corpora. Inde etiam *ſtipes* pro *ſtipendio*. Eugraphius, ad hæc Terentii in Eunucho Act. I. Sc. I. CAUDES, STIPES: *Stipes, eſt truncus cujuslibet ligni: & declinatur*, ſtipes, ſtipitis. Stipes *vero* ſtipis, *eſt prabenda militum. Prabendam* vocat ſtipendium: quæ vox a Militibus ad Canonicos, & alios traducta eſt. Unde autem *ſtipes*, pro pecunia, docere conatur Varro dicto loco: *Hoc ipſum* ſtipendium *ab* ſtipe *dictum, quod as quoque* ſtipem *dicebant. Nam quod aſſes libro pondo erant, qui acceperant majorem numerum, non in arca ponebant, ſed in aliqua cella ſtipabant; id eſt, componebant; quo minus loci occuparet, a* ſtipando, ſtipem *dicere cæperunt.* Stipare, *ab ςείβειν fortaſſe, Græco vocabulo*, & quæ ſequuntur: eſt enim locus prolixior, quam ut integer exſcribi debeat. Hanc Varronis originem veriſſimam eſſe putat Joſephus Scaliger: quod & ſimile dictum in Vita Lycurgi apud Plutarchum; & Porphyrium *περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων*: *ὥστε δέκα μνῶν ἀμοιβὴν ἀποθήκης μεγάλης δεῖσθαι.* Addit Vir magnus: *Hanc pecuniam ſic repoſitam in cella Dei, Feſtus ait* impenſam *vocatam fuiſſe, quod nondum eſſet penſa, ſed tantum ſtipata. Unde factum, ut quævis ſtipatio, & fartura,* impenſa *diceretur, &c.* Sed verius eſſe puto quod ait Salmaſius, *ſtipem* eſſe a *ςύπος*, hoc eſt *lucrum.*

Gloſſæ

Gloſſæ Veteres: *Stips.* *ςύπος*. Eam quoque *ſtipis* etymologiam ſequitur Voſſius in Etymologico. Qua de nos pluribus in Voce proxime ſequenti. Interea de Plinii loco ſupra recitato Salmaſium videſis in libro de Uſuris.

STIPULATIO.

Juſtinianus, libro III. Inſtitutionum Titulo XVI. de Verborum obligationibus: *Verbis obligatio contrahitur ex interrogatione & reſponſione, cum quid dari fierive nobis ſtipulamur. Ex qua duæ proficiſcuntur actiones, tam condictio certi, ſi certa ſit ſtipulatio: quam ex ſtipulatu, ſi incerta ſit. quæ hoc nomine inde utitur, quod* ſtipulum *apud Veteres* firmum *appellabatur: forte a* ſtipite *deſcendens.* ¶ Recte *ſtipulationem* a *ſtipulo* deducit Juſtinianus: ſed minus recte *ſtipulum* a *ſtipite.* Audiendus ea de re Etymologiarum pater, Claudius Salmaſius. Ita ille in libro de Uſuris: *Apud Romanos autem omnibus fere pactis ſtipulatio ſubjici ſolebat, quo firmiora redderentur: atque inde nomen. Nam* ſtupulum *Veteres quod erat firmum dixere, & ſolidum: ex Græco ςυφελὸν & ςυφλὸν: quod ςερεὸν, ςεῤῥὸν, & σκληρὸν Grammatici exponunt. Inde* ſtupulum, *& poſtea* ſtipulum: *ut* Σικελὸς, Siculus. *Ab eo,* ſtipulari, *firmare: &* ſtipulatio, *quæ interponitur ad firmandum pactum &c. Paulus libro* v. *Sententiarum:* Obligationum firmandarum gratia ſtipulationes inductæ ſunt, quæ quadam ver-

borum ſolemnitate concipiuntur. Et appellatæ, quod per eas firmitas obligationum conſtringitur. *Stipulum* enim Veteres *firmum* appellaverunt. *Quod eſt veriſſimum. Gloſſæ Nomicæ: ςιπϑλον ἰσχυρόν. Idque & in Inſtitutionibus poſuit Juſtinianus libro III. de ſtipulatione:* quæ hoc nomine inde utitur, quod *ſtipulum* apud Veteres *firmum* appellabatur: forte a *ſtipite* deſcendens. *Sed illud falſum de ſtipite. Nec verius, qui a* ſtipe *deducit:* (Varronem intelligit) & ſtipem, *a* ſtipando; *quod ſtiparetur in cellis grave æs; non in arca condéretur. Falſum id eſſe, ſyllabæ modulus arguit; in uno brevis; in altero longæ.* Στύπος *Græcis eſt κέρδος: unde* ſtipes. *Gloſſæ ἐλεημοσύνην reddunt. Sic* lucrum *eſt.* Stipulationem *Iſidorus, neſcio quos Antiquos ſequutus, a* ſtipula *deducit.* Veteres enim, *inquit,* quando aliquid ſibi promittebant, ſtipulam tenentes, frangebant, quam iterum jungentes, ſponſiones ſuas agnoſcebant. *Nugatur, vel ille unde ſumpſit. Quamvis enim crediderim, ſtipula fracta, & dimidiata, uſos ad hanc rem Veteres, nihil hoc ad ſtipulationem. Talea lignea utuntur hodie per medium diviſa, cujus altera pars emptori, altera venditori traditur,* & quæ ſequuntur. De loco Iſidori, videndus magnus ille Hieronymus Bignonius in Notis ad Marculfi Formularum librum primum.

SUPPL-

SUPELLEX.

Celſus, lege 7. de Supellectile legata: *Labeo ait originem fuiſſe ſupellectilis, quod olim his, qui in legationem proficiſcerentur, locari ſolerent, quæ ſub pellibus uſui forent.* ¶ Sub pellibus, id eſt, ſub tentoriis. ¶ Turnebus, a *ſuper* & *lectis* deducit. *Ego,* inquit Adverſar. XVIII. 23. *potius nomen* ſupellectilis *a lectu originem habuiſſe crediderim: ut initio eo nomine cenſerentur ea, quæ ſuper lectos, vel cubiculares, vel diſcubitorios, poni ſolerent; poſtea longius, latiusque ſignificatione propagata.* Græcæ videtur eſſe originis. An ab ἔπω, *operor, ago, tracto?* epſilon in omicron mutato. ἔπω, ὄπος τὸ: unde *opus, operor, &c.* Ita ab ἐπὶ, ὀπὶ: unde Latinum *ob.* Inde & Græcum ὀπώρα, pro *autumno.* Autumnus eſt ἡ κατόπιν ὥρα, ſeu ὥρα: unde Gallis, *l' arriére ſaiſon.* Similiter & Ὄπις, *Ultio,* ſeu *Vindicta; ultrix Deorum Providentia;* de qua Heſiodus. Hæc enim Dea tergis hominum inſtat. Tibullus: *Neſcius ultorem poſt caput eſſe Deum.* Igitur ab ἐπὶ, ἔπω, ἕπω, ἕπομαι, unde *ſequor.* Item, ἐπὶ, ὀπὶ, ὄπις: unde primum ἀν' ὄπιν & κατ' ὄπιν, & poſtea, ἀνόπιν & κατόπιν. Ab eodem ὄπις, eſt *Vopiſcus:* id eſt, ὁ κατόπισθεν τεχθείς: *poſt genitus.* Plinius libro VII. cap. 10. VOPISCOS *appellabant e geminis qui retenti utero naſcerentur, altero interempto abortu.* Sed ad propoſitum. Ab ὄπος, ὅπηλον τὸ, unde, ſyncope, ὅπλον: quæ vox in uſu. ὀπηλὴ, ὀπηλλὴ,

ὀπήλλαξ, *ſupellex*. Vel potius ſic: *ὄπος*, *ὀπέω*, *ὀπέλη*, *ὀπλὴ*, *ὄπελον*, *ὅπλον*, *τὸ*, *ὀπελλὴ*, *ὀπέλλαξ* *ſupellex*. *Τὰ ὅπλα* ab Homero vocantur inſtrumenta fabrilia & nautica. Verum; ut vere Euſtathius obſervabat; ſic quoque nominantur quælibet inſtrumenta: *πάσης τέχνης καὶ ὁποίας ἂν ἐργασίας ὄργανα*, ſive *ἐργαλεῖα*. Eſt autem ſupellex, domeſticum patris familiæ inſtrumentum, quod neque argento, aurove facto, vel veſti adnumeretur, ut eam Pomponius lege 1. de Supellectile legata definivit. Vel, ut Tubero, lege 7. D. eodem: Inſtrumentum quoddam patris familiæ, rerum ad cottidianum uſum paratarum, quod in aliam ſpeciem non caderet. Quæ duæ definitiones huic noſtræ originationi belle conveniunt.

Hæc ſcripſeram, cum monuit me Henricus Valeſius, *τὸ ſupellex* dictum ſibi videri ab eo, quod ſuperfluat & ſuperabundet. *Supellectilis* enim nomine intelligi vaſa, ſedilia, &c. Formaſſe autem hanc vocem Latinos ad ſimilitudinem vocis Græcæ *ἔπιπλα*, quæ *ſupellectilem* ſignificat: *τὰ κατὰ τὴν οἰκίαν σκεύη, ἔπιπλα λέγουσιν*, inquit Harpocration: & quæ ab *ἐπὶ*, quod eſt *ſuper*, formata fuit.

TABERNA.

Ulpianus, lege 183. de Verborum ſignificatione: *TABERNÆ appellatio declarat omne utile ad habitandum ædificium: non ex eo, quod tabulis cluditur.*

tur. Et Paulus, lege proxime ſequenti: *Inde* taberna, & contubernales *dicti ſunt.* Quare Hugo Grotius ad dictam legem 183. pro, *non ex eo*, legebat, *nam ex eo.* Etiam in libro Norico editum eſt, *nempe ex eo.* Sed hæc lectio ab Antonio Auguſtino reprehenditur: qui receptam tuetur lib. I. Emendationum capite 2. Cujacius quoque nihil mutat. Quamquam vero tantorum virorum magnopere me auctoritas movet, non tamen a Grotio diſſentio: cujus etiam emendatio mihi in mentem venerat, antequam in ejus obſervationem incidiſſem. Quidam *tabernas* ſic dictas exiſtimabant, quod tabulis clauderentur, ut patet ex loco Feſti: *Tabernacula*, inquit, *dicuntur a ſimilitudine tabernarum, quæ ipſæ quod ex tabulis olim fiebant, dictæ ſunt: non, ut quidam putant, quod tabulis cludantur.* Eorum ſententiam ſecutus eſt Ulpianus: quæ tamen a Feſto, dicto loco improbatur: nam *tabernas* vult dictas, quod ex tabulis olim fierent. Ipſe Feſtus alibi: *Contubernales dicuntur a* tabernis, *quæ fiebant ex tabulis; unde &* tabernacula *dicta ſunt, licet ex tentoriis & pellibus fiant.* Feſto accedit Iſidorus libro XV. capite 2. *Tabernæ olim vocabantur ædiculæ plebejorum parvæ & ſimplices in vicis, axibus & tabulis clauſæ: unde &* Tabernariæ, *quod ibi ſoleant conſedere. Dictæ autem* tabernæ, *quod ex tabulis ligneis erant conſtructæ: quæ nunc, etſi non ſpeciem, nomen tamen priſtinum retinent.* Aliter Donatus ad Terentii Adelphos III. 3. *Veteres* ganeum *meritoriam*

tabernam dixerunt, ἀπὸ τῆς γᾶς, τουτέςι, τῆς γῆς: *quod ipſa ſit in terra, non, ut cœnacula ſuperius. unde &* taberna, *quaſi* trabena: *a validioribus dicta trabibus, quibus ſuperiora ſuſpenſa ſunt.* Sed omnino *tabernæ* dictæ ſunt a *tabulis: ſive quod ea ex tabulis fierent:* ſive quod iis clauderentur. Sic autem formatum hoc vocabulum: *Tabula, tabulena, tabulerina, tabulerna, taberna.* Non recte Julius Scaliger, in libro de Cauſis Linguæ Latinæ, τὸ *taberna* exiſtimavit contractum fuiſſe ex *taberina:* tamquam fuerit *taberna.* Nec rectius Priſcianus; quo loco de affinitate literarum agit; a *tabula* factum immediate ſcripſit, tranſitione literæ L in literam R. *Tabula* autem ab obſoleto *taba:* qua de voce Voſſius & Martinius in Etymis. ¶ *Contubernales* a *taberna* dictos nulla dubitatio eſt: quaſi dicas, *ſocios ejuſdem tabernæ.* Proprie autem de militibus ſub uno papilione degentibus dicebantur. Vegetius libro 2. de Re Militari cap. 9. *Erant Decani, denis militibus præpoſiti: qui nunc* Caput contubernii *vocantur.* Et capite 13. *Rurſus ipſæ centuriæ in contubernia diviſa ſunt: ut decem militibus ſub uno papilione degentibus, unus praeeſſet Decanus, qui* Caput contubernii *nominatur.* Caſſiodorus in Pſalmum XIV. *Et inde etiam milites contubernales, qui ſub eodem tecto, ſive tentorio diverſantur.* Gloſſæ Veteres: *Contubernium.* συνοίκειον πολλῶν, συνσκήνιον, σύνσιτον ςρατιωτῶν. Corrige συσσίτιον. Inde *contubernales ſervorum*, pro *uxori-*

uxoribus ſervorum: de quibus Antonius Auguſtinus libro III. Emendationum capite 2. TABA autem, *παρὰ τὸ τάζω*: quoniam tabulata in ædibus planiciem extendebant, ut recte Julius Scaliger dicto loco.

TELUM.

Gajus, lege 233. de Verborum ſignificatione: TELUM, *vulgo quidem id appellatur, quod ab arcu mittitur. Sed nunc omne ſignificatur, quod mittitur manu. Ita ſequitur, ut & lapis, & lignum, & ferrum hoc nomine contineatur: dictumque ab eo, quod in longinquum mittitur, Græca voce figuratum, ἀπὸ τοῦ τηλοῦ. Et hanc ſignificationem invenire poſſumus & in Græco nomine. Nam quod nos* telum *appellamus, illi βέλος appellant: eoque nomine vulgo quidem id ſignificatur, quod ab arcu mittitur. ſed non minus omne ſignificatur, quod mittitur, manu; ἀπὸ τοῦ βάλλεσθαι. Admonet nos* Ξενοφῶν*:* (Legendum *Xenophon*, non Ξενοφῶν: ut *helices*, non ἕλικες, in lege 1. §. 9. de Aqua, & Aquæ pluviæ; & *Eros*, non Ἔρως, in lege 32. de Teſtamentaria Tutela.) *Nam ita ſcribit: καὶ τὰ βέλη ὁμόσε ἐφέρετο, λόγχαι, τοξεύματα, σφενδόναι· πλεῖστοι δὲ καὶ λίθοι.* (Locus Xenophontis eſt in quinto ἀναβάσεως, uno, aut altero verbo immutatus.) *Et id, quod ab arcu mittitur, apud Græcos quidem proprio nomine τόξευμα vocatur: apud nos autem communi nomine* telum *appellatur.* Eadem legere eſt in Inſtitutionibus Juſtinianeis, Titulo de Publicis Judiciis:

TELUM *autem, ut Gajus noſter in Interpretatione Legum XII. Tab. ſcriptum reliquit, vulgo quidem id appellatur, quod ab arcu mittitur: ſed & omne ſignificatur, quod manu cujuſdam mittitur. Sequitur ergo, ut lapis, & lignum, & ferrum hoc nomine contineatur; dictumque ab eo, quod in longinquum mittitur: a Græca voce, ἀπὸ τȣ̃ τηλȣ̃.* (Ita legendum apud Theophilum, non ἀπὸ τȣ̃ βέλȣς.) *Et hanc ſignificationem, &c.* Ita quoque reliqui Scriptores. Feſtus in *tela*: TELA, *proprie dici videntur ea, quæ miſſilia ſunt: ex Græco videlicet eorum nomine, quia illi τηλόθεν miſſa dicunt, quæ nos* eminus. *ſicut arma ea quæ ab humeris dependentia retinentur manibus: quandoquidem non minus in nobis eam partem corporis* armum *vocari exiſtimandum eſt, quam* arma. Et in *arma*: ARMA, *proprie dicuntur ab* armis, *id eſt*, humeris, *dependentia, ut ſcutum, gladius, pugio, ſica, & ea quibus prope præliatur: ſicut* TELA, *quibus procul.* Et *in protelare: Protelare, dicitur longe propellere. ex Græco videlicet, quod eſt* τῆλε, *& ſignificat* longe. Servius ad illud Virgilii Æneid. VIII. DESUPER ALCIDES TELIS PREMIT. *Omne quod jaci poteſt,* telum *vocatur: dictum* ἀπὸ τȣ̃ τηλόθεν. Et ad illud, TELORUM EFFUNDERE CONTRA OMNE GENUS, lib. IX. *Oſtendit* telum *vocari, omne quod jacitur. Græci* τὰ βέλη, *ἀπὸ τȣ̃ βάλλειν: ſicut Latini* tela, *ἀπὸ τȣ̃ τῆλε, id eſt,* longe. Hanc originationem ſequuntur Martinius & Voſſius. Et ad eam reſpexiſſe videtur

tur auctor Veterum Gloſſarum. *Telum.* ἀκόντιον. τὸ μακρόθεν βαλλόμενον ὅπλον. Item Ovidius:

Mirabar, quare tibi nomen Acontius eſſet,
Quod faciat longe vulnus, acumen habes.

Mihi *telum* videtur eſſe a κῆλον, quod idem ſonat. Heſiodus in Theogonia:

- - - βροντήν τε, στεροπήν τε, καὶ αἰθαλόεντα
κῆλα Διὸς μεγάλοιο.

Homerus Iliad. α:

Ἐννῆμαρ μὲν ἀνὰ στρατὸν ᾤχετο κῆλα θεοῖο.

K in T, ut in κεῖνος, τῆνος. κῆλον autem proprie *lignum:* ut κᾶλον. utrumque a καίω: qua de re nos alibi. Ita τόξον, a τάξος. id eſt, arcus ex taxo arbore. Sed ea de re & nos alibi.

TERRITORIUM.

Pomponius, lege 239. §. 8. de Verborum ſignificatione: TERRITORIUM, *eſt univerſitas agrorum, intra fines cujusque civitatis, quod ab eo dictum quidam ajunt, quod magiſtratus ejus loci, intra eos fines terrendi, id eſt, ſummovendi, jus habet.* ¶ ἀπὸ τοῦ *terrere;* ſed alia de cauſa; deducit quoque *territorium* Siculus Flaccus libro de Conditionibus agrorum, ſtatim initio: *pramenſumque quod univerſis ſuffecturum videbatur ſolum, territis, fugatisque inde civibus,* territoria *dixerunt.* Frontinus etiam. Verba ejus ſunt: *Sed ſi rationem appellationis hujus tractemus,* TERRITORIUM, *eſt quicquid*

quid hoſtis terrendi cauſa conſtitutum eſt. Et lapſus memoria eſt Hugo Grotius, qui libro 3. de Jure Belli & Pacis, capite ſexto, ſectione quarta, TERRITORIUM a *terra* deducere Frontinum ait. Sed ad rem. Etiam Aggennius Urbicus de Limitibus: *Si rationem appellationis hujus tractemus, territorium eſt, quicquid hoſtis terrendi cauſa conſtitutum eſt.* Atque eam originationem videtur ceteris præferre ipſe Grotius lib. 3. de Jure Belli & Pacis. c. 6. Varro dictum putabat, *quod maxime teritur.* TERA, inquit, *in Augurum libris ſcripta cum R uno. Ab eo colonis locus communis, qui prope opidum relinquitur,* TERRITORIUM, *quod maxime teritur.* Latinum *terra* dictum a Græco ἔρα, obiter obſervamus: ut recte veteres Romanos hanc vocem cum R uno ſcripſerint; quod teſtatur ipſe Varro. Iſidorus, quaſi *teritaurium, tritum bobus & aratro. Antiqui enim*, inquit, *ſulco ducto, poſſeſſionum & territoriorum limites deſignabant.* Quod habuit a Servio. Servii verba ſunt, ad hæc Æneidos v. URBEM DESIGNAT ARATRO: *Quem Cato in Originibus dicit morem fuiſſe. Condituri enim civitates, taurum in dextra, vaccam in ſiniſtra jungebant: & cincti ritu Sabino, id eſt, toga parte capita velati, parte ſuccincti, tenebant ſtivam obliquam, ut glebæ omnes intrinſecus caderent. Et ita, ſulco ducto, loca deſignabant murorum, aratrum ſuſpendentes circa loca portarum. Unde &* territorium *dictum eſt quaſi* tritorium, *tritum bubus & aratro.*

A voce

A voce *terra*, figuratum putat Voſſius; ac tres poſtremas ſyllabas *torium*, eſſe vocis productionem: ut *tolium*, in *capitolium*. *Terra*, *terrum*, *territum*, TERRITORIUM. Idem & Henrico & Hadriano Valeſiis fratribus videbatur. Neque mihi hæc ἐτυμολογίης diſplicet. Placet vero Antonio Goveano libro 2. de Juriſdictione ad legem 20. de Juriſdictione. Ad quam originationem etiam reſpexiſſe videtur Apollinaris Sidonius, his verbis: *Tu vide, qualis ſit civitas, ubi tibi lar familiaris incolitur; quæ facilius territorium poſſit habere, quam terram.* Sed nec mihi diſplicet Claudii Salmaſii ſententia; qui *territorium* compoſitum eſſe vocabulum ab antiqua voce *tores*, & *terra*, exiſtimat. *Torem*, vel *torrem*, Veteres terminum vocabant: cujus vocis veſtigium remanſit in dictione *extorris*. *Extorris* enim proprie, qui extra torrem, id eſt, limitem, pulſus eſt: ὁ ἐξοριϲθείς: ut *exſul*, qui extra ſolum. Antiqui autem *torem*, non *torrem* dicebant: non enim geminabant conſonantes. Hæc, & plura, Salmaſius ad Scriptores Hiſtoriæ Auguſtæ. Cum territorium nihil aliud ſit quam locus cum juriſdictione; unde *Judicis territorium*, lege ultima de Juriſdictione; potiorem hujus vocis ἐτυμότητα putat Voſſius eam, quam Pomponius protulit.

TESTAMENTUM.

Tribonianus in Inſtitutionibus Juſtiniani Titulo de Teſtamentis ordinandis: *Teſtamentum ex*

eo

eo appellatur, quod teſtatio mentis ſit. ¶ Inepte, ut nihil poſſit excogitari ineptius: æque enim dici poſſet & *fragmentum* eſſe *mentis fractionem*; & *lomentum*, *lotionem mentis*; & *calceamentum*, *calceationem mentis*, ut venuſte Laurentius Valla libro VI. capite 36. & Salmaſius capite I. de Uſuris. Merito igitur, qui in ea quoque erat ſententia, Servius Sulpicius, a Gellio reprehenditur, libro VI. Noctium Atticarum capite 12. Inſignis plane locus: ideo verba ipſa Gellii proferam: *Servius Sulpicius Juriſconſultus, vir ætatis ſuæ doctiſſimus, in libro de Sacris deteſtandis ſecundo, qua ratione adductus, teſtamentum, verbum eſſe duplex ſcripſerit, non reperio. Nam compoſitum eſſe dixit a* mentis conteſtatione. *Quid igitur* calceamentum, *quid* paludamentum, *quid* pavimentum, *quid* veſtimentum, *quid alia mille per hujuſcemodi formam producta? Etiamne iſta omnia compoſita dicemus? Obrepſiſſe autem videtur Servio; vel ſi quis alius eſt qui id prior dixit; falſa quidem, ſed non abhorrens, neque inconcinna quaſi mentis quædam in hoc vocabulo ſignificatio.* ¶ TESTAMENTUM, eſt a *teſtamen: teſtamen*, a *teſtor*, ut a *moneo*, *monumen*, MONUMENTUM: a *doceo documen*, DOCUMENTUM. Et fruſtra, poſt Alciatum, Viglium, Connanum, Tribonianum teſtamenti originationem Cujacius excuſare conatur. Verba ejus ſunt libro XI. Obſervationum capite 37. *Illa quoque teſtamenti, quæ a Noſtris traditur originatio, conficta eſt Stoicorum imitatione, quod*

quod ſit teſtatio mentis: ſcita enim & concinna magis eſt, quam vera. Nam certe teſtamentum *natum eſt verbum, non ab origine factum duplici.* TESTOR porro, eſt a *teſtis: teſtis* autem a Græco antiquo θέςωρ: quod eſt a θέσθαι, ut vere & docte ad Priapeia Joſephus Scaliger. Θεςορίδης, nomen eſt proprium, quo Calchas vocitabatur. Ita dictus & quidam Ludimagiſter, Homeri æqualis: de quo Scriptor Vitæ Homeri, quam Herodoto, Hiſtoriæ parenti, tribuunt: falſo, ut alibi oſtendimus. Inde θέςωρ in uſu olim fuiſſe apparet: eſt enim Θεςορίδης, θέςορος παῖς, ut recte Heſychius.

TIGNUM.

Ulpianus, lege unica de Tigno juncto: TIGNI *autem appellatione continetur omnis materia, ex qua ædificium conſtet, vineaque neceſſaria. Unde quidam ajunt tegulam quoque, & lapidem, & teſtam, ceteraque, ſi qua ædificiis ſint utilia.* TIGNA *enim a* tegendo *dicta ſunt.* ¶ Optime. TIGNUM, a *tegendo:* ut LIGNUM, a *legendo;* REGNUM, a *regendo.* Cæſar, de Bello Civili: *Tigna, quæ muſculi tegendi cauſa ponunt.* A τύκω, quod eſt *fabrico*, deduci poſſe credebat Martinius.

TOGA.

Vide in *Tugurium.*

TRI-

TRIBUNUS.

Pomponius lege 2. §. 22. de Origine Juris: *Iiſdem temporibus, cum Plebs a Patribus ſeceſſiſſet, anno fere decimo ſeptimo poſt Reges exactos, Tribunos ſibi in Monte Sacro creavit, qui eſſent Plebei Magiſtratus. Dicti* Tribuni, *quod olim in tres partes Populus diviſus erat, & ex ſingulis ſinguli creabantur.* Similiter Pedianus in III. Verrinam; ubi de tribubus: *Obtinuerunt autem nomen, aut a tributo dando: aut quia primo tres fuerunt; unde etiam Tribuni.* Item, Plutarchus in Vita Romuli; ubi & de tribubus; Tatienſium, Ramnium, Lucerum: ὅτι δ' ἦσαν αἱ Φυλαὶ τοσαῦται, τοὔνομα μαρτυρεῖ. τρίβους γὰρ ἔτι νῦν, τὰς Φυλὰς καλοῦσι, καὶ Τριβούνους, τοὺς Φυλάρχους *Tres vero tribus fuiſſe, indicat ipſum nomen. Quippe nunc quoque, quas Græci Φυλὰς, ipſi* tribus *vocant; quique iis præſunt,* Tribunos. Magis placet Voſſii ſententia, dictos *Tribunos*, quia præerant tribubus; qua ratione Curiones vocati, qui præeſſent curiis. Inepte Iſidorus: *eo quod plebi jura & opem tribuunt. Tribus* autem a Græco τριτὺς. ſive τριττὺς, quod idem ſonat. Heſychius, τριττύς. μέρος Φυλῆς. Harpocration: τριττύς. Αἰσχίνης ἐν τῷ κατὰ Κτησιφῶντος. τριττύς, ἐστι τὸ τρίτον μέρος τῆς Φυλῆς· αὕτη γὰρ διῄρηται εἰς τρία μέρη, Τριττὺν, καὶ Ἔθνη, καὶ Φρατρίας. ὥς Φησιν Ἀριστοτέλης ἐν τῇ Ἀθηναίων πολιτείᾳ. Inde τριτυάρχης, ὁ ἄρχων τῆς τριτύος. Mutatur T in B, ut in λίτρα, *libra* Non recte ab *tributo* Livius libro I. dictas fuiſſe *tribus* arbitratur.

TRI-

TRIBUTUM.

Ulpianus, lege 27. de verborum ſignificatione: *Et ſane appellatur ab intributione* tributum: *vel eo quod militibus tribuatur.* ¶ TRIBUTUM, eſt a *tribuo:* quia ex privato in publicum, tribuitur, ut recte, Feſti Abbreviator, Paulus. *Tribuo* autem, a *tribus:* tribui enim dicitur, quod tributim exigitur, & in publicum confertur.

TRITAVUS.

Dictus quaſi tertius avus, inquit Paulus, lege 10. §. 17. de Gradibus. Nihil verius. Inde Græcis & τριτοπάτωρ; quam vocem Ariſtoteles, teſte Julio Polluce, uſurpavit: Et παππεπίπαππος, quaſi dicas *avi avum*; vox a Philonide uſurpata; ſed a Polluce, ut ἰδιωτικὴ, damnata.

TRITICIARIA *Condictio.*

Accurſius ad Titulum de Condictione Triticiaria: *Videndum ergo ſit, unde ſic dicatur. Et quidem hoc in nullo loco reperitur. Poteſt tamen probabiliter dici, ut aſſumpſerit nomen a Triticio, auctore: ut de Publiciana dicitur: ut Inſtitutiones de Actionibus, §. Sed quia ſane.* Falſus eſt Accurſius; quemadmodum & Bartolus & Albericus, qui in eadem ſunt ſententia. Belliſſime Cujacius in Paratitlo ad dictum Titulum: *Con-*

dictioni Triticariæ indictum eſt nomen tale, caſu quodam, ut Stephanus, Græcus Interpres, ait: quia in antiqua formula hujuſce condictionis, quoties ſcilicet ſua cuique actioni conſtituta erat formula, tritici fiebat mentio: propterea quod qui hanc actionem ſibi dari prius poſtulaverat, forte ei res erat de æſtimando tritico. Et ne quis me hoc adſingere putet; & quod etiam ſit notatu valde dignum; necdum enim ſciebamus quæ appellatio, quæve actio hæc eſſet; apponam ipſa Græcorum verba: Ἰστέον δέ, ὥς φησι Στέφανος ἐν ταῖς παραγραφαῖς, οὕτω λέγεται Τριτικιάριος, ἐπειδὴ ἐν τῇ κατὰ τὸ πάλαι πολιτευόμενον αὐτοῦ φόρμουλα, τρίτικι ἐνέκειτο μνήμη. ὃ δὲ λέγει, τοιοῦτόν ἐστιν. Ἐν τῇ παλαίᾳ φορμούλᾳ καὶ τῷ τύπῳ αὐτοῦ, ἡνίκα τὴν ἀρχὴν ἐτυπώθη παρὰ τῶν Νομικῶν, μνεία γέγονε τρίτικι, ἤγουν σίτου, τυχὸν ἀνάγοντος τινὸς σῖτον αὐτῷ διαφέροντα κατέχειν τινὰ παρὰ τὸν νόμον, καὶ πρὸς τὸ τοιοῦτον φάκτον τυπωθέντος τοῦ τριτικιαρίου κονδικτικίου, Etiam Antonius Auguſtinus in Notis ad librum de Propriis Nominibus Pandectarum, a *tritico* deducit. ¶ A *triticum, triticus, triticeus, triticius, triticiarius. De Condictione Triticiaria*, ſcriptum exhibent Pandectæ Florentinæ: quam lectionem agnovit & Stephanus, Græcus Interpres, loco ſupra recitato. Vulgati libri, *de Condictione Triticaria.* Et ita Cujacius, loco quoque ſupra recitato: quæ lectio Accurſiano ἐτύμῳ adverſatur: a *Triticio* enim *Triticarius* formari non poteſt.

TRI-

TRIUMVIRI NOCTURNI.

Paulus, lege I. de Officio Præfecti Vigilum: *Apud Vetuſtiores, incendiis arcendis Triumviri præerant, qui, ab eo quod excubias agebant, Nocturni dicti ſunt.* ¶ Vero verius. Inde Græcis Νυκτέπαρχοι. Quam tamen appellationem, ut nebuloſam & obſcuram, damnat ac relegat Imperator Juſtinianus in Novella XIII. Quo loco, unde ſic Præfectos Vigilum Græci vocaverint, ſe neſcire ait: eosque Prætores Plebejos in poſterum vocari jubet. Sed Triumviri Nocturni dicuntur etiam Livio libro IX.

TUGURIUM.

Pomponius, lege 180. de Verborum ſignificatione: TUGURII *appellatione omne ædificium, quod ruſticæ magis cuſtodiæ convenit, quam urbanis ædibus, ſignificatur. Ofilius ait*, tugurium, *a* tecto *tamquam* tegularium *eſſe dictum: ut* toga, *quod ea tegamur.* Similiter Feſtus: TUGURIA *a* tecto *appellantur, domicilia ruſticorum ſordida.* ¶ TUGURIUM mihi videtur eſſe a τέγω. ſive *tego.* Idem & Julio Scaligero videbatur libro I. de Cauſis Linguæ Latinæ capite 29, τέγω, τόγος, τόγορ Laconice, *togor, togoris, togorium, tugorium, tugurium. Tugorium*, etiamnum legitur in Veteribus Gloſſis. *Tugorium*, σκηνὴ ἀγροίκων. Σκηνὴ ἀγροίκων. *tugorium.* Et veroſimiliter Grotius, non *tamquam tegularium*, ſed *tamquam*

tegurium, in verbis Pomponii legendum putat. Scipio Gentilis, Originum libro Singulari, legebat, *Tugurium*, *a tegula*, ſive *a* *τέγος*: ut reſpondeat voci *tugurium* & *tegularium*. Ad *toga* *ἔτυμον* quod attinet, alii quoque a *tego*, hoc vocabulum deducunt. Varro libro IV. de Lingua Latina. TOGA, *a tegendo. Cinctus & cingulum, a cingendo: alterum viris, alterum mulieribus attributum.* Nonius Marcellus de Varia ſignificatione verborum: TOGA *dicta eſt a tegendo.* Unde & *tectum* olim pro *toga*, ut idem Nonius ex Titinnio Gemina teſtatur. *Toga*, a *τέγω*, Græco more: ut a *φέρω*, *φορά*: a *πλέκω*, *κλοκή*: a *μένω*, *μονή*. quod recte Grotius ad dictam Legem 180. obſervavit.

TURBA.

Ulpianus, lege 4. de Vi bonorum raptorum: TURBAM *autem appellatam Labeo ait ex genere tumultus. idque verbum ex Græco tractum, ἀπὸ τοῦ θορυβεῖν.* Ita Pandectæ Florentinæ. Haloander: *Idque verbum ex Græco tractum τύρβη*: quam lectionem videtur Alciatus probare ad legem *Deteſtatio* 40. de Verborum ſignificatione. Budæus ſcriptum fuiſſe volebat: *Idque verbum ex Græco tractum: τύρβη γὰρ, παρὰ τὸ θορυβῶ εἴρηται.* ¶ Papias deducit a *turbando*. *Turba*, inquit, *populi multitudo, grex, caterva, populus, plebs; a* turbando, *quia diſſona eſt.* Immo, *turbare* eſt a *turba.*

turba. Turba autem a Græco τύρϐη. Heſychius: τύρϐη. θόρυϐος, ἀγωγὴ, τάραχος. Suidas: τύρϐη. ἀπόλαυσις, ἢ θόρυϐος, ἢ τάραξις. Utitur Xenophon libro I. de Inſtitutione Cyri, non longe ab initio, ubi de Perſarum foro: ἐντεῦθεν τὰ μὲν ὤνια, καὶ οἱ ἀγοραῖοι, καὶ αἱ τούτων φωναὶ, καὶ ἀπειροκαλίαι ἀπελήλανται εἰς ἄλλον τόπον, ὡς μὴ μιγνύηται ἡ τούτων τύρϐη τῇ τῶν παιδευμένων εὐκοσμίᾳ. *Hinc & res venales, & nundinatores, & clamores horum, ac inſolentiæ, alium in locum rejecta ſunt: ne horum turbulenta confuſio cum decoro illorum ordine, qui ſunt inſtituendi, permiſceatur.* Occurrit & apud Polybium, Plutarchum, Lucianum, & alios. Inde τύρβησις apud Elæos pro aëre, ut teſtatur Heſychius: quod de aëre turbido accipiendum. Inde & *turba*, pro tempeſtate, apud Propertium libro tertio, elegeia 2.

Alter remus aquas, alter tibi radat arenas,
Tutus eris. medio maxima turba mari eſt.

Ibi enim *maxima turba*, eſt ταραχὴ, χειμών. Inde & τυρϐηνὸς epithetum Apollinis, id eſt, Solis, apud eumdem Heſychium. τύρϐη autem Attice, pro σύρϐη, communi, ut infra ex Lexico Rhetorico probabitur. Heſychius: σύρϐα. μετὰ θορύϐου. Zenobius in Proverbiis, Centuria ſexta, ſectione prima: ΣΥΡΒΗΝΗΣ ΧΟΡΟΣ. αὕτη τέτακται κατὰ τῶν ἀτάκτων χορῶν. ἀπὸ τοῦ τινας τοῖς ὑσὶν ἐπιφωνεῖν σύρϐας· σύρϐην δὲ τὸν τάραχον ἔλεγον. Similia legas apud Etymologum:

cujus verba, quis emendatione noſtra egent, infra ponere non gravabor: συρβηνός. ὁ ταραχώδης· ἀπὸ τῶν αὐλούντων μετὰ θορύβου. ἢ πένης· διὰ τὸ τὰς αὐλεθήκας καὶ φαρέτρας κενάς. καὶ συρβηνέων χορὸς, ὁ τεταραγμένος καὶ συώδης: ἀπὸ τοῦ τοῖς κυσὶν ἐπιφωνουμένου. Legendum, ut in Zenobio legitur, ἀπὸ τοῦ τοῖς ὑσίν. Et ita apud Suidam, qui Etymologi verba exſcripſit: καὶ Συρβηνέων χορὸς, ὁ τεταγμένος· καὶ συώδης· ἀπὸ τοῦ τοῖς ὑσὶν ἐπιφωνουμένου. διὸ τάττεται ἡ παροιμία, ΣΥΡΒΗΝΗ ΧΟΡΟΣ, ἐπὶ τῶν ἀτάκτων χορῶν. Habes apud eumdem Etymologum: συρβάβυττα. τὸν τάραχον. Καὶ σύρβη, ὡς Ἀριστοφάνης ὁ Γραμματικός. An legendum, συρβάρυττα? Corrigendus obiter & Heſychius. σύρη, πλῆθος. σύρματα ναυμαχίας. Lege σύρβη. Idem: τυρβασία. χορῶν ἀγωγή τις ἡ θυραμβικῶν. Reſcribe, διθυραμβικῶν. Pollux IV. 15. τυρβασία δὲ, ἐκαλεῖτο τὸ ὄρχημα τὸ διθυραμβικόν. σύρβη autem, non a ſubulcorum ad ſues voce, ut Zenobius atque Etymologus tradunt, ſed a σύρω, τῷ ὀνοματοποιητικῷ, inuſitato: unde συρίζω, σύριγξ, &c. & eadem forma qua a σύρω, *trabo*, factum eſt σύρφαξ, & σύρφετος, σύρβη proprie, eſt ὁ αὐλὸς, *tibia*, σύριγξ, *fiſtula*. unde συρβηνεὺς, *qui tibia canit*. Heſychius: συρβηνεύς. Κρατῖνος ἐν Θράτταις. ἤτοι αὐλητής· σύρβη γὰρ ἡ αὐλοθήκη· ἢ ταραχώδης. Suidas Συρβη. τάραχος. Συρβηνεύς. ὁ ταραχώδης· ἀπὸ τῶν αὐλούντων μετὰ θορύβου. ἢ πένης, διὰ τὸ

τὰς

τὰς αὐλοθήκας καὶ Φαρέτρας κενὰς ἔχειν. Conjecturam noſtram firmat non parum Proverbium Συρβηναίων χορός: quod Athenæus libro xv. ſic interpretatur: Κλέαρχος, ὦ λῷςε, ἐν δευτέρῳ Περὶ παιδείας, ἕτωσί Φησιν· Λείπεταί τις ὁ Συρβηναίων χορὸς, (alias Συρβηνέων) ὧν ἕκαςον τὸ δοκοῦν ἑαυτῷ κατᾷσαι δεῖ, προσέχοντα ὐδὲν τῷ προκαθημένῳ, καὶ διδάσκοντι τὸν χορόν· ἀλλ' αὐτὸς πολὺ τύτων ἀτακτότερος. *Clearchus, o bone, libro 2. Inſtitutionum ita ſcribit: Reſtat quidam Syrbenæorum chorus, in quo ſingulos oportet canere quicquid viſum fuerit, & in buccam venerit: nihil attendentes, aut auſcultantes quid cantet ipſe chori ductor ac præcentor; qui & ipſe quam ceteri tumultuoſior ac magis incompoſitus.* Item a σύρω, *ſibilo*, eſt τὸ τυριχίλος, quod ἄυλον καλάμινον Heſychius interpretatur. σύρω, Attice τύρω, τύρος, τύριχος, τυριχίλος. Ergo σύρβη in primaria ſignificatione eſt ἄυλος, ſeu σύριγξ: in ſecundaria, eſt *ſibilus*, *ſtrepitus*. Tamen Caſaubonus ad dictum locum Athenæi, Συρβυναίων (ſive potius Συρβηνέων) χορὸν, a turba & ſtrepitu originem habuiſſe exiſtimabat. Quam ego ſententiam non improbaverim. Sed Comicum quis ferat, τὸ τύρβη, ἀπὸ τῦ τυρῦ, teſte Euſtathio deducentem. Verba Euſtathii ſunt ad Iliad. α. pag. 610. καὶ μαρτυρήσει καὶ ὁ Κωμικὸς, ἐκ τῦ τυρῦ παρετυμολογῶν τὸ τύρευμα, ἐξ ὗ καὶ τὸ τυρβάζειν γίνεται. Quam tamen originationem probavit poſtea Euſtathius ad Iliad. λ. pag. 871. qui

eam dicto loco damnaverat. ἐκ τυρῦ, inquit, τὸ τυρεύειν, ἐπὶ ϛροφῆς κακομηχάνυ πραγμάτων· καὶ ἡ τύρϐη, ἢ διὰ τῦ σ, σύρϐη. Sed Comicus qui id dixerat, ludens, non ſerio, id dixiſſe videtur. Quare Euſtathius revocans ſe, dictam originationem improbat ad Odyſſ. I. pag. 1626. ἀπὸ δὲ τῦ τυρῦ, τυρεύειν τε, τὸ ἀνακυκᾶν πράγματα· καὶ τυρβάζειν δὲ, τὸ ὑπὲρ τύτων μεριμνᾶν. εἰ δέ γε, ὡς ἐν Ρητορικῷ εὕρηται Λεξικῷ, ἡ κοινῶς λεγομένη σύρβη, ΤΥΡΒΗ λέγεται Ἀττικῶς, ζητητέον ἑτέραν τινὰ ἐτυμολογίαν ταύτης τε, καὶ τῦ ΤΥΡΒΑ'ΖΕΙΝ.

TUTOR.

Paulus, l. I. de Tutelis: TUTELA, *eſt, ut Servius definit, vis, ac poteſtas in capite libero, ad tuendum eum, qui propter ætatem ſuam ſponte ſe defendere nequit, jure civili data ac permiſſa.* TUTORES *autem ſunt, qui eam vim ac poteſtatem habent; exque re ipſa nomen ceperunt. Itaque appellantur* Tutores, *quaſi tuitores, atque defenſores: ſicut* Æditui, *qui ædes tuentur.* Eadem habet Juſtinianus in Inſtitutionibus, ſub titulo de Tutelis. Etiam Gellius libro 12. capite 3. *tutorem* a *tuendo* dictum ait. ¶ Optime. Ex *tueor*, eſt *tuitus*; unde *tutus*. Ex *tutus*; *tutare:* unde *tutor*, & *tutela*. Inde & *Tutanus* Deus, & Dea *Tutilina*. *Tueor* autem proprie & primario, eſt, *video, ſpecto, inſpicio:* a θεῶμαι, ut vult Caninius: aut a θεωρῶ, ut viſum Martinio. ſecundario, eſt *defendo, inſpiciendo curo.* Ita Græcis τὸ ἐπισκοπῶ, & pro *video*, & pro *curo* uſurpatur. Recte igitur

igitur Varro libro VI. de Lingua Latina. (Ejus verba eo lubentius adducemus, quod in iis eamdem ac Paulus noſter *Æditui* originem adducit) TUERI, *duo ſignificat, unum ab aſpectu, ut dixi: unde eſt illud*, Tueor te, ſenex? proh Jupiter! *Et*, Quis pater, aut cognatus volet nos contra tueri? *Alterum, a* curando, *ac* tutela. *Ut cum dicimus*, Bellum tueor. *Et*, Tueri villam. *A quo etiam quidam dicunt illum qui curat ædes ſacras*, Æditumum, *non* Æditumum. *Sed tamen hoc ipſum ab eadem eſt profectum origine, quod quem volumus domi curare, dicimus*, Tu domi videbis. *Ut Plautus, cum ait*, Intus para, cura, vide quid opus ſiet. *Sic dicta* Veſtiſpica, *quæ veſtem ſpiceret, id eſt, videret veſtem, ac tueretur. Quare a* tuendo *&* templa, *&* teſca *dicta, &c.* ¶ Sed poſtremum illud de *templis* & *teſquis* falſum eſt. *Templum* eſt a τέμενος, quod a τέμνειν. τέμνο, τέμενος, τέμμος, τέμπος, *tempum, tempulum*, TEMPLUM. *Teſca* vero a δάσκια, ut Scaliger ad dictum locum Varronis: quaſi δασύσκια, hoc eſt, *denſam*, ſeu *ſpiſſam umbram facientia.* Non verius *Æditui* veriloquium: quamquam ſic quoque Sextus Pompejus Feſtus. ÆDITUUS. *Sacræ ædis tuitor, id eſt, curam agens*, inquit ille in libro de Verborum ſignificatione. *Æditiuus* contractum eſt ex *æditimus. Æditimus, æditumus*, ÆDITUUS. Vel ſic: *Ædes, ædis, æditius*, ÆDITUUS: i in u. ut *proficio, proficius, proficuus: maximus, maxumus: exiſtimo, exiſtumo:* ὄρθος, ὄρθιος, *ardius, arduus. Æditimus* autem formatum ab *ædes, ædis*, eo modo,

 quo

quo *finitimus* & *legitimus*, a *fine* & *lege:* ut recte Gellius lib. XII. cap. 10. & ante eum Servius Sulpicius, apud Ciceronem in Topicis: cujus verba ſupra in *Poſtliminium* adduximus. Inepte Feſtus, ÆDITIMUS: *quaſi ædis intimus:* ad quem Feſti locum videndus Scaliger. Pauli & Varronis ſententiæ favet tamen Lucretius, qui in Carmine ſuo *Ædituos*, *Æditaentes* appellat.

VECORS. VESANUS. VIDUA.

Jabolenus, lege 4. de Vi bonorum raptorum; VIDUAM, *non ſolum eam, quæ aliquando nupta fuiſſet, ſed eam quoque mulierem, quæ virum non habuiſſet, appellari ait Labeo: quia vidua ſic dicta eſt, quaſi* vecors, veſanus, *qui ſine corde, aut ſanitate eſſet. ſimiliter viduam eſſe, ſine duitate.* ¶ Aliter Macrobius Saturnal. libro I. capite 15. ubi de variis τῦ *Idus* originationibus: *Nobis illa ratio nominis vero propior exiſtimatur, ut* Idus *vocemus diem, qui dividit menſem* Induare *enim, Etruſca lingua*, dividere *eſt. Unde* vidua, *quaſi* valde idua, *id eſt*, valde diviſa. *aut* vidua, *id eſt, a viro diviſa.* Quod ipſum legere eſt & apud Rabanum in libro de Computo ſectione 331. *Porro* Idus *vocare placuit, diem qui dividit menſem. Induere enim Etruſca lingua dividere eſt; Unde vidua, quaſi* valde idua, *id eſt, valde diviſa,* aut *vidua, id eſt a viro diviſa.* Quæ etiam eſt doctiſſimi Martini ſententia. Sed aliter quoque Iſidorus. VIDUA, inquit, *vocata,* *quod*

quod cum viro uno fuerit, nec circa conſortium alterius viri poſt mortem conjugis primi adhaſerit. Nam quæ alteri poſt mortem prioris viri nupſerint, viduæ non dicuntur. Item vidua *dicta, quod ſola ſit, nec circa conſortium alterius viri conjugalia jura cuſtodiat.* Non diſplicet Iſidori originatio. ἴος, eſt *unus.* Heſychius: ἴα, μία, καὶ μόνη. ἴη, μία, μόνη. ἴον, μόνον. Ab ἴος ſunt ἴτος & ἴττος. Τὸ ἔτος non exſtat. alterum habet Heſychius. ἴττον. ἓν, Κρῆτες. Sed τὸ ἴτος in uſu fuiſſe, teſtificatur vox ἴτολες, quam idem Heſychius, & μόνον, & ὀρφανὸν interpretatur; & quam ὑποκοριστικῶς ab ἴτος formatam fuiſſe, non eſt ambigendum. Ab ἴτος autem, ἰτέος; unde *viduus.* ut a τεὸς, *tuus:* ab ἑὸς, *ſuus. Viduus* igitur κυρίως, eſt *ſolus, orbus, compare orbatus. Viduus pharetra riſit Apollo,* dixit Horatius.

Τὸ *vecors,* & τὸ *veſanus* facta eſſe a vocibus *cor* & *ſanus,* & a particula *væ,* quæ rei minuendæ valet, nulla dubitatio eſt. Qua de re Gellius lib. v, Noctium Atticarum cap. 12.

URBS.

Pomponius, lege 239. de Verborum ſignificatione; URBS, *ab* urbo *appellata eſt.* Urbare, *eſt aratro definire. & Varus ait,* urbum *appellari curvaturam aratri, quod in urbe condenda adhiberi ſolet.* ¶ Habuit a Varrone, cujus verba ſunt libro quarto de Lingua Latina: *Oppida condebant in Latio, Etruſco ritu, id eſt, junctis bubus; tauro & vacca*

vacca interiore: aratro circumagebant ſulcum &c. Terram, unde exſcalpſerunt, FOSSAM *vocabant; & introrſum factum,* MURUM. *Poſtea quod fiebat orbis,* URBS, &c. *Quare & oppida quæ prius erant circumducta aratro, ab* orbe *&* urbo, URBES; *& ideo coloniæ noſtræ omnes in literis antiquis ſcribuntur* URBES. Inde eruditulus quidam legendum in verbis Pomponii contendebat, *& Varro ait.* Sed fruſtra. Varus eo loco, eſt Alphenus Varus, Juriſconſultus, qui ita ſimpliciter aliquando appellatur: ut in lege 2. de Aqua, & aquæ pluviæ arcendæ; in lege 5. de Rei vindicat. & in lege 25. Qui teſtamenta facere poſſunt: quique rerum antiquarum non incurioſus fuit, Gellio teſte, libro VI. cap. 5. Sed in verbis Varronis melius legeretur *ab* orbe, *vel* urbo, quam *ab* orbe *&* urbo. Similiter Iſidorus: URBS, *vocata ab* orbe, *vel ab* urbo, *parte aratri, quod in urbe condenda adhiberi ſolet.* In iiſdem, pro *& introrſum factum, & introrſum jactum* emendabat Philippus Rubenius Electorum libro I. capite I. Ad *Urbis* veriloquium ut redeam, Varronis & Pomponii ſententiam ſequitur Scaliger in Etymologiis quas ad calcem Varronis edidit. URBARE, inquit, *&* orbare, *eſt circulo circumſcribere,* περιγράφειν: *unde* urbs, *&* orbis. Orbare, *ſeu* urbare, *Galli dicunt* cerner, *quaſi* circinare. *Ab eo Seneca in Oedipo oculos vocat orbes: ut Sophocles, quem ſequitur,* κύκλους. *Et qui eos amiſit, dicitur* orbus. *niſi ſit antiquum* ὀρφὸς, *ex quo* ὀρφανός: *quod ſine*

ſine dubio verum eſt. ¶ Quod ſine dubio verum eſſe ait Scaliger, ſine dubio verum eſt. *orbus*, eſt ab ὀρφὸς, non vero ab *orbis.* Similiter Gallicum *borgne*, & Italicum *bornio*, ſunt ab *orphanus. Orphanus, orphnus, ornus, bornus*, Gallice BORGNE: *bornius:* Italice BORNIO. Præponitur B. Æolice: ut in ῥόδα, βρόδα: ῥυτὴρ, βρυτήρ: ἰχὺς, βιχύς: ἄγος, βάγος: ῥῶπες, βρῶπες. ῥαδινὸς βραδινὸς, &c. Sed ad *urbis* originationem iterum, ut redeam; alii, ab ὄλπις, pro ἄλπις uſurpato, τὸ *urbs* deducunt: qua de re nos ſupra in *oppidum.* Guietus, in inveſtigandis etymologiis homo feliciſſime audax, a Græco πόλις deducebat. Sic: πόλις, πόρις, & metatheſi ὄρπις, ὄρψ, *urbs.* Voſſius ab Ebræo עיר, id eſt, *civitas:* quod a Martinio, ut innumera alia, diſſimulato auctoris nomine, accepit. Quibusdam placet, τὸ *urbs* contractum eſſe ex *orbis*, ut & viſum Varroni, dicto loco: quorum ſententiam Voſſius non improbat: & mihi, ut libere, quod ſentio, eloquar, hoc ἔτυμον veroſimilius videtur. *Urbs* ab *orbe:* ut πόλις, a πολεῖν *circuire:* quod in orbem fere urbes ædificarentur.

Hæc ſunt, LECTOR BENEVOLE, quæ de Juriſconſultorum veterum Originationibus obſervatione nobis digna viſa ſunt. Nos quam illi longe & veriores, & eruditiores, & reconditiores

attu-

attuliſſe, qui Etymologices paulo peritus fuerit, nemo, puto, inficiabitur. Quamquam autem id in nobis, qui in Latio peregrini ſumus, & ab eo tempore, quo vocabula in Lingua Latina rebus impoſita ſunt, diutius quam illi, ſæculis plus quindecim abſumus, dignum laude ſit: ut ſunt ingenia hominum ad culpandum promptiora, non deerunt, certo ſcio, ex Legulejis illis vitilitigatoribus, ut Catonis verbo utar, τῆς ἀγορᾶς περιτρίμμασι, qui hocce Obſervationum noſtrarum caput damnabunt, carpent, illudent, irridebunt: quique nos in eo Grammaticos potius; atque utinam non Grammaticulos; quam Juriſconſultos fuiſſe, dicent. Et profecto ita eſt. Verum ſimiliter quoque veteres illi Juriſconſulti, cum eas, quas examinandas ſuſcepimus, Etymologias referebant, Grammaticorum potius, quam Juriſconſultorum munere fungebantur. Quin & illorum nonnulli de Grammatica Tractatus integros ediderunt: ut Ælius Gallus, qui Feſto, Gellio, Macrobio, & Servio teſtibus, plures libros de Verborum, quæ ad Jus pertinent, ſignificatione conſcripſit. *Labeo Antiſtius Juris quidem Civilis diſciplinam principali ſtudio exercuit, & Conſulentibus de Jure publice reſponſitavit. Ceterarum quoque bonarum artium non expers fuit: & in Grammaticam ſeſe, atque Dialecticam, literasque antiquiores, altioresque penetraverat. Latinarumque vocum originationes percallucrat: eaque præcipue ſcientia ad enodandos pleroſque Juris laqueos utebatur. Sunt adeo*

libri

libri poſt mortem ejus editi, qui Poſteriores *inſcribuntur: quorum librorum tres continui, triceſimus octavus, & triceſimus nonus, & quadrageſimus, pleni ſunt id genus rerum ad enarrandam & illuſtrandam Linguam Latinam conducentium.* Verba ſunt Gellii. Sed vel ſolus de Verborum ſignificatione Titulus, qui hodie in Pandectis legitur, Grammaticam Jurisprudentiæ partem viſam olim fuiſſe teſtatur. Et merito humaniorum literarum levia illa ſtudia cum illis veræ & non ſimulatæ Philoſophiæ gravioribus ſtudiis (ita Jurisprudentiam noſtri appellant) conjungenda Veteres Juris Auctores exiſtimarunt. Non obſtant humaniores illæ diſciplinæ per illas euntibus, ſed circum illas hærentibus. Budæum non magnos in Jure progreſſus feciſſe in cognoſcenda utriusque Linguæ antiquitate impeditum, ſcripſit Antonius Auguſtinus. Sed earum linguarum ſtudium Jurisprudentiæ ſtudio non ſolum non nocere, verum prodeſſe, teſtis Cujacius. Res ipſæ, quas ſolas ſe & ſectari & conſectari Leguleji noſtri profitentur, ſine verborum cognitione intelligi non poſſunt. Et ut eleganter divinus ille Plato, (qui & ipſe cum multis aliis in locis, tum ipſo in Cratylo toto, quemadmodum vocabula rebus impoſita ſunt, quærit) ὃς ἂν εἰδῇ τὰ ὀνόματα, εἴσεται καὶ τὰ πράγματα: *Qui verba noverit, noverit etiam res.* οὐκ ἄνευ σμικρῶν τοὺς μεγάλους φασὶν οἱ λιθολόγοι λίθους εὖ κεῖσθαι. *Sine minutis lapidibus, qui lapides ad ſtructuras ædificiorum ſeligunt, ajunt*

ajunt non poſſe apte magnos collocari. Quod ſi omnium vocum, quarum origines hoc capite inveſtigavimus, origines aſſequuti non ſumus; & id venia dignum eſſe, qui Etymologices paulo peritus fuerit, nemo quoque, ni fallor, inficiabitur. *Non omnium, quæ a Majoribus conſtituta ſunt, ratio reddi poteſt:* ut vere Julianus Juriſconſultus. Vere quoque Cicero: *Magnam moleſtiam ſuſcepit Chryſippus, reddere rationem omnium vocabulorum.* At veriſſime Varro: *De Originibus verborum qui multa dixerit commode, potius boni conſulendum, quam qui aliquid nequiverit, reprehendendum: præſertim cum dicat Etymologice, non omnium verborum poſſe dici cauſſas.*

CAPUT XL.

Eunuchi militare non poſſunt. item Servi.

EUnuchos militare jure non potuiſſe, apparet ex his Arrii Menandri, quæ capite 4. Tituli Pandectarum de Re militari referuntur: *Qui cum uno teſticulo natus eſt, quive amiſit, jure militabit, ſecundum Divi Trajani Reſcriptum: nam & Duces Sylla & Cotta memorantur eo habitu fuiſſe naturæ.* Si enim quibus ambo teſticuli exſecti ſunt, militare jure potuiſſent, cauſæ non erat, cur id de eo quæreretur, qui unum amiſiſſet, quive cum uno natus eſſet: nam plurimi cum uno naſcuntur; quos propterea μονόρχεις, ſive ἐνόρχεις Græci, Latini

Latini *uniteſtes*, ſive *unicoleos* appellant. Nonnulli etiam cum tribus: atque eo habitu aliquot homines ipſe novi. Cum tribus natus erat Philippus Heſſus Lantgravius: de quo legendus Thuanus. Cum uno, Johannes Ludovicus Nogaretius, Dux Epernonius: quod ab Ampliſſimo Viro Guilelmo Bautruo, noſtrate, homine ἀξιοπίςῳ accepi, qui ab Epernonio ipſo id acceperat. Etiam equi *μονόρχεις* commemorantur in Hippiatricis. Et in genere accipitrum, a numero trium teſtium, buteonem, *triorchen* Græci appellaverunt. Eunuchis autem non fuiſſe licitum militare, arguunt & hæc Claudiani in Eutropium Eunuchum:

Judicat Eunuchus. quid jam de Conſule miror? &c.
- - Sed ne qua vacaret
Pars ignominiæ, neu quid reſtaret inauſum,
Arma etiam violare parat, portentaque monſtris
Aggerat, & ſecum petulans amentia certat.
Erubuit Mavors, averſaque riſit Enyo
Dedecus Eoum: quoties intenta ſagittis,
Et pharetra fulgens, anus exercetur Amazon, &c.
Arma relinque viris.

Item hæc Apollinaris Sidonii libro I. epiſtola 8. ubi de Ravenna: *In qua palude indeſinenter, rerum omnium lege perverſa, muri cadunt, aquæ ſtant, turres fluunt, naves ſedent, Ægri deambulant,*

Medici jacent, algent balnea, domicilia conflagrant, ſitiunt vivi, natant ſepulti, vigilant fures, dormiunt Poteſtates, fœnerantur Clerici, Syri pſallunt, Negotiatores militant, Milites negotiantur, ſtudent pila Senes, aleæ Juvenes, armis Eunuchi, literis Fœderati. Cur autem Eunuchi militare jure non poſſint, in promptu cauſa eſt: quia videlicet ſunt mares exmares, ut loquitur Arnobius; homines, non homines; ac veluti ἄῤῥενα πεπηρωμένα, quo modo Ariſtoteles mulieres appellat: ſunt enim teſticuli, quibus carent, virium & principium & fons: atque inde *teſtes*, ſive *teſticuli* dicuntur: quaſi teſtes virilitatis. Quare & pro virilitate ipſa apud Perſium uſurpantur. Verba ejus ſunt:

Hæc fierent, ſi teſticuli vena ulla paterni
Viveret in nobis.

Cum igitur imbelles ſint Eunuchi, merito a militia, quæ robur deſiderat, arceantur. Eadem de cauſa & mulieres in Rebuspublicis bene conſtitutis; Platonianam, & paucas alias excipio; militare prohibentur. Teſtis Epipole Caryſtia, Trachionis filia, quæ muliebri ſexu diſſimulato, cum in exercitu Græcorum militaſſet, per Palamedem detecta, lapidibus obruta eſt a Græcis, ut ex Ptolemæo Hephæſtionis filio diſcimus. At qui cum uno teſticulo natus eſt, quive amiſit, vir eſt, & generare poteſt, ut habetur in lege 6. de Ædilitio edicto. Quin etiam ipſe Sylla, qui eo habitu naturæ fuiſſe ab Arrio Menandro, dicto loco, memoratur; non enim alibi id legere me memini; non

ſolum

ſolum duas uxores habuiſſe; Metellam & Valeriam; ex quibus plures liberos ſuſcepit; ſed in venerem quoque propenſior fuiſſe dicitur a Plutarcho, auctore graviſſimo, in ejus Vita. Tamen apud Ebræos, qui cum uno Teſticulo natus eſſet, Sacerdos eſſe non poterat, ſi Septuaginta Interpretes audimus, qui Levitici XXI. 20. מרוח אשך *μόνορχιν* reddiderunt. Quam interpretationem ſequitur Rabi Joſeph Caro ad Maimonidem. Nam Vulgata, *hernioſus:* Maimonides, *cui vento tumentes ſunt teſticuli:* Arias Montanus, *contuſus teſticulo.* Ceterum & id quoque ex Arrii Menandri verbis colligere licet, Milites, cum legerentur, nudos inſpici ſolitos, quemadmodum nudi inſpiciebantur Servi, cum emerentur. Quamquam autem Eunuchis militare legibus prohibitum fuerit, militarunt tamen; immo Duces fuerunt, Narſes, Eutropius, Eunuchi. Dux fuit & Hally Eunuchus, avorum noſtrorum temporibus: de quo in hanc rem lepidam hiſtoriam in Epiſtola tertia Legationis Turcicæ narrat Busbequius, quam hic reticere me non ſinit, quem hiſce Obſervationibus dedi, titulus *Amœnitatum.* Ejus igitur verba ſunt: *Erat eunuchus Hally: ſed quod uni demptum erat corpori, hoc additum animo videbatur. Statura erat brevi, ſufflato corpore, &c. Dum eſſet adhuc in caſtris apud Sighetum Hally, noſtri milites ſcalis in mœnia egreſſi, urbem Strigonium, ejusdem cum vicina arce nominis, ceperant; unde prædæ nonnihil egeſtum; abducti habitatores fere pueri, mulie-*

reſque. Cujus rei cum trepidus ad Hally Baſſam nuncius veniſſet, qui ipſa vultus conſternatione magnum aliquod malum profiteretur, quærit Baſſa, Satin' ſalvæ? Et quæ tantæ conſternationis cauſa? tum ille ingentem acceptam cladem, captum, direptumque Strigonium memorat. Sic Baſſa: Quam tu mihi (malum) cladem ingentem, quod tantum incommodum narras? Ea demum, fatue, mihi clades animadvertenda contigit, cum hinc; genitalium ſedem oſtentans; ea mihi membra ablata ſunt, quæ me virum teſtabantur. Ita, non ſine circumſtantium riſu, conſternationi nuncii illudens, & Strigonii amiſſionem, quod nullo negotio recuperari poſſet, elevans. Eamdem rem, & pæne iiſdem verbis, refert Jacobus Auguſtus Thuanus Hiſtoriarum libro XVII. pag. 540. Ut eam iiſdem omnino verbis hic retuliſſe, pudere me minus debeat. Sed ad rem. Etiam Cyri Satellites eunuchi erant. Teſtatur Xenophon libro VII. de Inſtitutione Cyri, loco eximio, & quem propterea infra ponere non gravabor: ὃ δ' ἂν μάλιςά τις οἰηθείη, ἀνάλκιδας τὺς εὐνέχες γίγνεσθαι, ὐδὲ τῦτο ἐφαίνετο αὐτῷ. (Cyro.) Ἐτεκμαίρετο δὲ καὶ ἐκ τῶν ἄλλων ζώων, ὅτι οἵτε ὑβρισαὶ ἵπποι ἐκτεμνόμενοι, τῦ μὲν δάκνειν, καὶ ὑβρίζειν ἀποπαύονται, πολεμικοὶ δὲ ὐδὲν ἧττον γίγνονται. οἵτε ταῦροι ἐκτεμνόμενοι, τῦ μὲν μέγα φρονεῖν καὶ ἀπειθεῖν ὑφίενται, τῦ δὲ ἰσχύειν καὶ ἐργάζεσθαι ὐ ςερίσκονται. καὶ οἱ κύνες δὲ ὡσαύτως τῦ μὲν ἀπολείπειν τὺς δεσπότας ἀποπαύονται ἐκτεμνόμενοι· φυλάττειν δὲ, καὶ εἰς

θήραν

θήραν ἐδὲν κακίες γίγνονται. καὶ οἵγε ἄνθρωποι ὡσάυτος ἠρεμέςεροι γίγνονται. ςερισκόμενοι ταύτης τῆς ἐπιθυμίας, ἐ μέν τοι ἀμελέςεροί γε τῶν προςασσομένων, ἐδὲ ἧττόν τι ἱππικοὶ, ἐδὲ ἧσσόν τι ἀκοντιςικοὶ, ἐδὲ ἧσσον φιλότιμοι. *Quod autem maxime quis exiſtimet Eunuchos imbelles effici, ne id quidem Cyro videbatur. Et hic ei argumento erant animalia quoque cetera. Nimirum feroces & inſolentes equi ſi caſtrentur, deſinunt illi quidem mordere, ac inſolentes eſſe; ſed nihilominus ad res bellicas idonei ſunt: & tauri ſi caſtrentur, nonnihil de ferocia & contumacia remittunt; ſed robore ſuo tamen ac viribus ad laborandum haud deſtituuntur: eodemque modo canes caſtrati non amplius dominos illi quidem deſerunt; ſed ad cuſtodiam, & ad venationem nihilo redduntur deteriores. Sic & homines magis ſedati fiunt, ubi hæc cupiditas eis eſt adempta: neque tamen vel negligentiores ſunt in exequendis iis quæ imperantur, vel minus ad equitandum vel jaculandum idonei, vel minus honoris & gloriæ cupidi.* ¶ Quemadmodum autem caſtratio hominibus vires adimit, iis ſervitus animum frangit ac deprimit. Quod Poëta intellexit, cum dixit,

Ἥμισυ γάρ τ' ἀρετῆς ἀποαίνυται εὐρύοπα Ζεὺς
Ἀνέρος, εὖτ' ἄν μιν κατὰ δέλιον ἦμαρ ἕλησιν.

Dimidium enim virtutis aufert late ſonans Juppiter
Viri, quando ipſum ſervilis dies occupat.

 Atque

Atque inde eſſe conjicere quis poſſit, quod Servis etiam militare prohibitum. *Ab omni militia Servi prohibentur*, inquit Marcianus in lege XI. de Re militari: *alioquin capite puniuntur.* Johannes Chryſoſtomus egregie, ut ſolet, Homil. XXI. ad Populum Antiochenum: *ἐπὶ μὲν γὰρ τῶν ἔξωθεν στρατιωτῶν, καὶ σώματος μέτρον*, (quinque pedes & ſeptem uncias uſuales, lege 3. C. Theodoſiano de Tironibus) *καὶ σαρκὸς εὐεξίαν ἐπιζητοῦσιν οἱ μέλλοντες αὐτοὺς καταλέγειν εἰς τὸ στρατόπεδον. οὐ ταῦτα δὲ μόνον ἔχειν χρὴ τὸν μέλλοντα στρατεύεσθαι· ἀλλὰ καὶ ἐλεύθερον εἶναι· ἂν γὰρ δοῦλός τις ᾖ, ἐκβάλλεται. ὁ δὲ τῶν οὐρανῶν βασιλεὺς οὐδὲν τοιοῦτον ἐπιζητεῖ· ἀλλὰ καὶ δούλους δέχεται εἰς τὸ αὐτοῦ στρατόπεδον· γεγηρακότας, καὶ παρειμένους τὰ μέλη. καὶ οὐκ ἐπαισχύνεται. Τί φιλανθρωπότερον; τί χρηστότερον γένοιτ᾽ ἄν; οὗτος μὲν γὰρ τὰ ἐφ᾽ ἡμῖν ζητεῖ μόνον· ἐκεῖνοι δὲ, τὰ μὴ ἐφ᾽ ἡμῖν· τὸ γὰρ δοῦλον εἶναι, ἢ ἐλεύθερον, οὐχ ἡμέτερον· τὸ ὑψηλὸν πάλιν εἶναι, καὶ βραχὺν, οὐκ ἐφ᾽ ἡμῖν· τὸ γεγηρακότα, καὶ ἄρτιον, καὶ ὅσα τοιαῦτα· τὸ δὲ ἐπιεικῆ, ἢ χρηστὸν εἶναι, καὶ τὰ παραπλήσια τούτοις, τῆς ἡμετέρας γνώμης· καὶ ταῦτα ἡμᾶς ὁ Θεὸς ἀπαιτεῖ μόνα, ὧν ἡμεῖς ἐσμὲν κύριοι· καὶ μάλα εἰκότως· οὐ γὰρ δι᾽ οἰκείαν χρείαν, ἀλλὰ δι᾽ εὐεργεσίαν ἡμᾶς ἐπὶ τὴν αὐτοῦ χάριν καλεῖ· οἱ δὲ βασιλεῖς, διὰ τὴν ἑαυτῶν διακονίαν. κἀκεῖνοι μὲν ἐπὶ πόλεμον ἕλκουσιν αἰσθητόν. οὗτος δὲ, ἐπὶ μάχην πνευματικήν.* *Gentilium quidem Militum, & corporis menſuram, & bonam carnis habitudinem explorant, qui eos in exer-*

exercitum deligere debent. Neque vero hæc tantum habere debent militaturi, ſed & eſſe liberi: ſi quis enim ſervus ſit, rejicitur. Cœlorum autem Rex nihil tale requirit: ſed & Servos in exercitum ſuum ſuſcipit; Senes, & Invalidos: neque enim talium pudet. Quo quid humanius, aut benignius excogitari poteſt? Hic enim ea ſolummodo quæ in noſtra poteſtate ſunt, quærit: Illi vero, quæ in ea non ſunt. Servitus enim, vel libertas, in poteſtate noſtra ſita non ſunt: quemadmodum neque proceritas ſtaturæ, aut brevitas; neque ſenium, aut membrorum integritas, & quæcunque talia. Manſuetum autem, & mitem eſſe, & his ſimilia, voluntatis noſtræ ſunt. Et hæc ſola a nobis DEUS exigit, quorum nos domini ſumus. Et merito. Non enim propter propriam utilitatem, ſed propter beneficentiam, nos ad ſuam gratiam vocat: Imperatores vero propter miniſterium ſuum. Et illi quidem ad bellum ſenſibile Milites trahunt: hic autem, ad pugnam ſpiritualem. Similia habet & in Homilia x. in Johannem: βασιλεὺς μὲν, ὁ ἐκ τοῦ αὐτοῦ διηρτισμένος ἡμῖν πηλοῦ, τοὺς ὁμοδούλους, καὶ τῆς αὐτῆς αὐτῷ κοινωνοῦντας φύσεως, πολλάκις δὲ καὶ τὸν τρόπον ἀμείνους ὄντας οὐκ ἀξιοῖ καταλέγειν εἰς τὸ στρατόπεδον τὸ βασιλικὸν, ἂν δοῦλοι τύχωσιν ὄντες· ὁ δὲ μονογενὴς τοῦ Θεοῦ παῖς, οὐκ ἀπηξίωσε καὶ τελώνας, καὶ μάγους, καὶ δούλους, καὶ τοὺς πάντων ἀτιμωτέρους, καὶ πενεστέρους, πολλοὺς δὲ καὶ τὰ σώματα ἀναπήρους, καὶ μυρίαν ἔχοντας λώβην, εἰς τὸ τῶν τέκνων καταλέξαι χορόν. *Imperator quidem, qui ex eodem quo nos, fictus eſt luto, conſer-*

vos, & ejuſdem naturæ cum illo participes; & qui etiam eo meliores ut plurimum ſunt; in Militum catalogum referre recuſat, ſi ſervi ſint. At vero filius Dei unigenitus, non eſt dedignatus, & Publicanos, & Magos, & ſervos, & iis quoque inhonoratiores ac pauperiores; plurimos quoque corpore mutilos, nec levi affectos contumelia, in numerum filiorum referre. Et in oratione contra eos qui cœtus derelinquunt: ὀδεὶς ςρατέυεται οἰκέτης, καὶ ἐὰν ἁλῷ δȣ̃λος ὢν, μετὰ τιμωρίας ἐκβάλλεται τȣ̃ τῶν ςρατιωτῶν καταλόγȣ. *Nemo ſervus militat: Et ſi quis militans deprehendatur, punitus prius, e Militum indice ejicitur.* Huc reſpexit, Poëtarum doctiſſimus, Virgilius, (neque enim Caligulæ acced), qui Virgilium minimæ doctrinæ eſſe exiſtimabat) cum libro IX. divini Operis ſcripſit,

> - - *Vix unus Helenor,*
> *Et Lycus elapſi: quorum primævus Helenor,*
> *Mæonio regi, quem ſerva Lycimnia furtim*
> *Suſtulerat, vetitisque ad Trojam venerat armis, &c.*

Vetita enim *arma* dixit, quia Servis militare non licebat, ut recte Servius ad hunc locum. *Secundum Donatum*, inquit, *vetitis fato: quia ſtare Troja diutius vetabatur. Sed melius, Lege Militari, intelligimus: quia Servi a militia prohibebantur. Unde in Dejotariana purgat hoc Cicero, cum fuiſſe objectum inter Equites, quos Dejotarus miſerat Cæſari, unum Servum fuiſſe. Virgilium autem novimus tenere aliqua de Hiſtoria. Servos ſane numquam*

quam militaſſe conſtat, niſi ſervitute depoſita; excepto Hannibalis tempore, cum poſt Cannenſe prælium in tanta neceſſitate fuit Urbs Roma, ut ne liberandorum quidem Servorum daretur facultas. VOLONES autem; ut hoc obiter dicam; dictos fuiſſe illos Milites, qui poſt Cannenſem cladem Romanis militarunt, diſcimus ex Feſto. *ἀπὸ τοῦ volo*, videlicet; quia voluntarie ſe ad militiam obtulerant. Ita Græcis ἐθελοντῆρες, & Gallis *Volontarii*, qui ſponte militant. Quo nomine & Marcus Imperator ſervos militantes vocavit. Capitolinus in ejus Vita: *Inſtante ſane adhuc peſtilentia, & Deorum cultum diligentiſſime reſtituit, & ſervos quemadmodum bello Punico factum fuerat, ad militiam paravit: quos* Volontarios, *exemplo Volonum appellavit.*

Reus vero capitalis criminis; ut id quoque dicam ἐν παρόδῳ; voluntarius miles, ſecundum Trajani reſcriptum, capite puniendus eſt, inquit Arrius Menander, lege 4. D. de Re militari.

CAPUT XLI.

Elices. Aquilices. Aquileges. Baryllium. *Servius emendatur.*

SUlcos *tamen aquarios, qui ἕλικες appellantur, ſi quis faciat, aquæ pluviæ actione eum teneri ait.* Verba ſunt Ulpiani in lege 1. §. 9. de Aqua,

& aquæ pluviæ arcendæ: in quibus, quod aliis jam obſervatum, legendum omnino *elices*, non ἕλικες: eſt enim *elices*, eo ſignificatu, vox Latina, non Græca; ab eliciendo dicta. Columella libr. 2. capite 8. *Sed quamvis tempeſtive ſementis confecta erit, cavebitur tamen, ut patentes liras, crebroſque ſulcos aquarios, quos nonnulli* elices *vocant, faciamus, & omnem humorem in collicias, atque inde extra ſegetes derivemus.* Et libro XI. cap. I. *Eodem tempore foſſas, rivoſque purgare; & elices, ſulcoſque aquarios convenit facere.* Feſtus: ELICES. *Sulci aquarii, per quos aqua collecta educitur e liris.* Gloſſæ Veteres: *Elex*, ἀναπνοὴ ὀχετȣ̃. *Elices*, ἀγωγή. *Elicatores*, ὑδροσκόποι. Inde *Aquilices*, ab aqua lacienda, id eſt, elicienda. Eædem Gloſſæ: *Aquilices*, ὁ τὰ πυράγρα ἐργαζόμενοι. οἱ ὀνοχετάριοι. ποταμῖται. ὑδροσκόπιοι. Locus corruptiſſimus. Legebat Guietus: οἱ τὰ ὕδραγρα ἐργαζόμενοι· οἱ ὑδροχετάριοι. ποταμῖται. ὑδροσκόποι. Et Scaliger ad Feſtum: οἱ ὑδραγώγια ἐργαζόμενοι, οἱ ἀνοχετάριοι, &c. Sed legendum omnino: οἱ τὰ πάρυγρα ἐργαζόμενοι. οἷον, ὀχετάριοι, ποταμῖται, ὑδροσκόποι, ut recte ad Melam Iſaacus Voſſius, vir undecumque doctiſſimus. Legitur in iiſdem Gloſſis: *Aquilegium*, κρȣ̃νος. *Aquilex*, ὑδρολόγος. Aliud vero *aquilicium* & *aquilegium*: *aquilices* & *aquileges*. *Aquilices*, proprie erant, qui in ſiccitatibus, rei divinæ procuratione, aquas cœlo eliciebant: & *aquilicium*, cum aqua pluvialis eliciebatur: ut quondam

dam Manali lapide in urbem ducto. Inde *Juppiter Elicius*; qui Græcis καταιβάτης, id eſt, *Deſcenſor*. Inde & *Aquilicia feſta*. Tertullianus in Apologetico: *Aquilicia Jovi immolatis: Nudipedalia populo denunciatis*. Inde & *Aquilex Tuſcus* apud Varronem. Nonius Marcellus: AQUILEX. *Varro Quinquatribus*: An hoc præſtat Herophilus Diogene, quod ille e ventre aquam mittit? An hoc te jactas? An hoc pacto utilior te Tuſcus Aquilex? Obiter hic obſervamus, Circulatorem quemdam viſum olim nobis Luteciæ, qui ſimiliter aquam, vinum, & liquores alios, cum ſpectatorum admiratione, ore fundebat. Sed ad propoſitum. Erant igitur *Aquilices* ὑδροσκόποι, & ὑδροφάνται: *Aquileges* vero (a legenda aqua, non a lacienda, dicti) aquarum Indagatores; ut eos vocat lex 2. Cod. Theodoſiano de Excuſationibus Artificum; aquarum libratores. Sed *Aquilices*, pro *Aquilegibus*, paſſim nuncupati: quod etiam Scaliger ad Feſtum obſervavit: quia & ipſi aquas e terra eliciunt: κρήνας ἄγουσιν, fontes ducunt; & in apertum producunt: unde & ὑδροφάνται etiam dicti, & ars eorum ὑδροφαντικὴ appellata: ἀπὸ τοῦ φαίνειν ὕδωρ. Manilius lib. 4. ubi de Aquilege:

Ille quoque inflexa fontes qui projicit urna,
Cognatas tribuit juvenilis Aquarius artes
Cernere: ſub terris undas inducere terris,
Ipſaque converſis aſpergere fluctibus aſtra.

Ita hos verſus interpungebat Salmaſius. Pergamus.

Tarrun-

Tarruntenus Paternus, l. ultima de Jure Immunitatis: *Quibusdam aliquam vacationem munerum graviorum conditio tribuit: ut ſunt Menſores, &c. Gladiatores, Aquilices, Tubarii, &c.* Quo loco *Aquileges* viri docti fruſtra emendarunt. Servius ad hæc Virgilii, e Georgicorum primo,

Ecce ſupercilio clivoſi tramitis undam
Elicit:

ELICIT. *Ab eliciendo. Et apud Antiquos; hodieque in aliquibus provinciis*, Elices *appellantur ſulci ampliores, ad ſiccandos agros ducti: unde Poëta ipſo verbo uti voluit. Nam & Scrutatores, vel Repertores aquarum* (Aquilices *dicuntur*) Barylliſtas *dixerunt*. Ita legendum, non, ut vulgo legitur, *Barinulas*. Barylliſtæ, ſunt Ponderatores aquarum; aquarum Libratores: eſt enim βαρύλλιον, *hydroſcopium*; aquilegium ἐργαλεῖον; inſtrumentum quo aquæ librantur: ἀπὸ τοῦ βάρος. Meminit hujus vocabuli Syneſius epiſtola 15. ad Hypatiam, τὴν Φιλόσοφον: ubi & ipſum inſtrumentum deſcribit. οὕτω πάνυ πέπραγα πονήρως, ὥστε ὑδροσκοπίου μοι δεῖ. ἐπίταξον αὐτὸ χαλκευθῆναί τε καὶ συνωθῆναι. σωλήν ἐστι κυλινδρικὸς, αὐλοῦ καὶ σχῆμα καὶ μέγεθος ἔχων. οὗτος ἐπί τινος εὐθείας δέχεται τὰς κατατομὰς, αἷς τῶν ὑδάτων τὴν ῥοπὴν ἐξετάζομεν. ἐπικωματίζει γὰρ αὐτὸν ἐν θατέρου κῶνος κατὰ θέσιν ἴσην ἐγκείμενος, ὡς εἶναι κοινὴν βάσιν ἀμφοῖν τοῦ κώνου τε, καὶ τοῦ σωλῆνος. αὐτο δὴ τοῦτό ἐστιν τὸ Βαρύλλιον. ὅταν οὖν εἰς ὕδωρ καθῇς τὸν

τὸν αὐλὸν, ὀρθὸς ἑστήξει, καὶ παρέξει σοι τὰς κατατομὰς ἀριθμεῖν. αἱ δὲ τῆς ῥοπῆς εἰσὶ γνωρίσματα. Eo ſum infortunii redactus, ut hydroſcopio opus habeam. Jube hoc mihi fabricari, ac coëmi. Tubulus eſt, cylindri figuram habens, tibiæ magnitudine atque forma. Hic in una recta linea inciſiones habet, quibus aquarum libramentum cognoſcimus. Obturat enim illum altera ex parte conus, æquabili poſitura inſertus: ita ut communis ſit amborum baſis: coni videlicet, atque tubuli. Hoc ipſum eſt, quod Baryllium *appellant. Jam cum tubulum in aquam depoſueris, erectus ſubit: ut in eo inciſiones facile numerare poſſis, ex quibus libramentum cognoſcitur.*

CAPUT XLII.

Ofilius ad Atticum.

CItatur *Ofilius ad Atticum*, lege 234. de Verborum ſignificatione. *Verbum* vivere *quidam putant ad cibum pertinere. Sed Ofilius ad Atticum ait, his verbis, & veſtimenta, & ſtramenta contineri: ſine his enim vivere neminem poſſe.* Quæritur quis ſit ille Atticus. Exiſtimabat Bertrandus, in Vita Ofilii, Pomponium Atticum, Ciceronis familiarem, eum eſſe. Sed cum Pomponius Atticus Juriſconſultis non annumeretur, de eo accipi Atticus ille non poteſt: non enim eo loci citatur Ofilius in libris Attico nuncupatis, ſed in libris ad libros Attici. Ita Juriſconſulti loqui

qui amant. *Pomponius ad Q. Mucium: ad Sabinum: ad Plautium. Ulpianus ad Sabinum. Paulus ad Plautium: ad Sabinum: ad Vitellium: ad Nemtium. Julianus ad Minicium: ad Urſejum, &c.* Quare Scipio Gentilis, vir doctus, cap. 2. Tractatus, de Alimentis, ad Orationem Divi Marci, de qua in l. Cum hi. de Transactionibus, pro *Ofilius ad Atticum, hic* legebat *Ofilius ad Appium:* quod de Appii Cæci Centimani libris de Actionibus accipiebat, de quibus l. 2. de Origine juris. Ingenioſe: nam & ipſe Ofilius de Actionibus ſcripſerat, teſte Ulpiano l. 3. de Penu legat. eamque emendationem probat omnino Thomas Papillio in Commentario ad legem 2. de Origine Juris. Sed & ingenioſe idem Vir doctus, *Ofilius ad Attilium.* Attilium *Sapientem* appellatum apud Patres ſcribit in Lælio Cicero: quia prudens eſſe in jure civili putabatur. Legebam ipſe olim, *Ofilius ad Edictum.* Ad Edictum Prætoris ſcripſerat Ofilius. Pomponius dicta lege 2. de Origine Juris: *Ofilius in Equeſtri Ordine perſeveravit. Is fuit Cæſari familiariſſimus; & libros de Jure Civili plurimos, & qui omnem partem operis fundarent, reliquit. Nam de legibus Vicenſimæ primus conſcribit: de Jurisdictione. Idem Edictum Prætoris primus diligenter compoſuit. Nam ante eum Servius duos libros ad Brutum, perquam breviſſimos, ad Edictum ſubſcriptos reliquit.* Hos Ofilii ad Edictum libros reſpexit Ulpianus in lege 1. Ne quis eum qui in jus vocaverit, vi eximat, cum

cum ait, *Ofilius putat locum hoc Edicto non eſſe, &c.* Sed fortaſſe nihil hic mutandum: & accipiendus Atticus ille, ad quem ſcripſit Ofilius, de Tito Manlio Torquato, qui Juriſperitus. Valerius Maximus libro quinto capite 8. *Titus autem Manlius Torquatus, præter egregia multa raræ dignitatis, Juris quoque Civilis, & Sacrorum peritiſſimus, &c.* & quem Attici cognomen habuiſſe, veroſimiliter exiſtimabat Antonius Auguſtinus; cum illud habuerit Aulus Torquatus, qui Conſul fuit anno Urbis 509. Qua de re videndus ipſe Ant. Auguſtinus in Notis ad librum de Propriis Nominibus pandectarum, pag. 24.

CAPUT XLIII.

De utroque Cajo, Juriſconſulto.

JUriſconſulti duo fuere nomine Caji, qui ambo *Gaji* in Pandectis Florentinis, pro *Caji*, nuncupantur: Cajus Caſſius Longinus, ſectæ auctor Caſſianæ; & Titus Cajus auctor Inſtitutionum. De his hoc capite pluribus agere inſtitui, quoniam eos paſſim a viris doctis confundi animadverto.

Caſſii meminit Pomponius in lege 2. de Origine Juris, his verbis: *Sabino ſucceſſit Gajus Longinus, natus ex filia Tuberonis, quæ fuit neptis Servii Sulpitii: & ideo proavum ſuum Servium Sulpitium, appellat. Hic Conſul fuit cum Quartino, temporibus Tiberii. Sed plurimum in civitate auctori-*

auctoritatis habuit: eousque donec eum Cæſar civitate pelleret. Pulſus ab eo in Sardiniam, revocatus a Veſpaſiano, diem ſuum obiit. Quod ait Pomponius Caſſium Sabino ſucceſſiſſe, confirmatur Pauli teſtimonio, qui in lege 19. de Receptis, Sabinum Caſſii magiſtrum appellat. Sed quod conſulem fuiſſe cum Quartino dicit, in dubium revocatur. Lipſius certe ad ſextum Annalium Taciti, Lucium Caſſium Longinum, non Cajum Caſſium, Conſulem cum M. Vinucio Quartino anno Urbis 783. fuiſſe contendit: quia Suetonius diſerte Lucium illum, Conſularem appellat. *Druſillam ſororem, Lucio Caſſio, Conſulari, collocatam, abduxit,* inquit ille in Caligula. Etiam Caſſiodoro L. Caſſius & M. Vinucius Coſſ. nominantur. Lipſio accedit Papillio ad dictam legem ſecundam de Origine Juris. Contra Onuphrius in Faſtis, & Antonius Auguſtinus in libro de Familiis Romanis, Caſſium illum Conſularem, Cajum dictum volunt, ex ſupra recitatis Pomponii verbis: ſed in quibus pro *cum Quartino,* legebat Cuſpinianus *cum Q. Haterio:* at ſine auctore, ut recte Cujacius obſervabat: cui etiam Quartinus & C. Caſſius ſuffecti Conſules fuiſſe videbantur. Bertrandus in Vita C. Caſſii, eum Conſulem fuiſſe, adverſus Lipſium adfirmat. Utut eſt, C. Caſſium Longinum, Juriſconſultum, & L. Caſſium Longinum, Conſulem, diverſos fuiſſe, cum Lipſio & Papillione exiſtimamus. Primum, quia Tacitus inter elogia L. Caſſii, laudem

ei

ei nullam tribuit Juris: deinde, quia prænominibus diverſi: denique, quia Lucio demit induſtriam, ingeniumque. Tacitus: *Facilitate ſæpius, quam induſtria commendabatur:* quod in C. Caſſium, Juriſconſultum, non cadit. Nunc de duobus illis Caſſiis videamus. C. Caſſius Syriæ præfuit ſub Claudio. Tacitus XII. Annalium, ubi de Claudio Imperatore: *Poſt hæc C. Caſſius, qui Syriæ præerat, deducere Juvenem* (de Meherdate ſermo eſt, qui Rex Parthiæ datus a Claudio) *ripam ad Euphratis jubet. Ea tempeſtate Caſſius ceteros præeminebat peritia Legum: nam militares artes per otium ignotæ, induſtriosque ac ignavos pax in æquo tenet. Attamen quantum ſine bello dabatur, revocare priſcum morem, exercere legiones; cura, proviſu, agere, perinde ac ſi hoſtis ingrueret. Ita dignum majoribus ſuis, & familia Caſſiana ratus, per illas quoque gentes celebrata.* Joſephus libro XV. Antiquitatum Judaicarum, capite 14. ubi de ſtola Pontificia Judæorum: Κάσσιος Λογγῖνος, ὁ τὴν Συρίαν τότε διοικῶν, καὶ Κȣ́σπιος Φάδος, ὁ τῆς Ἰȣδαίας ἐπίτροπος, κελεύȣσι τοῖς Ἰȣδαίοις εἰς τὴν Ἀντωνίαν καταθέσθαι τὴν ϛολήν. *Caſſius Longinus, Præſes Syriæ, & Cuſpius Fadus Judææ Procurator, juſſerunt Judæos denuo ſtolam in Antoniam deponere.* Et libro XX. cap. I. τελευτήσαντος δὲ τȣ̃ βασιλέως Ἀγρίππα, καθὼς ἐν τῇ πρὸ ταύτης ἀπηγγέλκαμεν βίβλῳ, πέμπει Μάρσῳ διάδοχον Κλαύδιος Καίσαρ Κάσσιον Λογγῖνον. *Mortuo*

Rege Agrippa, *ſicut ſuperiore volumine diximus*, *Claudius Cæſar miſit ſucceſſorem Marſo Caſſium Longinum.* Fuiſſe & Proconſulem Aſiæ dicit Dio libro 59. ubi de Caligula: Θεοπρέπιον δέ τι τῷ Γαΐῳ ὀλίγον ἔμπροσθεν ἐγεγόνει, Φυλάττεσθαι Κάσσιον. καὶ ὁ μὲν εἰς Γάϊον Κάσσιον, τὸν τότε τῆς Ἀσίας ἄρχοντα, ἐπειδὴ τὸ γένος ἀπὸ τοῦ Κασσίου ἐκείνου τοῦ τὸν Καίσαρα ἀποκτείναντος, εἶχεν, μετεπέμψατο αὐτὸν δεδεμένον· προέλεγε δ' ἄρα αὐτῷ τὸ δαιμόνιον τοῦτον τὸν Κάσσιον τὸν Χαιρέαν. *Haud multo ante*, *Oraculo Cajus Caligula admonitus fuerat*, *ut ſibi a Caſſio caveret. Ideo Cajum Caſſium*, *qui tunc Aſiæ praerat*, *in ſuſpicione habens*; *quod genus a Caſſio*, *Cæſaris interfectore*, *duceret*; *vinctum ad ſe adduci juſſerat*: *cum tamen Oraculum Caſſium Chaream innueret.* Sed Dionem male eum Cajum Caſſium nominare pro Lucio Caſſio, ait Lipſius dicto loco. Suetonius in Caligula, ſimpliciter *Caſſium* appellat. *Monuerunt & ſortes Antiatinæ a Caſſio cavèret. Qua cauſſa ille Caſſium Longinum*, *Aſiæ tum Proconſulem*, *occidendum delegaverat.* Quod cur de Cajo Caſſio, Juriſconſulto, accipi non poſſit, cauſſæ nihil video. ¶ A Cæſare autem pulſum C. Caſſium cum dicit Pomponius, de Nerone intelligit. Tacitus Annalium XVI. *Mortem Poppaæ*, *ut palam triſtem*, *ita recordantibus lætam*, *ob impudicitiam ejus*, *ſævitiamque*, *nova ſuper invidia Nero complevit*, *prohibendo C. Caſſium officio exſequiarum. Quod primum indicium mali. Neque*

que in longum dilatum eſt. Sed Silanus additur, nullo crimine, niſi quod Caſſius opibus vetuſtis, & gravitate morum; Silanus, claritudine generis & modeſtia juventa, praecellebant. Igitur miſſa ad Senatum Oratione, removendos a Republica utrosque diſſeruit: objectavitque Caſſio, quod inter imagines majorum, etiam C. Caſſii effigiem coluiſſet, ita inſcriptam, DUCI PARTIUM: *quippe ſemina belli civilis, & defectionem a domo Caeſarum quaeſitam, &c. Tunc Senatusconſulto, Caſſio & Silano exſilia decernuntur, &c. Deportatusque in Inſulam Sardiniam Caſſius.* Suetonius in Nerone: *Caſſio Longino, Juriſconſulto, ac luminibus orbato, objectum eſt, quod in vetere gentili Stemmate, C. Caſſii, percuſſoris Caeſaris, imagines reſtituiſſet.* Quare autem Neronem Pomponius ſimpliciter *Caeſarem* appellarit, cum ejus non vixerit temporibus, aliis examinandum relinquo. ¶ C. Caſſii Juriſconſulti meminit honorifice Arrianus libro 4. ad Epictetum cap. 3. his verbis: ὗτοι εἰσὶν οἱ ἐκεῖθεν ἀπεςαλμένοι νόμοι· ταῦτα τὰ διατάγματα· τούτων ἐξηγητὰ δεῖ γενέσθαι, τούτοις ὑποτεταγμένον, οὐ τοῖς Μασυρίου καὶ Κασσίου. *Haec ſunt illinc miſſae Leges: haec Edicta: horum Interpretem eſſe decet: his parere; non Maſurii & Caſſii praeceptis.* Meminit ejus honorifice & Aggenus Urbicus Commentario in Frontinum de Limitibus agrorum, his verbis: *Caſſius Longinus, vir prudentiſſimus, Juris auctor, hoc ſtatuit, ut quidquid aqua lambendo abſtulerit, id poſſeſſor amittat.*

 ¶ Do-

¶ Domus ejus memoratur a Plinio Novocomenſi libro ſeptimo epiſtola 24. *Lætor etiam, quod domus aliquando C. Caſſii, hujus qui Casſianæ Scholæ princeps & parens fuit, ſerviet domino non minori. Implebit enim illam Quadratus: & decebit. Rurſusque illi priſtinam dignitatem, celebritatem, gloriam, reddet, cum tantus Orator inde procedet, quantus ille Juriſconſultus.* ¶ De ejus ſeveritate, ſic Tacitus XIII. Annalium, ubi de ſeditione Puteolanorum ſub Nerone; *Cumque ſeditio ad ſaxa, & minas ignium progreſſa, necem & arma perliceret, C. Caſſius adbibendo remedio delectus; quia ſeveritatem ejus non tolerabant, precante ipſo, ad Scribonios fratres ea cura transfertur.* Teſtis ejus ſeveritatis & Oratio illa graviſſima, quam in Senatu habuit de puniendis quadringentis ſervis, quia unus ex iis Pedanium Secundum, ſuum dominum, interfecerat: de qua Tacitus Annalium XIV. Quare Bertrandus, quod de Caſſii Tribunali dicitur, apud Valerium, *ſcopulum reorum* fuiſſe appellatum, de hoc noſtro Cajo Caſſio accipit. Falſo, ut hoc obiter dicam, id apud Tullium exſtare credidit Julianus Brodellus, Advocatus Pariſienſis doctiſſimus, in vita Caroli Molinæi, Advocati itidem Pariſienſis doctiſſimi. Sed de eo accipi non poſſe, teſtantur ipſius Valerii verba libro 3. capite 9. *Contra, M. Antonius ille diſertus; non enim reſpuendo, ſed amplectendo cauſæ dictionem, quam innocens eſſet, teſtatus eſt. Quæſtor proficiſcens in Aſiam, Brundusium*

duſium jam pervenerat, ubi literis certior factus, inceſti ſe poſtulatum apud L. Caſſium Prætorem, cujus Tribunal propter nimiam ſeveritatem Scopulus reorum *dicebatur: cum id vitare beneficio legis Memmiæ liceret; quæ eorum, qui Reip. cauſa abeſſent, recipi nomina vetabat; in Urbem tamen recurrit. Quo tam pleno fiduciæ conſilio, cum abſolutionem celerem, tum profectionem honeſtiorem conſecutus eſt.* Is enim M. Antonius, cum ſit celeberrimus ille M. Antonius, Orator, quem in libro de Oratore Cicero loquentem inducit, cauſſam dicere apud C. Caſſium Juriſconſultum non potuit, qui ſub Veſpaſiano diem ſuum obiit. Adde, quod ille, Lucius non Cajus, dicitur Valerio. Lucius autem ille Caſſius, Prætor, idem eſt omnino ac Lucius Caſſius, auctor Caſſiani illius dicti *Cui bono*, de quo Cicero Philippica 2. & in Miloniana. Id nos docuit Aſconius Pedianus ad Orationem pro Milone. *L. Caſſius fuit, ſicut jam ſæpe diximus, ſummæ vir ſeveritatis. Quoties Quæſitor judicii alicujus eſſet, in quo quæreretur de homine occiſo, ſuadebat, atque etiam præibat Judicibus, (hoc quod Cicero nunc admonet) ut quæreretur, cui bono fuiſſet perire eum, de cujus morte quæreretur. Ob quam ſeveritatem, quo tempore Sex. Peduceus Tribunus Plebis, criminatus eſt, L. Metellum, Pontificem Maximum, totumque Collegium Pontificum male judicaſſe de inceſtu virginium Veſtalium, quod unam modo Æmiliam damnaverat, abſolverat autem duas; Martiam & Lici-*

Liciniam; Populus hunc Caſſium creavit, qui de eisdem virginibus quæreret. Isque & utrasque eas, & præterea complures alias, nimia etiam, ut exiſtimatio eſt, aſperitate uſus, damnavit.

De Cajo Caſſio accipienda videntur & hæc Servii ad hæc Georgicorum libro tertio, MAGNO VELLERA MUTENTUR: *Ingenti pretio comparentur. Nam apud Majores omne mercimonium in permutatione conſtabat: quod & Cajus Homerico confirmat exemplo.* Sic enim hunc Servii locum citat Cujacius loco mox memorando, nec non Antonius Auguſtinus in Notis ad librum de Propriis Nominibus Pandectarum, pagina 48. & Carolus Annibal Fabrotus ad Theophilum titulo de Emptione & venditione. Quod ideo obſervamus, quia in Servio Danielis, quem penes me habeo, hæc verba *quod & Cajus Homerico confirmat exemplo*, non comparent. Sed ad propoſitum. De Cajo, inquam, Caſſio accipienda Servii verba, manifeſto evincunt hæc Juſtiniani dicto Titulo inſtitutionum: *Item, pretium in numerata pecunia conſiſtere debet: nam in ceteris rebus, an pretium eſſe poſſet; valde quærebatur: veluti, an homo, aut fundus, aut toga, alterius rei pretium eſſe poſſet. Et Sabinus & Caſſius etiam in alia re putabant pretium poſſe conſiſtere: unde illud eſt quod vulgo dicebatur, permutatione rerum emptionem & venditionem contrahi, eamque ſpeciem emptionis & venditionis vetuſtiſſimam eſſe: argumentoque utebantur Græco Poëta*

Poëtæ Homero, qui aliquam partem exercitus Achivorum vinum ſibi comparaſſe ait, permutatis quibusdam rebus, his verbis:

Ἔνθεν ἄρ οἰνίζοντο καρηκομόωντες Ἀχαιοὶ, &c.

Tamen de Tito Cajo ea Cujacium accepiſſe dicit Bertrandus in Tito Cajo & in Proculo: quo nomine vir magnus ab eo erroris arguitur. Sed nihil tale Cujacius. Verba ejus ſunt lib. XI. Obſ. cap. 38. ubi de Cajo: *Fuit hic Juris Auctor Grammaticis familiaris, propter bonarum literarum, & Homeri potiſſimum tractandi, quæ in eo fuit, peritiam ſummam: ut nominatim etiam quodam loco idem Servius ſcripſerit, apud Majores omne mercimonium in permutatione conſtitiſſe: & hoc Cajum Homerico confirmare exemplo: qui Caji locus, ut puto, ſupereſt in* §. item pretium *de Emptione & venditione.* Immo ex his apparet Cujacium de Cajo Caſſio locutum, cum de eo verba dicti paragraphi accipienda eſſe conſtet. Sed non ea ſatis fideliter exſcripſiſſe videtur Tribonianus. Sabino enim, non Caſſio, Homericum illud exemplum tribuitur a Paulo lege I. de Contrahenda emptione, a quo Tribonianus dictum locum habuiſſe videtur: *Sed, an ſine nummis venditio dici hodieque poſſit, dubitatur. veluti, ſi ego togam dedi, ut tunicam acciperem: Sabinus & Caſſius eſſe emptionem & venditionem putant. Nerva & Proculus, permutationem, non emptionem, hoc eſſe.*

Sabinus Homero teſte utitur, qui exercitum Græcorum ære, ferro, hominibusque vinum emere refert, illis verſibus,

Ἔνθεν ἄρ' οἰνίζοντο καρηκομόωντες Ἀχαιοὶ, *&c.*

Sed cum Sabiniani & Caſſiani ejusdem ſectæ eſſent; fuit enim Caſſius diſcipulus Sabini; Sabino & Caſſio Homericum illud exemplum Tribonianus tribuit, quod Sabino tribuerat Paulus. Sed & fortaſſe eosdem Homeri verſus alicubi laudaverat ipſe Cajus Caſſius. Idem Bertrandus eumdem Caſſium auctoritate Homeri alias uſum contendit ex his legis 65. de Legatis 3. deſumptæ ex libro VII. Inſtitutionum Marciani: *Pecoribus legatis, Caſſius ſcripſit quadrupedes contineri, quæ gregatim paſcuntur, & ſues autem pecorum appellatione continentur, quia & hi gregatim paſcuntur. Sic denique & Homerus in Odyſſea ait,*

Δήεις τόν γε σύεσσι παρήμενον. οἱ δὲ νέμοντες, *&c.*

Quare & hæc verba ex inſtitutionibus Juſtiniani, Titulo de Lege Aquilia. *Nam & ſues pecudum appellatione continentur, quia & hi gregatim paſcuntur. Sic denique & Homerus in Odyſſea, ſicut Ælius Marcianus in ſuis Inſtitutionibus refert,*

Δήεις τόν γε σύεσσι παρήμενον· οἱ δὲ νέμοντες, *&c.*

Caſſio, non Marciano, tribui debere exiſtimabat. Sed fruſtra: nihil enim aliud in dicta lege 65. ex Caſſio retulit Marcianus, quam pecoribus legatis, eum exiſtimaſſe, etiam quadrupedes quæ gregatim

tim paſcuntur, contineri. Addidit vero de ſuo Marcianus, *Et ſues autem pecorum appellatione continentur, quia & hi gregatim paſcuntur. Sic denique & Homerus, &c.* Qui quidem Marcianus & libro IX. Inſtitutionum, lege I. de mortis cauſa Donationibus, Homeri utitur teſtimonio. *Sic & apud Homerum Telemachus donat Piræo.* Locum Homeri protulit Juſtinianus titulo Inſtitutionum de Donationibus. Obiter hic obſervandum, & Titum Cajum Homeri uſum teſtimonio in lege 236. de Verborum ſignificatione. *Qui venenum dicit, adjicere debet, utrum malum, an bonum? Nam & medicamenta venena ſunt: quia eo nomine omne continetur, quod adhibitum naturam ejus, cui adhibitum eſſet, mutat: cum id quod nos* venenum *appellamus, Græci* φάρμακον *dicunt. Apud illos quoque, tam medicamenta, quam quæ nocent, hoc nomine continentur. Inde adjectione alterius, nomine diſtinctio fit. Admonet nos ſummus apud eos Poëtarum Homerus Nam ſic ait:* φάρμακα πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά: ut non minus quam Cajus Caſſius Homeri ſtudioſus appellari poſſit Marcianus. Obiter & hic obſervandum, Clariſſimum Fermatum, Senatorem Toloſanum, virum elegantiſſimum & doctiſſimum, & vere τοῦ πατρὸς τὸ παιδίον, de Auctoritate Homeri apud Juriſconſultos Diſſertationem diligentiſſime nuper ſcripſiſſe, & diligentius multo Scipione Gentili, qui idem argumentum tractavit libro 2. Parergorum ad Pande-

ctas, capitibus 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. & 15. Sed in qua tamen diligentiam ejus fugit hic locus Papiniani in lege 9. de Supellectile legata: *Supellectilis menſas eſſe cujusque materiæ, ſcilicet, vel argenteas, vel argento incluſas, placet. Nam & argenteos lectos, item argentea candelabra, ſupellectili cedere, poſterior ætas recepit: cum & Ulyxem ex auro & argento lectum viventis arboribus truncis ædificatum ornaſſe: quem Penelopa recognoſcendi viri ſignum accepit, ut voluit Homerus.* Ad Caſſium redeo. Ariſtonem diſcipulum habuiſſe dicit Pancirolus, quia ſcripſerit Pomponius lege 40. de Receptis, *Nam & Caſſium audiſſe ſe dicentem Ariſto refert, Caſſium reſpondiſſe, ſocietatem, &c.*

Hactenus de vita & moribus C. Caſſii Jurisconſulti. Nunc de ſcriptis ejus videamus.

Scripſit Commentarios Juris civilis, ut patet ex lege 54. de conditionibus & demonſtrationibus: *Javolenus libro 2. ex Caſſio. Si quis legata quibus dies adpoſita non eſſet, annua, bima, trima die dari juſſit, & alicui cum pubes eſſet, pecuniam legavit: id quoque legatum annua, bima, trima die poſt pubertatem præſtandum eſſe, in Commentariis Gajî ſcriptum eſt.* Fallitur enim Petrus Pithœus, qui in Notis ad Pariatorem quem vocant, capite 16. hos Gaji commentarios, de quibus in dicta lege 52. ad libros Inſtitutionum Titi Gaji referendos putat. Verba Javoleni accipienda de Cajo Caſſio, vel ipſa legis inſcriptio, *Javolenus libro 2. ex Caſſio* manifeſto evincit. Id ipſum evincit & lex 78. de Solutioni-

tionibus: *Javolenus libro x i. ex Caſſio. Si alieni nummi inſcio, vel invito domino, ſoluti ſunt, manent ejus, cujus fuerunt. Si mixti eſſent, ita ut diſcerni non poſſent, ejus fieri qui accepit, in libris Gaji ſcriptum eſt.* Scripſerat Javolenus libros xv. ex Caſſio, ut eſt in Indice Juſtinianeo. Ex eodem Caſſio totidem libros ſcripſiſſe Modeſtinum ſcribit Bertrandus in Modeſtino ex Inſcriptionibus legum III. 112. 113. 114. de verborum ſignificatione: ſed falſiſſime: ſunt enim hæ leges Javoleni, non Modeſtini. ¶ Citatur Caſſius apud Urſejum ab Ulpiano lege 10. Quibus modis uſusfructus, vel uſus, amittitur: *Caſſius apud Urſejum ſcribit.* Unde Bertrandus & Eberlinus; hic in Commentario ad legem 2. de Origine Juris, ille in Vita Caji Caſſii; Cajum Caſſium libros ſcripſiſſe ad Urſejum Ferocem exiſtimabant. Similiter Bertrandus in Proculo, ad eumdem Urſejum libros ſcripſiſſe Proculum volebat, ex his Pauli in lege XI. de Aqua, & aquæ pluviæ arcendæ, *Apud Ferocem Proculus ait.* Sed fortaſſe alium ſenſum habent hæc verba, *Caſſius apud Urſejum ſcribit; Apud Ferocem Proculus ait:* ſignificantque, id de quo agitur, referri ex Caſſio, & ex Proculo, & in libris Urſeji Ferocis. Ita in lege 77. de Verborum ſignificatione, accipienda hæc, *Servius apud Alfenum in frumento contineri putat:* non enim veroſimile eſt Servium ſcripſiſſe ad Alfenum, qui ejus fuit diſcipulus, ut conſtat ex Pomponio. Tamen, ne quid diſſimulem, Urſejo junior aliquanto Proculus

lus videtur. Floruit enim Proculus ſub Marco & Vero: Julianus vero, qui ſub Hadriano Edictum Perpetuum compoſuit, ſcripſit ad Urſejum libros quatuor: qui libri paſſim in Digeſtis laudantur. Quare in his Ulpiani, lege 27. §. 1. ad Legem Aquiliam, *Et ita Proculum exiſtimaſſe Urſejus refert*, legendum quibusdam videbatur, *Et ita Proculus exiſtimaſſe Urſejum refert.* Utut eſt, nihil mutandum in his ejusdem Ulpiani, lege 1. §. 10. Quarum rerum actio non detur, *Et Caſſius exiſtimaſſe Urſejum refert:* pro quibus Eberlinus, capite 54. Commentarii ad legem 2. de Origine Juris, legendum volebat, *Et Proculum exiſtimaſſe Urſejus refert.* Immo & nihil mutandum in ſuperioribus, *Et ita Proculum exiſtimaſſe Urſejus refert:* Urſejus enim, natu licet prior Proculo, cum tamen & ipſe, & Proculus quibusdam temporibus iisdem vixerint, Proculi potuit teſtimonio uti. Non igitur ex his, ut ad propoſitum redeam, *Caſſius apud Urſejum ſcribit*, efficitur Caſſium ad Urſejum ſcripſiſſe. Veroſimilius ad Vitellium notaſſe quid exiſtimandus, ex his ejusdem Ulpiani lege 12. §. 27. de Inſtructo, vel inſtrumento legato, *Et Sabinus definit, & Caſſius apud Vitellium notat:* hæc enim de Notis Caſſii ad Vitellium accipi non incommode poſſunt. Similiter ex his Ulpiani, lege 7. de Uſufructu, & quemadmodum quis utatur fruatur, *Caſſius quoque ſcribit libro octavo Juris Civilis, &c. Et Ariſto notat hæc vera eſſe:* itemque, ex his ejusdem Ulpiani lege 17. titulo eodem, *Et*

Ariſto apud Caſſium notat, Notas ad Caſſium ſcripſiſſe Ariſtonem Bertrandus obſervabat. Etiam ex Inſcriptione legis 54. de Pactis, *Scævola apud Julianum libro viceſimo ſecundo Digeſtorum notat*, Notas Scævolam ad Julianum ſcripſiſſe, colligitur: Et ad Marcellum, ex his Ulpiani l. XI. §. 14. de Donationibus inter virum & uxorem, *Scævola apud Marcellum notat*. Eo ipſo autem quod ad Vitellium ſcripſit Caſſius, inde colligere eſt, ut & hoc obiter dicam, Vitellium antiquum fuiſſe Juriſconſultum. Eum eſſe putat Antonius Auguſtinus Q. Vitellium, Auguſti Quæſtorem, memoratum a Suetonio in Vitellio. Certe, antiquitatem ejus oſtendunt hæc Ulpiani in lege 3. de Penu legata, *Sabinus libris ad Vitellium ſcribit:* nam de Maſurio Sabino, cui conceſſum a Tiberio ut populo reſponderet, ea accipienda, patet ex ſequentibus, *Sed Ariſto notat.* Non enim Ariſto, qui ſub Trajano diem ſuum obiit, ut diſcimus ex Plinio Novocomenſi, Fabium Sabinum, qui Alexandri Severi vixit temporibus, notaſſe potuit. Adde, quod Sabinus, cum ita ſimpliciter ſine prænomine in libris noſtris appellatur, de Maſurio Sabino intelligendus: quod recte Eberlinus obſervabat. Falſus eſt Lampridius, qui in Alagabalo ſcripſit Ulpianum ad Fabium Sabinum, patrem ejus, qui Alexandri Severi fuit amicus, ſcripſiſſe: quod jampridem obſervatum Cujacio in Obſervationibus, Caſaubono ad Lampridium in Vita Alexandri, & Bertrando in Vita Maſurii Sabini. Sed minus

minus recte Bertrandus, dicto loco, legendum exiſtimat in dicta lege 12. de Inſtructo, vel inſtrumento legato, *Et Caſſius definit, & Sabinus apud Vitellium notat*, pro eo quod ibi legitur. *Et Sabinus definit, & Caſſius apud Vitellium notat:* quia ſcilicet Sabinus ad Vitellium ſcripſerit. Quaſi verò ad eumdem Juriſconſultum plures Juriſconſulti ſcribere non poſſint? & plures non ſcripſerint? Ad eumdem Vitellium Notas ſcripſerunt, Sabinus, Caſſius, Ariſto, Paulus.

DE TITO CAJO.

Ad Titum Cajum, ſive Gajum, quod attinet, vixit ſub Hadriano & poſt Hadrianum. *Et noſtra quidem ætate Serapias, Alexandrina mulier, ad Divum Hadrianum perducta eſt cum quinque liberis, quos uno fœtu enixa eſt*, inquit ille in lege 7. ſub Titulo de Rebus dubiis. Et lege 9. ad Senatusconſultum Tertullianum: *Sacratiſſimi Principis noſtri Oratione cavetur, ut matris inteſtatæ hereditas ad liberos, tametſi in aliena poteſtate erunt, pertineat.* Sacratiſſimus enim ille Princeps, eſt Marcus, Philoſophus, ſive ὁ φιλοσοφικώτατος, ut dicitur Novella 22. Ejus enim temporibus factum Senatusconſultum Tertullianum & Orficianum. Sed & Gajum Pomponius *ſuum* appellat lege 39. de Stipulatione ſervorum: *Et non ſine ratione eſt, quod Gajus noſter dixit:* quia ſcilicet iisdem vivebant temporibus, & amici erant: ut recte Antonius Auguſtinus in Notis ad librum de Propriis Nomi-

Nominibus Pandectarum, pagina 7. Neque enim Bertrando atque Eberlino adſentior, qui Gajum a Pomponio *ſuum* dictum putant, quia ejus ſcriptis fuerit delectatus: floruit autem Pomponius ſub Pio: quod alibi oſtendimus. Præterea Juliani, qui floruit ſub Hadriano, diſcipulum Titum Gajum fuiſſe ſcribit Aleander loco mox afferendo. Et fallitur Eberlinus, qui hæc Juliani lege 59. Soluto matrimonio, *Sabinus dicebat, utile mihi ejus dotis recuperandæ judicium dandum eſſe. Gajus idem*, de Tito Gajo accipit. De Caſſio accipienda, vel ipſa vox *Sabinus* oſtendit. ¶ Ejus libri legebantur olim Studioſis Juris. Teſtatur Juſtinianus in Conſtitutione *Omnem*, ante Pandectas poſita. ¶ Confirmantur ejus Scripta Conſtitutione Theodoſii & Valentiniani, lege 1. Codice Theodoſiano & Reſponſis Prudentum.

Scripſit plures libros: quorum hi in Indice Juſtinianeo memorantur.

AD EDICTUM PROVINCIALE, XXXII. Eorum mentio paſſim in Digeſtis, a primo ad triceſimum. Provincialia Edicta erant, quæ a Proconſulibus in provinciis decernebantur.

AD LEGES, XV. Hoc eſt ad Legem Juliam & Papiam Poppæam. Lex enim Julia & Papia Poppæa κατ' ἐξοχὴν Leges appellatæ, ut in Excurſu ad Taciti Annalium librum 3. notavit Lipſius, quem ibi vide. Laudantur & hi libri paſſim in Digeſtis.

AD EDICTUM URBICUM. Male Angelus Poli-

Politianus, *Ad Edictum publicum.* Quot fuerint, incertum eſt. Decem tantum ſupererant temporibus Juſtiniani. τὰ μόνα εὑρεθέντα βιβλία δέκα, inquit Auctor indicis. Hi libri, *Libri Caji ad Edictum Prætoris Urbani*, in Digeſtis, plurimis locis, appellantur. Hujus Edicti explicationem per Titulos fuiſſe diſtributam, recte notat Bertrandus, *de Teſtamentis: de Legatis: de Liberali cauſa: De Damno infecto: de Publicanis: de Prædiatoribus:* (de quibus videndus Cujacius Obſervationum v. 19. & Salmaſius libro de Uſuris) *de Re judicata: de Aqua & aquæ pluviæ arcendæ: Qui neque ſequantur, neque ducantur.* Id ex multis Legum Inſcriptionibus colligere eſt.

AUREORUM, VII. Qui & *Rerum Cottidianarum* appellantur. Inſcriptio legis 5. de Adquirendo rerum dominio: *Gajus libro 2. Rerum Cotidianarum, ſive Aureorum.* Et inſcriptio legis 4. de obligationibus: *Gajus libro 3. Rerum Cotidianarum ſive Aureorum.* Et alibi paſſim, locis innumeris. *Aurea* Veteres pro *excellentibus*, poſuerunt. Inde χρυσᾶ ἔπη Pythagoræ. Inde & *aurea dicta* Lucretio, & *aureolus libellus* Ciceroni *Laudabilia* Latini, χρηστὰ Græci, ſimiles libros appellarunt. Ad Inſcriptionem *Rerum Cotidianarum* quod attinet, poteſt hæc duobus modis intelligi; quod monuit Radulfus Fornerius libro & capite primo Rerum Quotidianarum: vel quod uti quæque res publice quotidie in foro tractata eſſet,

vel

vel quod, prout in privatis ſtudiis aut diſſertationibus incidiſſet, notaretur. Priori ſententiæ ſubſcribit Theophilus, qui libros Caji Rerum Quotidianarum interpretatur, *τῶν καθ' ἑκάςην ἡμέραν κινȣμένων πραγμάτων.* Item Cujacius, cujus hæc ſunt verba in Recitationibus ad Titulum de Obligationibus & Actionibus: *Res autem Quotidianæ, ſive Aurea, ut in L.* Legavi 26. *de liberatione legata, dicuntur, quæ quotidie uſu veniunt, ac proinde perdiſcenda, aut memoria repetenda, aut in promptu habenda ſunt quotidie.* Secundam ſententiam amplexus eſt Eberlinus: cui favent Vetera Colloquia Puerilia, in quibus ita Puer: *Μετὰ ταῦτα ἀπολυθεὶς, συνεκάθισα ἐμῷ τόπῳ. βίβλιον ἔλαβον. ἔγραψα καθημερινά. Poſt hac, dimiſſus, conſedi meo loco. librum accepi. ſcripſi Cotidiana.*

DODECADELTI, VI. Hoc eſt, *Ad Legem* XII. *Tabularum*, ut hi libri paſſim in Digeſtis appellantur. Eorum prooemium exſtat in lege I. de Origine Juris. *Facturus Legum vetuſtarum interpretationem, &c.*

INSTITUTIONUM, IV. Memorantur paſſim in Digeſtis. Referuntur quædam ex libro primo & ſecundo a Boëthio ad tertium Topicorum Ciceronis, & a Priſciano libro ſexto extremo. Laudantur a Juſtiniano in Præfatione Inſtitutionum. *Quas ex omnibus Antiquorum*

Inſtitutionibus, & præcipue ex Commentariis Caji noſtri, tam Inſtitutionum, quam Rerum Quotidianarum, aliisque multis Commentariis, compoſitas &c. Et in Conſtitutione *Omnem*, Pandectarum confirmatrice. *In his autem ſex libris, Gaji noſtri Inſtitutiones; & libri ſingulares quatuor; primus, de illa vetere Re uxoria; ſecundus, de Tutelis; & tertius, nec non quartus, de Teſtamentis & Legatis connumerabantur.* Exſtat horum librorum Epitome, ab Aniano, Alarici Conſiliario, ut volunt, digeſta: quam cum Notis eruditis edidit Hieronymus Aleander, junior. *Ac primus quidem Gajus* (verba ſunt dicti Aleandri) *videtur ſcripſiſſe libros Inſtitutionum. Cum enim Salvius Julianus auctoritate Divi Hadriani Edictum Perpetuum ordinaſſet, non multo poſt Gajus, Juliani diſcipulus, ſub Antonino Pio Inſtitutiones tradere voluit: quibus breviter totum Jus Edicti Perpetui complecteretur, & in iis tradendis eumdem ordinem ſecutus eſt. Et quæ tradebat, ſæpe auctoritate Juliani, præceptoris ſui, confirmavit. Ubi igitur hæc verba* in libris Inſtitutionum Juſtiniani *occurrunt*, Julianus ait, *dicendum eſt ex Inſtitutionibus Gaji excerpta fuiſſe. Ubi vero referuntur Reſcripta Divorum Severi & Antonini, id videtur ex Inſtitutionibus Marciani relatum,* ¶ Ex iis Gaji Inſtitutionibus plurima in ſuas Juſtinianus transfudit: unde *ſuus* ab eo appellatur in dicta Præfatione Inſtitutionum & in dicta Conſtitutione, & in titulo de Publicis Judiciis.

Fallitur

Fallitur omnino Antonius Auguſtinus, qui in libro de Propriis Nominibus Pandectarum, & in 1. Emendationum cap. 5. Gajum, *ſuum* a Juſtiniano dictum credit, quia Chriſtianus fuerit, aut ejusdem cum eo nationis.

DE VERBORUM OBLIGATIONIBUS, II. Memorantur in Digeſtis.

DE MANUMISSIONIBUS, III. Memorantur in Digeſtis.

FIDEICOMMISSORUM, II. Memorantur in Digeſtis.

DE CASIBUS *Liber ſingularis.* Memoratur paſſim in Digeſtis. Librum ſcripſerat Modeſtinus hoc titulo, *de Caſibus enucleatis:* cujus argumentum non aliud forte ab argumento libri Gaji. De libro Modeſtini videndus Merillius. Aliter Eberlinus. Librum enim Gaji *de Caſibus*, accipit de Caſibus ſingularibus, novis, raris, infrequentibus, ac prope incredibilibus; quos Græci *ἀδόξους ὑποθέσεις* vocant.

REGULARUM *Liber ſingularis.* Inſcriptio legis 21. de Adoptionibus: *Gajus libro ſingulari Regularum.* Laudatur tamen libro primo, in Inſcriptione legis 100. de Regulis Juris, & libro

 tertio,

tertio, in Inſcriptione legis 43. de Injuriis. Ut duos Tractatus de Regulis ſcripſiſſe videatur.

DOTALICION *Liber ſingularis.* Idem videtur eſſe ac is, quem Juſtinianus in Conſtitutione *Omnem* appellat *de vetere re uxoria.* Ex eo libro nihil hodie ſupereſt in Pandectis.

HYPOTHECARIÆ *Liber ſingularis.* Ille eſt *Liber ſingularis de Formula Hypothecaria*, de quo in Inſcriptione legis 4. de Pignoribus, & legis 2. Quæ res pignori: & alibi. Nec alius a libro illo ſingulari *ad Formulam Hypothecariam*, de quo in Inſcriptione legis 7. Quibus modis pignus, vel hypotheca ſolvitur: quo titulo librum ſcripſerat & Marcianus.

Præter dictos libros, memoratos in Indice Juſtinianeo, ſcripſerat Titus Gajus LIBRUM SINGULAREM AD LEGEM GLITIAM, ut diſcimus ex Inſcriptione legis 4. de Inofficioſo Teſtamento. Qua de Inſcriptione; ut & de ipſa lege Glitia; videndus Cujacius Obſervationum libr. 2. capite 21. & lib. 14. cap. 14. & Merillius in Variantibus. ¶ Scripſerat & LIBRUM SINGULAREM AD SENATUSCONSULTUM TERTULLIANUM ET ORFICIANUM. Inſcriptio legis 8. ad Senatusconſultum Tertullianum: *Gajus libro ſingulari ad Senatuſconſultum Tertullianum.* Inſcriptio legis 9. titulo eodem: *Idem libro ſingulari ad Senatuſconſultum Orphicianum.*

Etiam

Etiam NOTAS ſcripſiſſe Titum Cajum ad libros Juliani ſcripſit Bertrandus, ex lege 54. de Pactis, & ex lege 10. de Periculo & commodo rei venditæ: Itemque ad Marcellum, ex lege XI. de Donationibus inter virum & uxorem. Aliud agebat Bertrandus cum hæc ſcripſit. In dicta lege 54. de Pactis, & in dicta l. 10. de Periculo & commodo rei venditæ, laudatur Scævola ad libros Digeſtorum Juliani, non vero Gajus. *Scævola apud Julianum libro 22. Digeſtorum notat. In libro 7. Digeſtorum Scævola notat.* Et in dicta XI. de Donationibus inter virum & uxorem laudatur idem Scævola ad Marcellum, non Gajus. *Conſequenter Scævola apud Marcellum notat.*

ORIGINUM LIBROS ſcripſiſſe, in quorum ſeptimo citetur a Gellio, vult Scipio Gentilis libro I. Parergorum Juris capite 17. ubi & nos, ut hoc obiter moneam, majorem antiquitatis jacturam in nullo vetere Juriſconſulto quam in Tito Cajo feciſſe dicit; ne ipſum quidem Labeonem excipiens. Eos libros a Gellio citari ſcribit Pancirolus. Sed & ipſe, & Gentilis, falſi ſunt. Eſt autem error ille longe graviſſimus: ſiquidem Originum libros, non Gaji, ſed Gavii, ſeu Gabii, qui *Baſſus* dicebatur, citat Gellius.

Præter hos duos Cajos Juriſconſultos, fuit & Cajus Caſſius Longinus, Prætor: de quo Pomponius in dicta lege 2. de Origine Juris. *Nerva*

ſucceſſit Proculus. Fuit eodem tempore & Nerva filius. Fuit & alius Longinus, ex Equeſtri quidem ordine, qui poſtea ad Præturam usque pervenit. Is enim Longinus, etiam Cajus Caſſius Longinus dicitur Antonio Auguſtino. Hunc Pancirolus magno errore cum Gajo, Inſtitutionum Scriptore, confundit. Immo & cum Cajo Caſſio. Ita enim ille, ubi de hoc Prætore: *Hic eſt Cajus Caſſius, qui ab Ulpiano citatur in lege 4. de In jus vocando.* Verba Ulpiani hæc ſunt: *Quidam* parentem *usque ad tritavum appellari ajunt: ſuperiores*, majores *dici. Hoc Veteres exiſtimaſſe Pomponius refert. Sed Gajus Caſſius omnes in infinitum parentes dicit: quod & honeſtius eſt, & merito obtinuit.*

INDEX

INDEX AUCTORUM,

qui in hoc opere laudantur, notantur, vel emendantur.

A.

ABſyrtus emendatur 21
Achilles Tatius emendatur 28
A Coſta. Janus a Coſta laudatur 81. 82. 83. 167. *notatur* 233. 243
Ælianus notatur in voce Cuniculus 10
Antonius Auguſtinus laudatur 96. 114. 209. *notatur* 67. 98. 188. 375. 416. 429. 434. 437
Athenæus emendatur 112

B.

BAſilica emendantur 111. 179. 240
Bertrandus, Præſes Toloſanus, notatur 32. 34. 37. 44. 63. 67. 68. 77. 94. 96. 98. 117. 119. 121. 131. 132. 174. 247. 413. 420. 423. 427. 430. 431. 437
Bignonius. Hieronymi Bignonii Icon 160. 161. *laudatur* 372
Bigotius. Emericus Bigotius laudatur 28
Bochartus. Samuel Bochartus 9
Bodinus notatur 61. 68
Borrichius. Olaus Borrichius laudatur 302
Brodellus. Julianus Brodellus notatur 420
Brummerus. Fridericus Brummerus laudatur 91
Bulialdus. Iſmael Bulialdus laudatur 148

INDEX AUCTORUM.

C.

Caſaubonus notatur 145
Catharinottus. Nicolaus Catharinottus, Regius apud Bituriges Advocatus, laudatur 169
Choartius notatur 5
Columbettus, Claudius 125
Columella 309. 343
Coſta, Janus a Coſta laudatur 81. 82. 83. *notatur* 233
Cujacius notatur 8. 35. 37. 43. 62. 75. 77. 85. 94. 103. 114. 130. 168. 169. 175. 239. 267. 326. 327. 382
Cunaeus notatur 196
Cuſpinianus notatur 416

D.

Dalechampius, notatur 365
Douza, notatur 25

E.

EBerlinus notatur 427. 431
Euſebii Chronicon emendatur 111
Euſtathius notatur 204

F.

Fabrotus laudatur 8. 9 73. 84. 231. 246
Fermatus, Senator Toloſanus, laudatur 425
Fichardus. Johannes Fichardus notatur 67

Forne-

Fornerius. *Radulphus Fornerius notatur* 67. 70
Guillelmus Fornerius notatur 267
Faber. *Tanaquil Faber notatur* 248

G.

Galenus notatur in voce Cuniculus 10
Gellius emendatur 112
Gentilis. *Scipio Gentilis notatur* 39. 41. 139. 280. 333. 437. *laudatur* 414
Geſnerus. *Conradus Geſnerus notatur* 71
Giracius *Paulus Thomas Giracius notatur* 119
Gloſſæ veteres emendantur 278. 320. 321. 367. 368. 410
Gothofredus. *Dionyſius Gothofredus notatur* 4. 7. 8. 200
Grotius notatur 92. 126. 309. 380
Gudius. *Marquardus Gudius laudatur* 93
Guietus laudatur 397
Guimerius. *Coſmas Guimerius* 90

H.

Haloander notatur 44
Heinſius. *Daniel Heinſius notatur* 79
Heraldus. *Deſiderius Heraldus notatur* 200. 211
Hervetus. *Gentianus Hervetus notatur* 227
Heſychius emendatur 250. 311. 313
Horatius explicatur 78. 80. *emendatur* 181
Hotomanus laudatur 236. *notatur* 239

INDEX AUCTORUM.

I.

JAnſenius Epiſcopus Iprenſis notatur 86
Iſidorus Hiſpalenſis notatur 11. 295. 301. 316. 325. 372
Iſidorus Peluſiota notatur 199
Juſtinianus notatur in Inſtitutionibus 231. 292

L.

LAbbæus. Carolus Labbæus notatur 200
Lampridius notatur 429
Leunclavius notatur 81. 199
Lipſius notatur 418
Loialtæus. Philippus Loialtæus laudatur & notatur 7. Fit & ejus mentio in Epiſtola nuncupatoria.
Lucianus a Lindembrogio emendatus 313

M.

MAranus notatur 4. 5. citatur 101. 246. 298. 299
Marcus Antoninus emendatur 31
Martinettus, Advocatus Pariſienſis 6
Mercurialis notatur 222
Molinæus. Carolus Molinæus notatur 90. 91
Mornacius notatur 4. 5. 38. 159. 160
Muretus notatur 158

P. Pan-

INDEX AUCTORUM.

P.

PAncirolus notatur 114. 128. 437

Petitus, Samuel Petitus notatur 138. 200

Petronius explicatur 25

Pinſonus. Franciſcus Pinſonus laudatur 91

Pithœus notatur 174. 426

Plautus a Salmaſio emendatus 275

Plinius notatur in voce Cuniculus 10. 11

Plutarchus notatur in voce Dunum 11. 12. *emendatur* 113

Politianus notatur 129

Priorius. Philippus Priorius laudatur & notatur 72. 74. 79. 129

R.

RAymundus. Johannes Raymundus citatur 123

Ritterſhuſius, Conradus notatur 139

Rivalius. Æmarus Rivalius notatur 69. 73

Robertus. Johannes Robertus notatur 305. 307

Rubenius. Philippus Rubenius notatur 304

Rutilius. Bernardinus Rutilius notatur 67. 103

S.

SAlmaſius notatur 88. 216. 217. *laudatur* 214. 312. 329. 354. 371. 381

Scaliger. Julius Scaliger notatur 19. 316. 376

Joſephus Scaliger notatur 18. 367

Servius

Servius emendatur 412. explicatur ibid. 422. notatur 308
Sirmondus, Jacobus laudatur 210
Suetonius emendatur 110. explicatur 418
Suidas bis emendatur 29. 201

T.

THeomneſtus notatur 21
Theophilus notatur 232. emendatur 239. 240
Tibullus a Scaligero emendatus 266. explicatur 288
Torrentius. Lævinus Torrentius notatur 79
Tribonianus notatur 51. 245

V.

VAleſius. Hadrianus Valeſius 10
Henricus Valeſius notatur 25
Valla. Laurentius Valla notatur 274
Varro notatur in voce Cuniculus *10. 11. in voce* Graculus *251. in voce* Miles *304. emendatus a Lindembrogio* 313
Virgilius emendatur 186. laudatur & explicatur 408
Volſius notatur 201
Voſſius. Johannes Gerardus Voſſius notatur 223. 397. laudatur 242
Iſaacus Voſſius laudatur 410

INDEX

※) o (※

INDEX RERUM ET VERBORUM.

A.

ABies unde 326
Acies, unde 352
Acindynus Conſul 55
Actus de itineris, actus, & viæ diſcrimine 231
Adfinis, unde 256
Adgnati, unde 257
Adrogatio, unde ibid.
Adulterium, unde 259
Adulterarum viros ordinari non potuiſſe 61
Advocatus. pro Advocati facundia honorarium æſtimari debere 90
Ædes, unde 260
Ædilis, unde 259
Æditums, unde 260. 393
Ægyptii Magiſtratum gerere legibus prohibiti 170. non licuit Ægyptiis alienæ civitatis civibus fieri 171
Æs alienum 300
Africanus Juriſconſultus alius a Sexto Cæcilio Juriſconſulto 114. ſeqq.
Αἱμασία 199
Αἱμός. collum 205
Ἀκαλύφη. ἄκανθα, ἀκακία, unde 352
Ἀκριβολογεῖν 195

Ἀκρίδες

INDEX RERUM

Ἀκρίδες 199

Ἀκρόδρυα 198

Alipha 188

Alpes, unde 315

Angiportum, unde 261

Ἀντίχειρ 14

Ἀνόπιν, unde 373

Ἀντικένσωρ 135

Antonius Auguſtinus Linguæ Græcæ parum peritus 188

Ἄπορα 2

Apoſtoli, dimiſſoriæ literæ 278

Appulejus ſcripſit de Plantis 22

Aqua, unde 344

Aquilices. Aquileges 410

Archiatri 222. 223. 224

Arduus, unde 393

Aretæus Medicus quo tempore vixerit 223. 224

Aries, unde 326

Ariſto 45

Armorum tractandorum meditatio debetur Publio Rutilio 283

Atticus, ad quem ſcripſit Ofilius, quis? 413

Auceps, unde 303

Auditus. de auditu res mira 155

B. *Baja*

B.

BAja, vox Hiſpana, unde 325
Baja. Nicolaus de Baja, Scriba Senatus Pariſienſis, ſtatim electus eſt Senator, in magna Curia ſedit 159
Baryllium 412
Beckius a Carolo VII. Senator Toloſanus factus, ante alios Senatores juſſu Ludovici XI. ſedit 160
Benedicta. Caſcelii liber Benedictorum 38. ſqq.
Beneficia. Liber Beneficiorum 41. 42
Beroë & *Berytus*, idem 132
Berytienſis Schola 132. ſeqq.
Birota, birotum 9
Bonus, *bellus*, *benignus*, unde 262. 263
Bornio, *Borgne*, unde 397
Βȣνος, vox Lybica 12
Bulgarus, Irnerii diſcipulus 193
Burgundio, Juriſperitus Piſanus ibid.

C.

C & Q indiſcrete uſurpata 185
Caducum, unde 263
Cæcidianus 187
Cæcilius pro *Ælius*, *Cælius* & *Cœlius* 111
Cæcilius Juriſconſultus alius ab Africano 114
Gajus Caſſius & Titus Gajus Juriſconſulti 415. & ſeqq.
Calumniator, unde 264

Calvo antiquum verbum 264. 265
Campanus Juriſconſultus 247
Canthus 9
Carnifex vivus exuſtus 318
Carthaginienſes magiſtratum gerere legibus prohibiti 170
Caſcellius Juriſconſultus 39
Cato uxorem ſuam Hortenſio commiſit. 57. idque aſſeritur contra Bodinum 61
Cavillatio, unde 265. 266
Cenſor, unde 267
Cervus, unde 340
Χειρουργὸς vox damnata a Julio Polluce 226
Chilo 183
Chirurgi 226
Chorepiſcopi 212. & ſeq.
Χρηστὴ & Χρησίμη, nomina Ancillarum 182
Cilo ibid.
Circitor, Circuitor 210. 211
Circumforaneus ibid.
Cition Zenonis patria, Cypri non Macedoniæ oppidum 75. 76
Clarus. Erycius Clarus 184
Cognatus, unde 268
Cobuë, vox Gallica, unde 274
Comminus, vox Gallica Ciſalpina 8
Commundare 309
Condictio 268
Conſobrinus, unde 269. 355
Conſpicio, unde 356
Con-

Conſtantinopoli duo tantum Juris Profeſſores 133
Conſules, unde 269. 270
Contractus innominatus 271
Contubernales, unde 271. 375. 376
Contumax, unde 271
Contumelia, unde 272
Conventio, unde 272
Convitium, unde 273
Corbinus. Jacobus Corbinus, Advocatus Pariſienſis, laudatur 6
Cuniculus, vox Græcæ originis, non Hiſpanæ 10. 252

D.

Damnatio, *damnum*, unde 274
Dardanarii 343
Debitum 300
Decurio, unde 276
Depoſitum, unde 277
Deprimere vitem 50
Derectarii, unde 277
Dialectici 1
Dies, unde 305
Dimiſſoriæ literæ 278
Divortium, unde 279
Dominæ Mulieres appellatæ, de vocabulo *Domini* plura 136
Dominus, *Domnus*, nomina propria 141
Donatio, *donum*, unde 280

Ducere familiam; ducere claſſem 77. 78
Ducere uxorem 280
Dunum, vox Græcæ originis, non Gallicæ 11. 12

E.

Ἐχυρὸς, unde 323
Ἐλέυθερος, unde 296
Elices, vox Latina non Græca 410
Ἔπιπλα, unde 374
Ἐπισκοπεῖν de Medico 211. 215
Epiſtolæ. In epiſtolarum titulis nomen ſcribentis præpoſitum 122
Epiſtolæ legales 123
Epitynchanus 177
Ἐρευνάω, unde 337
Eros, nomen Servi 179
Ἐρωτάω, unde 337
Erycius, Clarus 184
Etymologiæ. De Etymologiis Juriſconſultorum & Stoicorum 256
Eunuchus, unde 282
Eunuchi militare non poſſunt. 400. Quidam tamen Duces fuerunt, 403. Eunuchi erant Cyri Satellites 404
Exerceo, unde 283
Exercitus, unde 282
Exhibere, unde 284
Exoine, vox Gallica, unde 354

F. Fa-

F.

FAbroti Commentarii in Inſtitutiones 246
Falcidia, unde 284
Familiam ducere 78
Fluvius, unde 341
Forceps, unde 303
Formus, unde 355
Fortunæ judicium 35
Foxius. Paulus Foxius, Senator Pariſienſis, in magna Curia primum ſedit 158
Φίζος ab ὀξύς 10
Frater, unde 354. 356
Fronto. Miſſenius Fronto 173
Fugitivi pedum amputatione multati. 190
Fundala, Cu de ſac 261
Fur, *furtum*, unde 285
Fuſcianus 30
Φύω ab ὕω 10

G.

GRaculi 247. ſeqq.
Graculatim 255
Gradus, unde 308
Guimier. Coſmas Guimier, auctor Gloſſarum, non Mariſcalcus 91

H.

H Plurima vocabula contra etymologiam Latini aſpirarunt, ut *Herodotus*, *Herodicus* 181
Habere, unde 284
Hæres, unde 326
Hedera, unde 338
Helenopontus, unde 287
Hemus, unde 205
Heri, unde 338
Hermogenianus Juriſconſultus 62
Hiems, unde 338
Hio, unde ibid.
Honorarium 288
Horatii Cincti 185
Humi, unde 338

I.

I'Ατρικὴ, unde dicta 227
Immunitas, unde 289
Incile, unde ibid.
Injuria, unde 290
Inſtitor, unde 291
Interdicta, unde 292
Iter. De itineris, actus & viæ diſcrimine 231
Judices habita ratione temporis, quo magiſtratum adepti ſunt, ſedere debent 157
Julianus. De Salvio Juliano Juriſconſulto; de Juliano Anteceſſore Conſtantinopolitano, plura 123. ſqq.
Juncus,

Juncus, unde 294
Juriſconſulti verbo reſponſa dabant, de quibus teſtes adhibebant Conſultores 101. Scripto deinde reſponderunt ſignato 102
Jus, unde 292. & ſeqq.
Juſtiniana urbs 296

K.

Κᾶλον lignum 379
Κατόπιν, unde 373
Κίγκλος, unde 337
Κινέω, unde ibid.
Κίσσα, unde ibid.
Κισσὸς hedera, unde 338
Κίχλη, unde 337
Κίω, unde ibid.
Κολοιὸς 249. 250
Κράτιστος. De iis, qui ſunt in dignitate conſtituti 85
Κύων ab ὕω 10

L.

Labeo. Antiſtius Labeo 98. ſeqq.
Labeo. Domitius Labeo alius a Juriſconſulto 94. & ſeqq.
Largius Euripianus 176
Legaria pro *legumina*, vox Gallicana 8

LEGES EMENDATÆ.

L. qui quadraginta. 88. ad legem Falc. 1
L. Antonius. 24. de Fideic. libert. 32

L. ſervus. 11. de Pub. Jud. 31
L. impenſa. 45. de Relig. ibid.
L. excipiuntur. 14. de Senat. Silaniano. ibid.
L. ſervus. 13. de Stat. Hom. 35
L. item. 17. de Hæred. inſt. 43
L. ult. Quod vi aut clam. 49
L. cum pater. 77. de legat. ſecundo. 92
L. rerum mixtura. 30. de uſurp. 94
L. de minore. 10. de quæſt. 110
L. ex libero. 15. de quæſt. ibid.
L. quæritur. 14. de ædil. Ædict. 111
L. vir mulieri. 64. de don. int. vir. & ux. 113
L. Falcidia. 1. ad leg. Falc. 130
L. 15. de ſervitutibus. 167
L. Imperatores. 52. de man. teſt. 173
L. inter. 33. de auro & arg. 176
L. Mævia. 44. de manum. teſt. 179
L. antiqui. 3. ſi pars hær. pet. 185
L. Patronus. 35. de legat. tert. 188
L. 15. Locati. 248. 255
L. ſulcos. 1. de aqua & aq. pl. arc. 409
L. verbum. 234. de verb. ſign. 413
Lenocinium mariti 52
Liber, unde 296
Libertus, unde 286
Libra, unde 384
Licinius Ruffinus, Juriſconſultus 36
Λογίατρος, λογικὸς ἰατρός 220
Limen & *limes* diverſæ originis 329

M. Ma-

M.

MAcedonianum Senatusconſultum 297
Mæcianus Juriſconſultus 30. ejus liber de Aſſe 34
Macilius pro *Cacilius*, aut contra 110
Magis, *Magiſter*, *Magiſtratus*, unde 300
Magnates, vox minus Latina 302
Μαλάχεια piſces cartilaginei 22
Μάλαγμα ibid.
Malandria, morbus equorum ibid.
Malatus 20
Μάλις, unde 20. 21
Malleus, pro morbo jumentorum, unde ibid.
Maltha 23
Malthinus 24
Malva 22
Malum, unde 20
Mancipium, unde 303
Marcellus Juriſconſultus, magnus Juliani Juriſconſulti reprehenſor 130
Maſnavius. Guillelmi Maſnavii, Senatoris Toloſani, laus 165
Maſſa, maza 24
Maſſilia, Maſſilienſes 24 25. 26
Μάτ]υα, ματ]υάζειν 26
Medici περιοδευταὶ 209. & ſeqq.
Medicorum immunitates 219
Medicorum certus numerus definitus 222
Medicina olim ad ſervos Romæ ablegata 229. aliter apud Arabes & Scotos 230

Megarici philoſophi 2
Μεγιςᾶνες, vox a Phrynico improbata 302
Μικρολογία 169
Miles, unde 305
Miniſter, unde 301
Miſcella. Lex Julia Miſcella, unde 305
Μόλιβδος plumbum, unde 19
Mollis, unde ibid.
Mollus, *molluſcus* ibid.
Μονόρχεις 401. Sacerdotes eſſe non poterant apud Ebræos 403
Monumentum, unde 307
Morbus, unde 19
Morfondus, unde 21
Morve ibid.
Mucius. Quintus Mucius 176
Mulieres militare prohibentur 402
Mundus muliebris 308
Municipes, *munifici*, unde 309
Murcia Dea 18
Mureus, unde 12. 13. 18. 26. 27
Μῦς ab ὕω 10
Mutare, unde 312
Mutuum, unde 310

N.

NAvis παράσημον 89
Niphana. Regio Niphana 187
Nivartius. Germani Nivartii laus 168

Nomi-

Nomina. De quibusdam nominibus propriis Pandectarum 172. ſqq.
Nominum reſtituendorum an labor inanis ibid.
Nothus, vox hæc in Latinitate deficit 367
Novatio 313
Novus, unde ibid.
Nublæus Ludovicus Nublæus laudatur 241. item in epiſtola nuncupatoria.

O.

OB, unde 373
Occidere, unde 313
ὄχϑη, unde ibid.
Ofilius ad Atticum 413
Oneſiphorus 181
Opis Dea, unde 373
Oppidum, unde 314
Opus, *operor* unde 373
Ὀπώρα autumnus, unde ibid.
Orbus, unde 396
Oſca lingua 9
Ova hypenemia, Zephyria, Favonia 361. 363
Ova cynoſura, urina 363. 364

P.

PActum, unde 315
Pandectæ Florentinæ 29
Pannicularia, unde 316
Panicum, unde 318
Pannus, unde 317

Panormitanus. Sic dictus Nicolaus Tudiſcus Cataneus 56
Παππεπίπαπος tritavus, vox a Polluce damnata 415
Παρακαθήκη dicendum, non παραθήκη 277
Paratitla 80
Pario, unde 336
Πᾶς, unde 318
Pax, unde 315
Pecudes, peculium, peculatus, pecunia, unde 318. 319
Peculium, Gallis Ciſalpinis παράφερνα 7
Pegaſus Juriſconſultus 86
Pegaſianum Senatusconſultum 88
Pellex, unde 319
Perduelles 263. 321
Peremptorium edictum 322
Perruque, vox Gallica, unde 317
Περιοδευταὶ Medici & Presbyteri 210
Περιοδονῖκαι 219
Περίοδος de Medicis 210. 211
Petoritum 9
Πηνίκη, unde 317
Πῆνος, unde ibid.
Philargyrus 188
Pignus, unde 322
Plumbum, unde 19
Plus, unde 294
Plutarchi liber de Fluminibus 11. 12. Plutarchus ille alius eſt a Cheronenſi ibid.

Pluvia

Pluvia, unde 341
Πόλις, unde 397
Pollex, unde 14. 15
Pollice truncus 15. 16
Poltrone, vox Italica, unde 16. 17
Pomponii Juriſconſulti ἀνιτοςησία 33
Pomum. Pomi appellatione nuces contineri 39
Populus, unde 335
Por, unde 336
Portus, unde 323
Poſſeſſio, unde 325
Poſtliminium, unde 327
Poſtumus ibid.
Prægnantis mulieris capitali judicio damnatæ pœna differebatur apud Romanos 104. aupd Ebræos, non item 108
Prævaricator, unde 330
Pratum, unde 332
Premere arbores 50
Presbyteri περιοδευταί 212
Primitivus, nomen ſervi 177
Ψάμμος, unde 205. 362
Publicanus, unde 334
Publicus, unde 335
Puceau, pucelle, voces Gallicæ, unde 17
Puer, unde 336
Puerpera, unde ibid.
Pulex, unde 362
Pullitrus, *pullus* 17. 18

Q. Q &

Q.

Q & C indiſcrete uſurpata 185
Quadrageſimæ tempore veteres Chriſtiani reos non damnabant, immo nec litigabant 147
Quærere, unde 337
Quæſtores, unde ibid.
Quintilii Fratres 189

R.

REddere, unde 338
Redhibitio, unde 284. 339
Rei in judicio, ad latus ſiniſtrum apud Colchos, ad dextrum apud Græcos 206
In Senatu Gratianopolitano damnantur, cum calculi qui damnant, calculos qui abſolvunt, uno excedunt. In Toloſano nec damnantur, nec abſolvuntur 207
Reſcribere de Juriſconſultis 101
Reſponſitare de Jure 4
Rivalis, unde 339
Rivus, unde 340
Romæ duo tantum Juris Profeſſores 133
Ruber, unde 296
Ruta cæſa 341

S.

SAccus, nomen proprium 179
Saccularii 342
Sacellarii 344
Sacellum, unde ibid.

Sacer-

Sacerdotes, uxores habentes ab iis divortebant 63
Sacerdotes paganos a venere abſtinuiſſe, matrimonium abdicaſſe 64
Sacrum, unde 344
Sanctum, unde ibid. 345. 346
Scepeauſſus. Ivo Scepeauſſus, Senatus Pariſienſis Princeps, juſſus a Ludovico XI. in ſecundis ſedere 161
Sedere, ***ſedes***, unde 326
Σελάχη piſces, unde 22
Sella equeſtris 245
Sequeſter, unde 347
Sequor, unde ibid.
Sero pro *ſemino*, unde 362
Servus, unde 348
Servi militare non poſſunt 406
Sica, *ſicarius*, unde 351. 478
Sine, unde 352
Siniſter, unde 301. 352
Sino, unde 352
Sobrinus, unde 355
Solarium, *ſolum*, unde 352. 353
Sonticus morbus 353
Sorella, vox Itala, unde 269
Sorex, unde 305
Soror, unde 354
Συμπέριον vox corrupta apud Abſyrtum 21
Spadones, unde 282
Species, unde 356
Spectaculum, unde ibid.

Spondere,

Spondere, unde 357
Sponſalia, *ſponſio*, *ſponſus*, unde ibid.
Sponte, unde ibid.
Spurius, unde 357
Statio, unde 367
Statuliber, unde ibid.
Stella, unde 368
Stellio, unde ibid.
Stellionatus, unde ibid.
Stipendium, unde 369
Stips, unde 370
Stipulatio, unde 371
Subtercutaneus morbus jumentorum 21
Supellex, unde 373
Surdus exaudiens 154
Suus pro *ejus* 51
Σῦς ab ὕω 10
Syrbenæorum chorus. σύρβη 389. ſeqq.
Sylla μόνορχις 401

T.

Taberna, unde 374
Tabula, unde 376
Tectoria 170
Telum, unde 377
Templum, unde 393
Tendere, unde 314
Tenebrio 23
Terra, unde 380
Territorium, unde 379
Tertul-

Tertullianus Juriſconſultus, an idem cum Septimio Florente 66
Tertyllianum Senatusconſultum 73. 74. *Tertullianum*, non *Tertyllianum* 74. 175
Tertyllus. Scapula Tertyllus 174
Teſqua, unde 393
Teſtamentum, unde 381
Teſtis, unde 383
Θάλασσα, unde 205
Θάμνος, unde ibid.
Thylacus, nomen proprium 179
Tignum, unde 383
Tiraquellus, Senator Pariſienſis, an primum in magna Camera ſederit 159
Toga, unde 383. 388
Tollere ædificium 167
Toretus. Elias Toretus, Princeps Senatus Pariſienſis 161
Τόξον, unde 379
Trabes, unde 305
Trebatius. De Trebatio plurima 77
Tribunus, unde 384
Tribus, unde ibid.
Tributum, unde ibid.
Trimalcion 22
Tritavus 385
Triticiaria condictio, unde ibid.
Triumviri nocturni 387
Tugurium, unde ibid.
Tumeo, unde 272
Turba, unde. *τυρβη*, *σύρβη* 388. ſeqq.

Turci Codicem Juſtinianeum in linguam ſuam transtulerunt, plurimasque leges ad ſervitutes ſpectantes 148. Ramadzani tempore reos non damnant ibid.
Tuſcianus Juriſconſultus 30
Tutor, unde 392

V.

Varcare, vox Itala, unde 331
Vatinianum odium 39
Uber, unde 296
Vecors, *Veſanus*; unde 395
Via, unde 235. De itineris, actus & viæ diſcrimine 231
Vidua, unde 394
Villicus 78
Vinearum an vita longa? 46. Arborum appellatione vineæ continentur ibid.
Virga, pro *purpura* 8
Voco, unde 344
Volones, qui? 409
Vomo, unde 355
Vopiſcus, unde 373
Urbs unde 315. 395

X.

Ξύλον ab ὕλη 10

Y.

Ὕλη, ab ὕω 10
Υἱὸς ab ὕω ibid.

527263

[illegible]

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google